COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

XC.

PATRES QUINTI ECCLESIAE SAECULI.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.

XXI.

PROSTAT INSUPER VENALE

MONTIS PESSULANI.

APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM,

PARISIIS,

APUD **BIBLIOPOLAM**, CUI NOMEN GALLICE ;

SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES,

Rue des Saints-Pères, 16.

PARISIIS — E TYPOGRAPHEO BOURGOGNE ET MARTINET,

VIA VULGO DICTA JACOB, N° 30.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS NONAGESIMUS.

PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M. DCCC. XXXVII.

S. P. N. JOANNIS
CHRYSOSTOMI
ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,
OPERUM.
PARS II.

MISCELLANEA

ADVERSUS OPPUGNATORES VITÆ MONASTICÆ LIBRI III.
COMPARATIO REGIS ET MONACHI.
LIBER DE VIRGINITATE.
AD VIDUAM JUNIOREM LIBRI II.
LIBER QUOD REGULARES FOEMINÆ VIRIS COHAB. NON DEBEANT.
SERMO CONTRA EOS QUI SUBINTRODUCTAS HABENT VIRGINES.
LAUS MAXIMI ET QUALES DUCENDÆ SINT UXORES.
DE NON ITERANDO CONJUGIO.
HOMILIÆ II DE CONSOLATIONE MORTIS.
DE FUTURORUM DELICIIS.
AD DEMETRIUM, DE COMPUNCTIONE LIBER I.
AD STELECHIUM, DE COMPUNCTIONE LIBER II.
HOMILIÆ II AD THEODORUM LAPSUM.
ASCETAM FACETIS UTI NON DEBERE.
HOMILIÆ IX DE POENITENTIA.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI
CONSTANTINOPOLITANI
ARCHIEPISCOPI,

ADVERSUS OPPUGNATORES VITÆ MONASTICÆ, LIBRI TRES.

LIBER I.

Adversus oppugnatores eorum, qui ad monasticam vitam inducunt.

I. Cum templum illud jerosolymitanum, quod multis annis solo æquatum jacuerat, a diuturna captivitate reversi Hebræi instaurare cuperent[1], tum barbari quidam et immanes homines, neque Deum reveriti, qui templum illi erexerant, neque fracti illa hominum calamitate, a qua sero tandem vix se receperant, neque supplicii hujusmodi facinoribus a Deo deputati metu cohibiti; primo quidem per se eos a structura coërcere nitebantur. Cum autem nihil proficerent, missis ad regem suum litteris, quibus eam urbem defectionis novarumque rerum studiosam, ac belli cupidam appellabant, suadent ei, ut sibi ejusdem prohibendi ædificii facultas detur. Qua accepta potestate, magna equitum manu viros adorsi, opus illud ad tempus intermitti coëgerunt: et elati ea victoria, de qua lugere debuerant, gloriabantur; putabantque hunc esse insidiarum suarum terminum. At erat illud exordium initiumque eorum, quæ se

[1] Vide D. Guillon, tom. XVIII, p. 247-251. — [2] Esdræ. IV.

mox invasura erant, malorum: opus enim illud perficiebatur, ac denique præclarum nactum est finem. Tum illi didicerunt, ac per illos universi, non cum hominibus bella gerere Mithridatem illum vel alium quempiam, qui boni aliquid agere instituentes homines oppugnet; sed potius cum ipso Deo, qui per illos honoratur. Qui autem Deo bellum movet, nunquam potest bonum belli exitum habere; sed is quidem initio facinoris nihil fortasse patietur mali; si tamen non patiatur, Deo illum vocante ad pœnitentiam, atque concidente ut quasi ex ebrietate quadam resipiscat; sin autem in amentia sua perstiterit, nihil ex hujusmodi Dei clementia et patientia lucratus, cæteros saltem admodum juvabit, supplicio suo admonens, ne contra Deum unquam bellum gerant, quod invictam illam manum nemo effugere valeat. Tantæ igitur illos statim invasere clades ut magnitudine calamitatis omnes alias calamitates obtegerent. Post cædes enim et infinitas strages, quas olim ab se coërcitorum Judæorum manus perpetrarunt, cæsorum sanguine terra ad multam usque profunditatem madefacta erat, lutique plurimum ex eo cruore gignebatur: ex corporibus autem equorum et hominum simul mixtis, atque ex vulneribus se invicem tangentibus, tanta vis vermium ebullivit, ut cum terra multitudine cadaverum operiretur, hæc cadavera rursus vermibus obtegerentur. Dixisset profecto qui campum illum vidisset, non substrata corpora, sed fontes esse quamplurimos, hoc insectorum genus largissime fundentes: adeo omni inundatione vehementius ex putredine illa scaturiebat ingens illa vermium copia. Atque id non per decem dies aut viginti, sed per plurimum temporis factum est. Et ea quidem quæ hic istis acciderunt, ejusmodi fuere; quæ vero illos in futuro manent, longe sunt his acerbiora. Neque enim mille annis, aut decem millibus, aut bis terve totidem, sed in-

finitis sæculis animata tunc corpora cruciatus, inexplicabilesque dolores sustinebunt. Et hæc utraque novit beatus Hesaïas, novit et mirabilium visionum speculator Ezechiel, qui hujusmodi hominum pœnas inter se distribuentes; alter præsentis, alter futuri sæculi supplicia enarrarunt.

II. Ego vero hæc non sine causa memoravi: sed quia accedens quidam nuntium attulit plenum amaritudinis, molestiæ ingentisque adversus Deum contumeliæ. Quosdam enim esse homines ait, qui hodieque eadem, quæ illi olim Barbari, admittere auderent; imo longe iniquiora: eos quippe qui philosophiæ nostræ capessendæ auctores sunt, undique expellere, multisque additis minis vetare, ne quidpiam hujusmodi ullum unquam hominem doceant. His auditis ego, statim clamavi, et narrantem sæpe percontatus sum, ludens-ne hæc loqueretur. Apage, inquit ille, nunquam enim in re tam seria jocarer, neque dicerem, vel confingerem ea quæ plurimi redemissem, ac plurimis votis expetiissem, ut ne nunc quidem, quando facta sunt: vel aure perciperem. Tunc porro acerbius ingemiscens, Vere, dixi, hæc tanto sceleratiora sunt iis, quæ Mithridates omnesque alii admiserunt, quanto templum hoc est illo honorabilius et sanctius. Sed quinam isti, quæso, aut unde sunt qui talia præsumunt? Quare et qua de causa, quem respicientes finem, lapides in sublime jaciunt, telaque in cœlum jaculantur, ac cum Deo pacis bellum gerunt? Sameas enim, Pharathæi et Assyriorum principes, omnesque cæteri, barbari, quod ex ipsis nominibus videre est, longeque a Judæorum moribus remoti erant, nolebantque finitimos sibi homines multiplicari: nam illorum vires fore ut potentiam suam obscurarent arbitrabantur. Hi autem quanam sibi imminuta libertate, qua sublata licentia, quo principum auxilio hæc ausi sunt? Illi enim Persarum reges hæc volentes habuere, nostri vero con-

traria penitus, ut mihi ipse persuadeo, et cupiunt et optant. Quapropter magno stupore plenus sum, quod imperatoribus piam religionem sectantibus, hæc in mediis urbibus impune fieri dicas. Quid vero, inquit ille, si his quoque mirabiliora didiceris, quod scilicet horum auctores pii videri velint, et Christianos se nuncupent, plurimi autem ex illis etiam initiati sint: imo eorum quidam, diabolo vehementer afflante, execranda lingua sua dicere ausus sit, se a fide recessurum et dæmonibus immolaturum: suffocari enim se videndo homines liberos nobiles, vitamque deliciis plenam agere valentes, ad hanc duram vitæ rationem abduci. His auditis ego, acerbiori vulnere percussus sum, et mala inde futura conjiciens, orbem simul flebam universum, Deumque compellabam his verbis: Tolle animam meam a me, et de necessitatibus meis erue me, atque ab hac mortali vita libera me, et ad locum illum transfer, ubi nullus hujusmodi quidpiam proferet, neque ipse audiam. Novi equidem, quod hinc excedentem exteriores excipient tenebræ, ubi fletus ingens, et stridor dentium. Verum jucundius mihi est dentes audire stridentes, quam ejusmodi verba jactantes homines. Videns autem me ille admodum lugentem: Non id, inquit, tempus postulat: neque enim his lacrymis eos, qui jam perierunt et quotidie pereunt, recuperare unquam poteris· neque malum hic finem habiturum puto. Sed providendum est, ut rogum istum extinguamus, hancque pestem cohibeamus. Ac si mihi morem gesseris, his missis fletibus librum edes, quo ægris hujusmodi ac seditiosis monita dabis ad suam omniumque hominum salutem. Hoc ego assumpto libro, medicaminis cujusdam vice illum ægrotantium in manu ponam. Sunt enim ex horum numero plerique mihi amicitia juncti, qui patientur me ipsos adire semel et bis et pluries, novique illos cito ab hac peste liderandos esse. Tu

quidem, respondi ego, ex charitate tua vires metiris nostras: mihi vero nulla inest vis dicendi, et ea, quæ inesse videtur, in hoc argumento uti pudet me: nec alium quemquam ita vereor, ut Gentiles omnes, tum eos qui modo sunt, tum eos qui post futuri sunt, quos ego non minus pro vitæ segnitie, quam pro doctrinæ ratione semper carpere solitus sum, ne jam ipsos mala nostra doceam. Nam si qui ex illis senserint apud Christianos esse homines adeo virtuti et philosophiæ inimicos, ut non modo labores ad eam adipiscendam refugiant; sed de re illa quidem verba facere sinant; imo ne hac tanta quidem insania contenti, si quem hanc consulentem, deque illa disserentem videant, hunc undique expellant; si hæc, inquam, illi senserint, timeo ne nos existiment non homines, sed feras; et monstra hominis forma, dæmonasque quosdam noxios, ac communis naturæ inimicos, nec de sontibus modo, sed de tota simul gente talem sententiam ferant. At ille ridens, Ludis, inquit, hæc dicens: ego enim opportuniora jam loquar: num vereris ne ex verbis tuis id ediscant, quæ illi jamdudum ex ipsis operibus edidicerunt? Nam ac si nequissimus aliquis spiritus omnium animos occuparit, per cunctorum ora hi sermones vertuntur; sive in forum te contuleris; sive in tabernas medicorum; sive in quamlibet urbis partem, ubi sedere solent ii, qui nihil operari volunt, videbis ingentem risum ab omnibus moveri. Risus autem ejus et comœdiæ argumentum est, eorum quæ adversus sanctos viros acta sunt festiva narratio. Quemadmodum enim bellatores, qui multas pugnas confecerint ac tropæa erexerint, gesta sua fortia narrare gaudent; sic et isti in facinoribus suis lætantur. Hunc sane audias dicentem: Primus ego manus in illum monachum injeci, et plagas intuli; alium vero: At ego cellulam ejus ante alios inveni; alium, Ego judicem plusquam omnes adversus

illum concitavi. Jactat alius carcerem, carcerisque miserias : quodque per forum sanctos traxerit, id laudis in parte constituit; alius item aliud : deinde omnes profusis cachinnis hæc prosequuntur. Et hæc quidem in Christianorum consessibus. Gentiles vero et hos irrident, et eos qui ab illis irridentur ; illos quod hæc perpetrarint ; hos quod talia passi sint : omniaque civili quedam bello repleta sunt ; imo hujusmodi bello longe atrociora isthæc sunt. Nam qui bellum illud gesserint, cum postea illius reminiscuntur, auctores ejus maledictis insectantur, ac dæmoni cuidam malo cuncta, quæ in illo gesta fuerint, accepta referunt : et ii ampliore afficiuntur pudore, qui plura quam alii perpetrarint ; hi autem de suis ausibus gloriantur. Neque ideo tantum hoc sceleratius illo bellum est, quod adversus sanctos, qui neminem læserint, excitetur; sed etiam quod adversus homines, qui nemini malum facere noverunt, et ad patiendum solummodo parati sunt.

III. Siste gradum, dixi ego, siste, satis jam hujusmodi narrationum, nisi me expirare velis : sed modicum mihi hoc virium relinquens, missum me facito. Quod jussisti penitus exequemur : tantum nihil aliud jam dictis adjicias; sed digressus precare, ut excussa mihi mœroris nebula, quamdam a Deo, qui impugnatur, opem consequar ad medelam inimicorum ejus. Id vero dabit haud dubie, clemens cum sit, ac mortem peccatoris nolit, sed ut convertatur et vivat. Sic illo a me dimisso, hæc scribere sum aggressus. At enim si hoc tantum mali adesset, quod sancti Dei et admirabiles viri raptarentur, laniarenturque ad tribunalia pertracti, verberati et alia passi, quæ supra narravimus, nullumque hinc damnum in eorum converteretur caput, qui talia perpetrarunt ; tantum abest ut de gestis dolerem, ut etiam de iisdem riderem perquam sua-

vissime. Nam et infantes quoties sine suo periculo percutiunt matres, risum illis movent copiosissimum, tantoque majorem voluptatem pariunt, quanto vehementiore cum iracundia id fecerint; ita ut effundantur peneque dirumpantur risu : sin vero dum id jugiter infans ac validius facit, vulneretur aliquando, sive acu circa zonam tunicæ matris affixa, sive radio maternis pectoribus appenso ferientis manum excipiente; tunc, certe tunc, misso risu, majore, quam is qui percussus est, illa dolore afficitur : et interim curat vulnus, de cætero autem ingentibus minis vetat ne talia agat, ne forte simile quidpiam patiatur. Nos itaque paria fecissemus, si puerilem hujusmodi iracundiam conspiceremus, aut esse hanc infantium plagam, quæ non magnam ipsis perniciem inferret. Quoniam vero post modicum elapsum tempus, quamvis nunc furore correpti id non sentiant, flebunt, ejulabunt, lamentabuntur, non tali fletu quali infantes; sed in tenebris exterioribus et in igne inextinguibili : idipsum jam faciamus quod matres, hoc tantum discrimine, quod non cum minis et contumeliis ut illæ, sed blande et cum lenitate multa infantes hujusmodi alloquamur. Quandoquidem nihil hinc damni sanctis viris, sed merces copiosior majorque fiducia accedit. Si quidem futura bona commemoremus, admodum forte ridebitis, quippe qui hujusmodi risu semper ridere soleatis : at præsentibus, etiamsi millies risui addicti fueritis, fidem non negabitis; nec si volueritis quidem poteritis; rebus nempe ipsis contra clamantibus. Neronem prorsus audistis, virum nempe ex lascivia famosum, qui primus et solus in tanto imperio novos quosdam impudicitiæ et turpitudinis modos excogitavit. Hic itaque Nero beatum Paulum, cujus tempore regnabat, de iisdem accusans, de quibus vos ipsi sanctos viros insimulatis : pellicem enim ejus, quam ille deperibat, cum ad fidei doctrinam am-

plectendam induxisset, ab impuro ejus consortio monitis suis abduxit; hæc, inquam, illi crimina objiciens, ac corruptorem, seductorem, et his similibus nominibus, quæ vos modo profertis, Paulum appellans, primo ipsum in vincula conjecit; cum autem ut puellæ monita dare desineret, ipsi persuadere non posset, necavit tandem. Quid igitur hinc damni fuit male affecto, quidve emolumenti facinoris auctori? imovero quid non emolumenti occiso Paulo, quid non damni necanti Neroni? Nonne ille quidem ut Angelus ubique terrarum celebratur; de præsentibus enim tantum loquor; ille vero tanquam corruptor, dæmonque ferox apud omnes male audit?

IV. Ea vero quæ ad futuram vitam pertinent, etiamsi vos non credatis, propter credentes tamen memorare necesse est; quanquam ex iis, quæ coram sunt, vos etiam illis credere debueratis: verum quoquo animo ipsa acceperitis, dicentur a nobis, nec occultabuntur. Quænam igitur illa erunt? Miser ille, squallidus, tristis, ignominia obrutus et caligine, demissis oculis abducetur eo, ubi vermis qui non moritur, et ignis qui non extinguitur: beatus vero Paulus magna cum fiducia ad ipsum astabit imperatoris thronum, splendore fulgens, tantaque amictus gloria, ut nec Angelis nec Archangelis inferior sit, tantamque mercedem recipiet, quantam recipere par est hominem qui pro Deo ejusque placitis corpus atque animam suam tradiderit. Ita enim se res habet: parata quidem est iis; qui bona egerint, ingens retributio, major autem ea est atque auctior, quoties ii, qui bona operantur, pericula ignominiamque multam adierint. Etiamsi bonum opus æquale sit in eo qui sine labore, et in eo qui cum labore id perfecerit, honores tamen et coronæ pares non erunt. Nam et in bello coronatur quidem is qui tropæum erexit; multo magis tamen is qui vulnera præ se fert, per-

quo tropæum erectum est. Quid autem de viventibus loquor, quando et ii qui hoc tantum dederunt virtutis indicium, ut in bello fortiter occumberent, nihilque plus emolumenti suis præstiterunt; tanquam servatores et patroni per totam Græciam celebrantur? Tametsi vos hæc ignoratis, risui et deliciis semper dediti. Quod si gentiles homines, nihilque sanum sentientes, id conspicari potuerunt, summisque honoribus prosecuti sunt eos, qui pro se obierunt, nihilque præstiterunt amplius; quanto magis Christus hoc faciet, qui semper et ubique eos, qui propter se pericula adeunt, largissimis donis ac præmiis superat? Neque enim persecutionibus tantum aut verberibus, aut carceribus, cædibusque; sed etiam contumeliis convicio-sisque verbis, præmia posuit maxima. « Beati enim, in-» quit, eritis cum vos oderint homines, et cum separave-» rint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum » tanquam malum, propter Filium hominis : gaudete in illa » die et exultate : ecce enim merces vestra multa est in » cœlis[1]. » Si igitur et pati et audire male, patientibus maleque audientibus mercedem auget, qui impedit quominus patiantur et male audiant, non hos, sed eos qui male faciunt et dicunt, juvat. Eos enim potius nocumento affecit, quando majorem illam mercedem præcidit, et gaudii exultationisque materiam ipsis abstulit. Quocirca horum quidem causa hæc etiam silere et omittere satius fortasse fuerat; quæ scilicet ipsis magnas bonorum divitias majoremque fiduciam procurabant. Verum quia sumus invicem membra; etsi ipsi gratiam abnegent, non convenit ita affectis ut nos sumus, unius membri curam habere, alterum negligere. Namque illis alia meritorum occasio suppetet, etiamsi nunc malis non afficiantur; istis vero nisi ab hac pugna destiterint, nulla jam salutis spes relinquitur. Ita-

[1] Luc. VI, 22, 23.

que illis omissis, vestris rebus insisto, rogoque et obsecro nobis hortantibus obtemperetis, nec contra vos ipsos gladium impellatis, nec contra stimulos calcitretis; ne, dum putatis homines mœrore affligere, Spiritum sanctum Dei contristetis. Scio enim ac persuasum habeo, vos sententiam hanc nostram, etsi non modo, certe postea probaturos esse. Hoc autem volo vos nunc præstare, ne postmodum frustra faciatis. Siquidem dives ille cum in hac vita esset, Prophetas, legem, eorumque monita, pro fabulis et deliramentis reputabat: cum autem eo abscessisset, adeo in admiratione atque honore ea monita habuit, ut cum plane intelligeret nihil se commodi ex ejus laudibus consequi posse, Patriarcham rogaret, ut aliquem mitteret ex inferis in terram, qui isthæc annuntiaret, veritus scilicet ne idipsum illi paterentur, atque Scripturas divinas irridentes, tunc eas admirarentur, cum ex ea admiratione nihil emolumenti consequi valerent. Et tamen ille nihil tale egerat, quale vos agitis: etsi enim ille nihil ex suis Lazaro impertivit, non tamen eos, qui id agere vellent, prohibuit, aut repulit, ut modo vos facitis. Neque hinc modo illum crudelitate superatis, sed aliunde quoque. Sicut enim non æquale facinus est nihil agere boni, et alios qui id velint, impedire; sic non pari in gradu ponitur cibo corporeo indigere, et eum qui in ingenti philosophiæ penuria jacet, prohibere ne ab aliis pascatur. Quamobrem duabus ex partibus immanem illum divitem superatis, quod nempe alios prohibeatis famem extinguere, quodque cum animam præfocari videatis, tantam exhibeatis inhumanitatem. Hoc et Judæi olim fecerunt: nam Apostolos prohibebant ne hominibus salutaria loquerentur. At vos illis etiam deteriores estis. Illi enim cum se inimicos profiterent, sic omnia illa faciebant: vos autem ementita amicorum persona, inimicos vos exhibetis.

Illi sanctos Apostolos verberibus, contumeliis, ignominia affecerunt, præstigiatores eos atque seductores appellantes. Verum illos tanta ultio corripuit, ut nulla calamitas possit eorum cladibus comparari. Nam primi et soli ex omni hominum genere ea passi sunt, quæ nullus alius. Atque horum fide dignus testis est Christus, qui sic ait : « Erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque » nunc, neque postea erit[1]. » Ea quidem omnia, quæ illi passi sunt, prosequi non hujus est temporis : pauca tamen ex multis necessario dicenda sunt. Verbis autem utar non meis, sed (Josephi) Judæi, qui eam historiam scripsit diligenter. Quid ergo ait ille? Cum enarrasset incensum templum, communesque calamitates enuntiasset, sic pergit :

V. « Et templum quidem hoc in statu erat, eorum vero qui per civitatem fame occumbebant, infinita pene cadebat multitudo, atque inenarrabiles contingebant clades. Nam per singulas domos, sicubi ciborum vel umbra esset, bellum aderat, ac vel amicissimi mutuo manus conserebant, ac misera illa animæ viatica diripiebant : ne morientibus quidem quod cibo indigerent fides habebatur : sed eos quoque qui expirabant, latrones perscrutabantur, ne quis forte simulata morte cibum sinu occultaret. Alii vero fame hiantes, tanquam rabidi canes mente destituti, insaniaque correpti, ebriorum more in ostia impingebant : ac desperatione ducti, hora una bis terve in eamdem domum irrumpebant. Omnia vero dentibus subigebat penuria, et ea quæ ne sordidissimis quidem brutorum animantium usui erant colligentes, edere non dubitabant. A cingulis igitur et a calceamentis postremo non abstinebant, scutisque detracta coria mandebant. Esca autem quibusdam erant fœni laceri reliquiæ. Purgamenta item nonnulli

[1] Matth. XXIV, 21.

colligentes, minimum eorum pondus quatuor Atticis vendebant. Et quid opus est famis improbitatem in rebus inanimis persequi? Rem narraturus sum, qualem nec apud Græcos nec apud Barbaros contigisse memoratur usquam, dictu horrendam, atque incredibilem auditu. Sane ego ne viderer portenta confingere futuris hominibus, hujusmodi calamitatem libenter tacuissem, nisi innumeros ejus rei testes haberem. Prætereaque patriæ levissimam gratiam referrem, si quæ reipsa passa est, ea narrando supprimerem. Mulier quædam ex iis, quæ ultra Jordanem incolebant, Matria nomine, patre Eleazaro, vico Bethezo, quod significat domum hyssopi, genere et divitiis insignis, cum reliqua multitudine Jerosolymam confugerat, simulque obsidebatur. Hujus omnem aliam substantiam tyranni diripuerant, quantam ex Perea in Urbem transportaverat. Reliquias autem reconditarum rerum, et si quid in cibum præpararetur, quotidie irrumpentes satellites diripiebant. Dira autem indignatio mulierculam subiit, ac prædones sæpe conviciis et maledictis insectans, in se ipsam concitabat. Cum vero nullus aut ira correptus aut ejus misertus, ipsam interficeret, ipsaque cibos alios invenire laboraret, ac penitus difficile esset jam quidpiam invenire, famesque per viscera et medullas serperet, fameque vehementiore ira æstuaret, consilium dictante indignatione cum necessitate conjuncta, in naturam ipsam vertitur, et filium, erat quippe illi parvulus lactens, arripiens: Miser, inquit, puerule in bello, in fame et seditione, cui te servabo? a Romanis, si vixerimus, servitus nos manet; servitutem antevertit fames, et utrisque sæviores seditiosi. Perge, mihi cibus esto, seditiosis Erinnys, mundo fabula, quæ sola deest calamitatibus Judæorum. His dictis filium necat, coquit postea, ejusque dimidium comedit, reliquias vero occultatas servabat. Adsunt continuo sedi-

tiosi. nefario nidore pertracti, minanturque mortem, nisi quod paraverat proferret. At illa cum partem illis bonam servasse se diceret, nati reliquias aperuit. Tum illos statim horror mentisque stupor occupavit, et ad talem aspectum quasi ænei defixi steterunt. Illa vero, Meus, inquit, est filius genuinus, opusque meum. Comedite, nam et ipsa comedi : ne sitis vel muliere molliores, vel matre misericordiores. Quod si vos pietatem colitis, hostiamque meam aversamini : ego quidem dimidium manducavi, quodque reliquum est mihi maneat. Post hæc illi quidem trementes exierunt, hac una tantum in re timidiores, eamque vix escam matri concedentes. Tanti statim facinoris fama urbs tota repleta est, ac præ oculis singuli eam calamitatem ponentes, non secus ac si ipsi fecissent exhorrescebant. Qui fame cruciabantur mortem expetebant, beatosque prædicabant eos, qui hac re nondum audita, hisque non conspectis malis decesserant. Cito ad Romanos perlata est hæc calamitas : ex iis alii non credebant, alii miserabantur, plurimi vero in majus gentis odium exarserunt[1]. »

VI. Hæc multoque his atrociora patiebantur, non modo quia Christum cruxi affixerant, sed quia post hæc Apostolos ea loqui prohibebant, quæ ad salutem nostram pertinerent. Quod sane beatus Paulus crimini dans, hæc illis mala prænuntiavit, « Pervenit enim super eos ira in fi» nem[1]. » Et quid hæc, dicent, ad nos? Non enim illos a fide abducimus, neque a prædicatione. At quid, quæso, fides conferet emolumenti, si vita pura non fuerit? Verum hæc vos forte ignoratis, quibus nostra omnia ignota sunt. Ego autem vobis Christi sententias enumerabo : observetis velim nunquam ne de vita requiratur, sed pro fide tantum et dogmatibus supplicia constituta sint. Cum enim in

[1] Joseph de Bello judaico, lib. VII, c. 7 et 8. — [1] I Thess. II, 16.

montem ascendisset, videns innumeram circumfluentem multitudinem, præmissis aliis monitis dicebat : « Non » omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in reg- » num cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei. » Item, « Multi dicent mihi in die illa, Nonne in nomine tuo pro- » phetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in » nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor » illis: Recedite a me qui operamini iniquitatem : non novi » vos[1]. » Eum vero qui audit sermones ipsius, et non facit, similem esse dixit homini fatuo, domum suam super arenam ædificanti, qui eam fluminibus, pluviis et ventis facile diruendam parat. Item cum in alio loco concionaretur : sicut, inquit, piscatores, cum sagenam traxerint, malos pisces abjiciunt[2]; ita erit in illa die, Angelis eos omnes qui peccaverint, in fornacem jacientibus. De flagitiosis quoque et impuris hominibus loquens dicebat: « Et illuc abibunt, ubi vermis qui non moritur, et ignis » qui non extinguitur[3]. » Et rursum, « Rex, inquit, fecit » nuptias filio suo, et cum vidisset hominem vestitum ves- » tibus sordidis, ait ad eum : Amice, quomodo huc intrasti » non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc » dixit ministris suis : Ligatis manibus et pedibus ejus, eji- » cite illum in tenebras exteriores[4]. » Impudicis, ut dictum est, et flagitiosis hæc comminatur. Virgines item, quæ a sponsi thalamo exclusæ fuerant, ob crudelitatem et inhumanitatem hæc passæ sunt. Alii rursus eadem de causa eunt in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus. Et ii quoque, qui temere et sine causa loquuntur, condemnabuntur. Ex verbis quippe tuis, ait, justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis[5]. Ergo-ne tibi videmur frustra de vita timere, magnamque ejus philoso-

[1] Matth. vii, 21-23. — [2] Id. xix, 47. — [3] Marc. ix, 42. — [4] Matth. xxii, et seqq. — [5] Id. xii, 37.

phiæ partis, quæ mores instituit, rationem habere? Id certe non puto: nisi fortasse Christum hæc omnia hisque plura temere dixisse jactites. Non enim hic omnia complectimur: quod nisi pigeret orationem prolixius extendere, et ex Prophetis, et ex beato Paulo, et ex aliis Apostolis docuissem quantam hac in parte curam posuerit Deus. Verum hæc arbitror satis esse; imo nec illa solum omnia, sed vel exiguam eorum partem. Cum enim Deus aliquid profert, etiamsi semel dicat, ita id quod dicitur accipiendum est ac si sæpe dixisset.

VII. Quid igitur, inquies; qui domi manent non poterunt ea perficere, quæ nisi perficiantur, tantum supplicii pariunt? Vellem equidem ipse, nec minus quam vos, imo multo magis, ac frequenter optavi monasteriorum necessitatem tolli, ac tantum leges et jura optima in civitatibus valere, ut nemini jam opus sit ad solitudinem confugere: quoniam vero omnia susdeque jam versa, ipsæque civitates, in quibus tribunalia et leges, ingenti iniquitate et scelere impletæ sunt; solitudo autem uberrimos philosophiæ fructus emittit; profecto non illi jure a vobis in crimen vocentur, qui alios ab hac procella et turbine liberari cupientes eripiunt, et ad tranquillum portum deducunt; sed potius illi, qui civitates singulas philosophiæ sic invias et parum idoneas fecerunt; ut qui salutem consequi volunt, solitudines sectari cogantur. Dic enim mihi, si quis in nocte media arrepta face domum incendisset magnam hominibusque repletam, ut intus dormientibus insidiaretur; utrum diceremus improbum esse, eum-ne qui dormientes excitaret, ædibusque illis educeret; an eum qui ab initio incendium excitasset, et in tantam necessitatem tum eos, tum educentem illos redegisset? Quid igitur? Si quis tyrannide oppressam civitatem, ægritudine laborantem, et seditionibus agitatam videns, iis quibus

posset persuaderet, ut relicta civitate reciperent se ad montium vertices, iisque ad secessum adjumenta conferret, quem in crimen vocares? Eum-ne qui ab hujusmodi tumultu in tranquillitatem homines tempestate jactatos transtulisset, an eum qui naufragia ista præparasset? Cave enim putes meliore in statu res humanas jam esse, quam civitatem tyrannide oppressam; verum in longe deteriori. Non enim homo, sed dæmon quidam nequissimus, tanquam tyrannus immanis, cum tota sua phalange universum orbem occupans, in humanas animas grassatur: inde vero quasi ex arce quadam, execranda et scelerata quotidie præcepta hominibus emittit, non matrimonia dirimens solum, non pecunias mittens ferensve, non cædes perpetrans iniquas, verum his longe graviora, nempe conjunctam semel Deo animam ab ejus consortio abducens, tradensque impuris suis satellitibus, illisque ipsam substerni cogens, qui postquam eam semel apprehenderint, ita turpiter cum illa congrediuntur, ita contumeliose, ut par est facere nequissimos dæmonas vehementer ac cum furore perniciem ignominiamque nostram expetentes. Nudatam quippe illam omnibus virtutum indumentis, vitiorumque pannis amictam, sordidis, conscissis ac fœtidis, ipsa nuditate turpiorem constitutam, omnique propria sibi immunditia repletam non cessant contumeliis onerare. Neque enim ullam norunt execrandi et iniqui hujusmodi concubitus satietatem : sed ebriorum instar, qui cum se mero ingurgitaverint, tunc magis exardescunt; sic et hi quoque tunc maxime insaniunt, eique et vehementius et ferocius insultant, cum illa abusi sunt, confodientes eam semper ac mordentes, suumque in eam virus effundentes, nec prius desinentes, quam eam in suum statum transtulerint, vel corpore solutam viderint. Qua igitur tyrannide, qua captivitate, qua vastitate, qua

servitute, quo bello, quo naufragio, qua fame hæc non graviora fuerint? Quis tam crudelis, quis tam ferus, quis adeo stultus, quis adeo inhumanus atque immisericors, qui tot contumeliis et damnis affectam animam nolit ab execrando illo furore et ignominia, pro virili sua liberare; sed illam tam male affectam negligat? Quod si id est immanis atque lapidei animi, quo in loco, dic mihi, statuemus eos, qui præter illam negligentiam, aliud quiddam longe deterius agunt, cum eos qui ad pericula alacriter insilire parati sunt, quique non renuunt in ipsum belluæ guttur manus immittere, quinimo fœtorem et pericula subeunt, ut jam devoratas animas ex ipsis dæmonis faucibus extrahant; non modo non laudant, neque approbant, sed etiam expellunt undique et oppugnant?

VIII. Quid igitur, dicet quispiam, cuncti-ne, qui urbes incolunt periere, an fluctibus jactantur, an oportet urbibus relictis et in deserta conversis, in sollicitudinem se transferant, et in cacuminibus montium sedes ponant? Et tu hæc jubes et hanc legem statuis? Apage, nam contrarium penitus, ut prius dicebam, volo, votisque omnibus exopto nos tanta frui pace, et malorum hujusmodi tyrannidem ita destrui, ut non modo iis, qui in urbibus degunt, non sit ad montes confugiendi necessitas; sed ut iis qui sollitudines incolunt, quasi quibusdam longo tempore fugitivis, ad suam urbem se recipere opus sit. Sed quid faciam? vereor ne, dum illos patriæ restituere studeo, nequissimorum dæmonum manibus tradam, neu dum illos a sollicitudine et fuga reducere cupio, a philosophia et tranquillitate omni excidere faciam. Quod si multitudinem civium proferens, illa tu mihi pudorem et metum incutere putes, ne totum orbem damnari patiar, assumpta Christi sententia, cum illa adversus hanc tuam objectionem stabo. Neque enim tam audax facinus admittes, ut etiam ejus,

qui nos judicaturus est, sententiæ obsistas. Quid igitur ille dicit? « Angusta est, inquit, janua, et arcta via, quæ » ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniant eam[1]. » Si vero pauci sunt qui inveniunt, sane longe pauciores, qui ad finem ejus pervenire poterunt. Neque enim omnes qui principium adierunt, ad finem ejus pertingere potuerunt; sed alii ipso statim initio; alii in medio, alii in ipso fere portu naufragium fecerunt. Rursumque multos ait esse vocatos, paucosque electos[2]. Cum itaque Christus majorem esse pereuntium partem dicat, in paucis vero salutem præfinitam esse asseveret, quid adversum me pugnas? Idipsum enim facis ac si de Noë ac de diluvio verba facientibus nobis admirareris, si omnes perierint, duo autem tantum tresve homines supplicium effugerint, cum hac ratione nobis os obstruere posse putas, ut non ausuri simus damnare multitudinem. Id sane nobis non persuadebitur, neque multitudinem illam veritati præferemus. Neque enim iis, quæ tunc contigerunt, minora sunt hodierna; sed multo deteriora, eoque magis, quo gehennæ comminatio intentatur, et ne sic quidem vitia exciduntur. Quis enim, quæso, fatuum non appellat fratrem? Illud autem gehennæ ignis facit obnoxium. Quis non impudicis oculis mulierem respicit? Hoc autem est consummatum adulterium; mœchum vero in eamdem gehennam incidere certum est. Quis non juravit? Hoc autem ex malo prorsus est: at quod ex malo est, supplicio haud dubie obnoxium. Quis non amico invidit unquam? Id vero ethnicis et publicanis pejores facit : eos autem qui illis deteriores sunt, non posse supplicium effugere nemini non notum est. Quis iracundiam omnem ex corde ejecit, et omnium, qui in se deliquerunt, peccata remisit? Eum autem qui non dimiserit, tormentis necessario tradendum

[1] Matth. VII, 14. — [2] Id. XX, 16.

esse, nullus eorum, qui Christum audierit, negaturus est. Quis non servivit mammonæ? Eum vero qui ipsi servierit, Christi servitutem abjecisse certum est, at qui Christi servitutem abjecit, propriam salutem haud dubie abnegavit. Quis non occulte maledixit? Hos autem vetus quoque Lex interfici jubet, et jugulari. Sed quæ consolatio in propriis malis? Quod omnes, ceu ex condicto, in nequitiæ barathrum decidant, quod ipsum ejus, qui nunc obtinet, morbi argumentum est maximum; cum scilicet id in malis solatium nobis affert, quod majoris doloris materia esse deberet. Neque enim multitudo in peccando sociorum, nos a criminibus et suppliciis eripit. Quod si quis ex iis, quæ supra diximus, in desperationem incidat, paulisper expectet, et tunc magis desperabit, cum his multo graviora dixerimus, qualia sunt perjuria : nam si jurare diabolicum est, juramenta conculcare quod nobis afferet supplicium? Si fatuum appellare, gehennam attrahit; sexcentis conviciis dehonestare fratrem, qui sæpe nihil nos læsit, quod non adducet supplicium? Si injuriarum meminisse tantum, punitione dignum est; etiam ulcisci, quantos cruciatus promeretur? Sed nondum de his agendum, hæc enim suo loco reservanda sunt. Ut enim alia omittam, hoc ipsum quod nos ad hæc scribenda impulit, nonne vel solum sufficit ad præsentis morbi pestem indicandam? Si enim propriorum sensu peccatorum non affici, sed sine ullo dolore scelera perpetrare, extremus malitiæ terminus est, ubi tandem novos istos legislatores, recentis hujus absurdissimæque legis auctores statuemus, qui majori cum fiducia virtutis magistros, quam alii malitiæ repellunt, eosque multo acrius oppugnant qui peccata emendare volunt, quam eos, qui ipsi peccaverunt? Imo potius eos, nec illibenter ferunt, nec criminantur; hos autem vix ferre possunt, quodam modo et verbis et operibus claman-

tes, nequitiæ mordicus inhærendum esse, atque ad virtutem nunquam redeundum; ita ut non modo eos, qui ipsi operam dant, verumetiam eos, qui vocem pro illa emittere audent, ulcisci oporteat.

LIBER II.

Ad infidelem patrem.

I. Satis quidem hæc erant, ut stupor et horror incuteretur [1]. Quod si quis circa eos propheticum illud proferat, « Obstupuit cœlum super hoc, et exhorruit terra vehe» menter; » itemque, « Stupor atque horrenda facta sunt » in terra [2], » opportune hujusmodi omnia dicat. Quod autem his longe gravius est, non modo alieni quidam, et nullo iis quibus consulitur propinquitatis jure conjuncti, ita indignantur et ægre ferunt; verum ipsi consanguinei et parentes super his irasci didicerunt. Tametsi non ignoro complures esse, qui patres id agere non admodum stupent: suffocari autem se dicunt, ac iracundia incendi, cum videant eos, qui neque patres sunt, neque amici, neque consanguinei, neque alia ex parte necessarii, imo sæpe ignoti iis, qui philosophari instituunt, hoc ipsum pati, ac plus, quam ipsi patres dolere, oppugnare, et in crimen vocare eos, qui hujus propositi auctores ipsis fuere. Mihi vero quod oppositum est mirum esse videtur. Eos enim qui nullo vel tutelæ vel amicitiæ jure tenentur, alienis in bonis angi, non mirum videatur esse, utpote par-

[1] Vide D. Guillon, tom. XVIII, p. 251-252. — [2] Jerem. II, 12, et V, 30.

tim invidia correptos; partim vero præ malitia sua aliorum perniciem felicitatem esse suam arbitrantes; misere id quidem et infeliciter, arbitrantes tamen: quod autem ii, qui genuerunt, qui educaverunt, qui quotidianis votis exoptant natos suos se ipsis præclariores videre, qui ea de causa cuncta faciunt et patiuntur; eos ceu quadam ebrietate correptos, repente mutari et angi de philosophiæ studio a filiis suscepto; illud est quod ego maxime omnium admiror, illud ego argumentum esse puto idoneum, quod omnia corrupta perditaque sint. Hoc elapsis contigisse temporibus nemo dixerit, ne tum quidem cum palam dominaretur error. Ac semel quidem accidit in civitate græca, sed quam tyranni occupabant: neque tamen tunc parentum aliquis, ut nunc, sed qui arcem occupaverant; nec quidem omnes, verum qui horum erat flagitiosissimus, accersitum Socratem jubebat a philosophiæ doctrina absistere. At ille quidem, tyrannus, infidelis et sævus, qui ad evertendam rempublicam cuncta moliebatur, alienisque in malis gloriabatur, gnarus nihil perinde atque talem jussionem optimum reipublicæ statum posse pervertere, hæc ausus est. At hi fideles, et in bene institutis civitatibus degentes, liberisque suis consultum cupientes, hæc eadem loqui audent, quæ tyrannus ille circa subditos suos, nec erubescunt. Quare hi qui sic indignantur, magis quam illi, admiratione digni sunt. Idcirco et ego illos missos faciens, hos qui imprimis curam filiorum gerunt; imo potius gerere debuerant, non autem gerunt, leniter et summa cum moderatione alloquar; ab illis impetratum cupiens, ut non moleste ferant, nec indignentur, si quis se ea quæ ipsorum filiis expediunt melius nosse dicat, quam iidem ipsi. Neque enim sufficit filium procreasse, ut possit nato parens congruentem institutionem dare; sed procreatio multum confert ad prolis amorem; ad ejus

vero idoneam educationem et disciplinam neque procreatio, neque amor satis sunt. Nam si hoc esset, nullus hominum patre melius nosse posset quidnam esset filio utilius, quandoquidem nemo est qui possit illo magis filium amare. Nunc vero patres se illud ignorare gestis suis confitentur; cum ad magistros ducunt, cum pædagogis tradunt, cum innumeros consiliarios adhibent, ut sciant cui vitæ instituto filius tradendus sit. Neque mirum illud est, sed quod cum de filiis consultant, aliorum sententiam, sua sæpe repudiata, amplectantur. Ne itaque moleste nos ferant, si dicamus nos melius nosse quid illis conveniat; sed nisi id certa ratione probaverimus, tunc accusent; tunc probris impetant ut arrogantes, ac corruptores totiusque naturæ inimicos.

II. Quonam ergo modo illud manifestum erit, aut qua ratione sciemus, quisnam sit qui quod consentaneum est videat, quisnam id quidem scire videatur, nullatenus vero sciat? Si dicta mea, ceu quasdam objectiones ad examen descendere ac congredi cogentes, incorruptis judicibus hæc disquirenda permittamus. Lex itaque certaminis nos adversus Christianum ad pugnam exire jubet, atque cum illo tantum pugnare, nihilque amplius requirit a nobis. « Quid enim mihi de iis etiam qui foris sunt judicare[1]? » ait beatus Paulus. Verum quia plerumque contingit, multos ex iis, qui ad cœlum pertrahuntur, infidelibus patribus natos esse, etiamsi lex certaminis nos a pugna cum his ineunda liberos sinat, sponte tamen ipsi et alacriter istos primos aggredimur. Atque utinam adversus hos tantum nobis certamen esset, quanquam hoc difficile sit, plurimasque ansas habeat. « Animalis enim homo non per» cipit ea, quæ sunt Spiritus, stultitia quippe est illi[2]. » Idem porro nunc contingit ac si quis vellet ad amorem

[1] 1 Cor. v, 2. — [2] Id. II, 14.

regni aliquem inducere, qui nondum crederet rem ipsam existere. Attamen rebus nostris sic in angustum redactis, adversus istos tantum certamen mihi esse cuperem. Nam adversus fidelem argumenta suppetunt quamplurima, etsi tantæ copiæ voluptatem obscuret verecundiæ magnitudo. Pudet enim me quod adversus hunc pro his pugnam committere cogar : vereorque ne hoc solum crimen Gentilis jure mihi possit objicere : nam in reliquis illum ope divinæ gratiæ facile capiemus : atque si voluerit grato animo procedere, cito illum non modo ad amorem hujus vitæ traducemus, verum ad ipsius quoque doctrinæ desiderium, a quo vita hæc argumentum et initium ducit. Tantum enim abest ut certamen adversus illum subire metuam, ut cum expugnatu difficiliorem mea oratione constituero, tum demum pugnam aggrediar. Fingamus enim patrem hujusmodi non modo gentilem esse, sed præ omnibus hominibus divitem, insignem, potentia singulari præditum : habeat agnos plurimos, ædes multas, auri innumera talenta. Sit insuper regia patria, illustrissimo genere, filios alios neque habeat, neque se habiturum speret; sed ex hoc solo pendeat. Imo et ipse sit summæ spei, atque ad imperia mature ascensurus, patremque splendore superaturus expectetur, omnibusque vitæ commodis longe anteiturus. Tum vero in medio tantæ spei accedat aliquis, deque hac philosophia verba faciens, persuadeat ei ut spretis omnisbus vestem se rusticam induat, ac relicta urbe ad montem confugiat : ibique plantet, riget, aquam ferat, cæteraque monachorum faciat opera, quæ vilia et indigna esse videantur. Sit præterea nudis pedibus, humi cubet : efficiaturque macer et pallidus formosus ille olim adolescens, qui tantis antea in deliciis honoribusque degebat, tantæque spei erat, vilioríque quam servi sui veste induatur. Num satis multas accusatori dedimus ansas, an

satis adversarium instruximus? Si hæc non satis sint, alia quoque suppeditemus. Præterea omnes moveat machinas pater, ut filium a proposito deducat; sed incassum, utpote cum ille supra petram collocatus sit, ac fluminibus, pluviis et ventis cedere non norit. Lugeat item pater atque lacrymas emittat; ita ut indignationem omnium contra nos incendat : universos frequenter adeat ut nos in crimen vocet : Genui, educavi, ætatemque omnem in ærumnis contrivi, cuncta agens et patiens, quæ ex hac liberorum educatione accidere solent : spem habui optimam, pædagogos allocutus sum, magistros obsecravi, pecunias impendi, vigilavi sæpe curam gerens de ornatu, de institutione, ut majorum suorum nemini inferior esset, ut omnibus appareret illustrior : expectabam hunc senectuti meæ solatio fore : processu temporis de uxore et de matrimonio cogitabam, de imperio, de magistratu; cum derepente ceu fulmen et procella nescio unde irruens, pretiosissimam navem, multis sarcinis refertam, latumque pelagus emensam, secundo vento navigantem, cum jam portum attingeret, prope ipsum ostium demersit : metusque ingens adest, ne non modo extremam paupertatem, sed etiam miserabilem mortem ac perniciem, viro tantis divitiis instructo sæva tempestas afferat. Sic profecto mihi nunc contigit. Namque execrabiles illi, corruptores, seductores (hæc enim dicat, nihil illi succensebimus) tantæ spei filium, senectutis meæ nutritium, ceu quidam prædones in latibula sua abduxere : adeoque illum suis carminibus excantaverunt, ut malit adversus ferrum, ignem, belluas, adversus omnia denique stare, quam ad priorem fortunam remeare. Quodque gravius est, postquam hæc illi persuaserunt, melius se quid utile sit scire profitentur, quam nos. Desertæ jam domus, deserti agri : ipsi agricolæ ac servi tristitia ac pudore pleni : exultant in malis

meis inimici, ac pudore operiuntur amici. Apud me autem nulla sententia obtinet; nisi ut subjectis ignibus, cuncta simul exuram, ædes, agros, armenta boum, greges pecorum. Quo enim mihi usui hæc jam erunt, cum ille non adsit cujus usui hæc parata erant, captivus scilicet abductus, atque apud immanes Barbaros servituti addictus omni morte acerbiori? Domesticos omnes pullatos incedere jussi, aspersi cinere capita, mulierum choros institui, jussique amarius plangere, quam si mortuum vidissent. Date veniam hæc facienti mihi : hic mihi luctus longe illo major : jam mihi lux ipsa molesta est, ipsosque solis radios ingrate suspicio, cum in mentem venit infelicis filii habitus; cum illum vilissimis agricolis inhonestius vestitum cerno, atque ad abjectiora opera missum; cum immobile propositum ejus considero, uror, laceror, disrumpor.

III. Hæc dicens, provolvatur etiam audientium pedibus, aspergat cinere caput, deturpet pulvere faciem, omnesque precetur ut porrigant manum, canos vellicet. Satis puto diligenter accusatorem instruximus, ad inflammandos auditores omnes, incitandosque, ut horum auctores per præcipitia agant. Idcirco enim supremas omnium accusationes verbis expressi, ut hoc ita comparato accusatore per divinam gratiam prostrato, ex reliquis nemo postea mutire valeat. Nam eo, cui hæc omnia simul competunt, ad silentium redacto, qui non omnia simul habebit; neque enim fieri potest, ut hæc omnia concurrant; facile nobis victoriam concedet. Hic itaque ista, et his plura etiam, loquatur. Ego vero judices orabo, ne statim misereantur senis hujus; sed postquam ipsum ostenderimus filium lugere, nihil mali perpessum, verum maximis potitum bonis, quibus excellentiora reperiri non possunt. Tunc enim profecto miseratione et lacrymis

dignus existimandus est, cum nati felicitatem conspicere non possit, tantumque absit ut illam videat, ut tanquam in summis ejus malis lamentetur. Quodnam ergo erit nostræ orationis exordium? Ab ipsis opibus ac pecuniis, quandoquidem id ille maxime omnium deplorat, idque ipsi videtur acerbissimum, si divites filii ad hanc vitam pertrahantur. Dic ergo mihi, utrum omnes beatum dicimus et plane felicissimum, eum-ne qui in siti semper æstuat, quique antequam priorem calicem sorbuerit, rursus alio indiget, atque semper in hoc perseverat statu, an eum, qui superior hac necessitate constitutus, sine siti semper manet et nunquam ad hujusmodi potationem pellitur? Nonne ille quidem febri correpto similis est, qui violentissima necessitate premitur, etiamsi ex fontibus uberrimos latices haurire possit; hic vero liber est vera libertate, et sanus perfecta sanitate, ipsamque naturam superat humanam? Quid vero? Si quis mulierem amans, cum ea congrederetur jugiter, sed majore post concubitum flagraret ardore; alius vero staret hac insania liber, ac ne in somniis quidem hoc malo caperetur, quis nobis felix beatusque videretur? Nonne hic? Quis autem infelix ac miserrimus? Nonne ille, qui hoc vano amore tenetur, qui nunquam possit extingui, imovero qui excogitatis remediis multo magis incenditur? Sin autem præter ea quæ dicta sunt ex ipso morbo se beatum dicat, nec velit ea necessitate liberari, quemadmodum is de quo nunc agitur, nonne hinc quoque miserabilior erit atque infelicior, cum non tantum ægrotet, sed ne hoc quidem sciat, quod æger sit, ideoque nec ipse liberari velit, quinetiam eos qui liberati sunt lugeat? Orationem itaque hanc ad pecuniarum possessionem referamus, et videbimus quis infelix, quis miser sit: inter illos quippe amores hic vehementior, hic insaniæ propior est, ideoque majorem po-

test dolorem afferre; non idcirco tantum quod faces habeat acriores, sed quod excogitatæ cuilibet consolationi cedere non valeat, sitque illis omnibus potentior. Potius enim qui potum et corpora amant, postquam his potiti fuerint satietate gaudebunt, quam ii qui insano divitiarum amore feruntur. Quocirca illos quidem nostra oratione effingere necesse fuit, quod non statim eorum documentum et experimentum appareat: hujus vero morbi ex rebus ipsis multa possumus exempla proferre. Ideo-ne, dic quæso mihi, filium luges, quod tanta vesania, quod tam desperato morbo liber sit, quod incurabili amore non teneatur? Quod hoc bello et pugna ereptus sit? At id nunquam ille passus fuisset, inquies, neque plura concupivisset, sed fuisset præsentibus bonis contentus. Sane rem dicis ipsi naturæ, ut ita loquar, contrariam. Verum sic esto, id tibi jam concedatur, ut iis, quæ haberet, nihil vellet adjicere, nec ullo unquam hujusmodi desiderio teneretur: ego sic quoque illum majori nunc in quiete ac voluptate commorari monstrabo. Quid enim levius esse censebimus, tantis-ne curis implicari, ejusmodique custodiæ ac servituti obstrictum esse, metuereque ne quid rei familiaris pereat; an vero his vinculis expediri? Concedatur illum alias sarcinas non appetere: at multo melius est jam impositas despicere. Nam si, ut in confesso est, plurimis non indigere maximum est bonum; extra omnem rerum usum esse, majoris profectò felicitatis erit. Is enim qui neque sitit, neque amat, nihil enim impedit quominus ad eadem exempla redeamus; non modo iis qui semper sitiunt, et semper amant; sed iis etiam, qui ad breve tempus hoc patiuntur, et concupiscentiam explent, longe beatior esse monstratus est, utpote qui in hujus necessitatis experimentum non inciderit. Percontabor te rursus, si divitiis ultra omnes eminere, iisque ta-

men malis eximi, quæ solent illæ parere liceret, annon sexcenties præoptares hac felicitate frui; ita ut non invidiam, non calumnias, non curas, non quidquam aliud ejusmodi patereris? Si igitur filium tuum hæc omnia habere monstravero, imo longe ditiorem nunc esse, finem-ne tandem facies lugendi tam amare? Sane quod solutus sit curis aliisque malis, quæ solent divitias subsequi, neque ipse negabis; ideo nos ad te de hac re verba facere necesse non est. Quæris autem quomodo ille te sit opulentior, qui tam multa possides. Hoc te docebimus, demonstrabimusque te, qui ipsum in extrema nunc paupertate degere arbitraris, hoc ipsum pati, si cum illo compareris.

IV. Neque putes me de cælestibus bonis loqui, deque iis quæ post hanc vitam advenient, ex iis enim quæ sunt in manibus argumentum ducam. Tu itaque eorum tantum quæ possides, dominus es : ille vero omnium quæ sunt in orbe terrarum. Si id non credis, age te ad illum adducamus, eique suadeamus, ut de monte descendens, imo potius illic residens, alicui ex iis, qui divites valde simulque religiosi sunt, mandet, sibi mittat tantum auri pondus, quantum ipse vis : sive quia id ille non pateretur, alicui indigenti dare jubeat; videbisque divitem alacrius obsequentem et erogantem, quam faceret unus ex dispensatoribus tuis. Hic quippe, cum aliquid jubetur impendere, tristis ac mœrens id facit; contra ille cum non impendit, tunc anxius est ne in aliquo offenderit, quod sibi nihil hujusmodi imperetur. Multos certe tibi possem ostendere, non ex illustrioribus his, sed ex humilioribus quoque, qui hac tanta potestate sunt præditi. Ac tu quidem si œconomi sibi credita absumpserint, alium non habes a quo petas; sed statim per illorum nequitiam divitiæ tuæ in paupertatem mutabuntur. A filio autem tuo nihil est ejusmodi

metuendum : nam si hic in paupertatem incidat, rursum alteri imperabit; sin is quoque simile passus sit, ad alium se convertet : prius denique deficient fontium latices, quam qui nato tuo obtemperet imperanti. Quod si nobiscum in religione concordares, multa tibi similia et magna narrassem; verum quia te gentilem profiteris, ne hinc quidem exempla deerunt. Audi (apud Platonem,) quid ad Socratem loquatur Crito : « Tuæ sane sunt meæ pecuniæ, ut equidem reor, satis multæ : sin vero tu, quod mei curam geras, a re mea tibi abstinendum censeas; hi qui astant hospites impensis parati sunt. Intulit quippe in hoc ipsum pecuniam ingentem Simmias Thebanus : paratus est Cebes quoque, alii item multi. Itaque, ut antea dicebam, nullo horum metu fractus, salutem cura tuam. Neque vero id, quod in judicio dicebas, molestiam tibi pariat, quod scilicet profectus non haberes quo te ipsum verteres. Multis enim et aliis in locis, quocumque proficiscare, amabunt te plurimi. Sin autem velis in Thessaliam pergere, sunt mihi plerique illic hospites, qui te plurimi facient, et tutum omnino præstabunt : sic ut nihil tibi in Thessalia desit. » Quid hac opulentia jucundius? Verum hæc quidem, ut ad sæcularem hominem sint dicta. Quod si modo ad philosophiam accommodatiore opes discutere velimus, tu fortasse non assequeris intellectu, mihi tamen propter judices necessario dicendum est. Tantæ enim sunt virtutis opes, adeoque vestris dulciores et optabiliores; ut qui has habuerint, ne universam quidem terram, etiamsi illa aurum fieret cum montibus, mari et fluminibus, commutare cum illis voluerint. Ac si id fieri posset, experimento certe didicisses, nos non jactantiæ verba loqui : sed majores quoque illi divitias nacti spernerent, et nunquam prorsus cum istis illas commutarent. Et quid ego dico, commutarent; ne cum illis

quidem has habere vellent. Certe si quis vobis cum pecuniis virtutis conferret opes, supinis eas manibus susciperetis : adeo ipsi quoque eas divitias et magnas et admirabiles esse confitemini. At hi ne cum suis quidem opes vestras habere voluerint, ita rem esse spernendam norunt. Atque hoc ipsum rursus exemplis vestris perspicuum faciam. Quantum enim pecuniarum Alexandrum Diogeni daturum fuisse putas, si quidem ille voluisset accipere? Ille vero noluit. At Alexander viribus totis contendebat, cunctaque moliebatur, ut ad hujus divitias propius accederet.

V. Vis-ne aliunde quoque et tuam inopiam, et filii tui opes cognoscere? Illum adi, ejusque pallium, quod solum habet illi aufer : educ item ex latibulo, ejusque tugurium destrue : ne sic quidem illum indignantem aut ægre ferentem videbis; verum tibi horum gratias reddet, tantoque majores, quanto magis illum ad philosophiam impellis. Tibi vero si quis vel decem drachmas abstulerit, lugendi lamentandique finem non facies. Uter ergo dives existimandus est? Is-ne qui vel de minimis excruciatur, an qui omnia simul despicit? Neque id tantum facias, verum ex tota regione exturba illum : et ridentem videbis quasi de ludente puero. Te vero si quis ex patria solum exturbet, acerbissima patieris, neque illam calamitatem ferre poteris. Ille autem, quippe terræ marisque dominus, ita facile et sine mœrore ex his locis ad alia migrabit, ut tu facis, cum per agros tuos incedis; imo etiam facilius. Nam tibi etsi per tua incedere liceat, per aliena tamen necessario incedendum est : at vero terram ille omnem suam obambulat, eique potum undique largissimum suppeditant stagna, amnes, fontes : cibus ipsi sunt olera, herbæ, panes multis ex locis advecti. Nondum enim id dico, quod terram ipse omnem aspernetur, habens civitatem cœlum.

Quod si moriendum fuerit, lætius feret obitum, quam delicias vestras : ac præoptabit ita mori, quam vos in patria et lecto : ita ut ille vere sit vagus, fugitivus et palabundus, qui urbem incolit, et in domo habitat ; non autem qui his omnibus liber evasit. Nunquam enim illum de patria poteris educere, nisi cum ex universa terra dejeceris : ita enim interim loquamur. Nam si vere loquendum sit, tunc cum maxime in patriam remittes, cum ex terra deduxeris. Verum id nondum ad te loquemur, qui nonnisi ea quæ oculis perspiciuntur nosti. Neque nudum eum poteris ostendere, donec virtutis indumentis amictus fuerit, neque fame necabis, quandiu qui sit verus cibus agnoverit. Sed his omnibus divites facile capiuntur : quamobrem hac ratione non aberrabit, qui hos quidem pauperes ac prorsus inopes dixerit ; illos autem admodum locupletes. Nam cui cibus, potus, domus, requies ubique suppetit, nec modo non moleste fert, sed etiam in his jucundius, quam vos in vestris, versatur ; is, ut liquet, opulentior est omnibus vobis divitibus, qui domi tantum hæc invenire potestis. Quocirca nec de inopia ille unquam lugebit. Neque enim ex hac rerum copia et voluptate tantum divitiæ istæ præstantiores sunt ; sed etiam quod insuperabiles sint, nec in paupertatem unquam cadere possint, neque iis præditi subjecti sint futuri incertitudini, non curis angantur, non livore capiantur ; sed admirationem omnem, et laudem et famam obtineant. Atqui in vobis contraria penitus videntur : non modo enim vos alii de divitiis non laudant ; sed etiam oderunt et aversantur : invident item vobis atque insidiantur plurimi. Hic autem quod veris divitiis locuples sit, ideo maxime admirationi est, nec invidia aut insidiis appetitur. Ad corporis vero valetudinem uter aptior ? Nonne is agrestium instar animantium vegeto corpore est, utpote qui purissimo fruatur aëre, fluentis salubri-

bus, floribus, pratis, odore gratissimo; hic vero quasi in cœno jacens, et mollior est et morbis magis obnoxius? Quod si in sanitate primas ille teneat, in voluptate non minus, ut liquet. Utrum enim magis existimas in deliciis agere, eum-ne qui super altissima recumbit herba, pone fontem limpidum, sub umbra densarum arborum, oculumque pascit aspectu, purioremque ipso cœlo animum possidet, a rerum perturbatione ac tumultu longe remotus; an eum qui domi inclusus manet? Sane non aëre puriora sunt marmora, neque umbra tecti frondeis umbris gratior neque lapilli solo variis operto floribus amœniores. Atque horum vos divites testes estis, qui, si fieri posset, in ipsis tectis arbores habere cuperetis, et pratorum amœnitatem malletis, quam aurea tecta, parietesque mirabiles. Quamobrem cum ex multis laboribus recreationem accipere vultis, his relictis ad illa properatis. Verum fortasse pro gloria conquereris illa magna atque ingenti, quæ hic noncomparet. Regiam enim solitudini conferens, atque utriusque status spem mutuo comparans, de cœlo ipso filium tum decidisse arbitraris. Id igitur primo discendum est, quod neque solitudo ignobilem, neque regia clarum faciat et illustrem : atque antequam ad rationes veniamus, exemplis te ab hac suspicione liberabo; exemplis, inquam, non nostris, sed vestris. De Dionysio forte audisti Siciliæ tyranno, itemque de Platone Aristonis filio. Uter igitur, dic mihi, insignior fuit? Uter canitur, et per cunctorum ora celebratur? Nonne philosophus magis, quam tyrannus? Atqui ille quidem Siciliæ totius potiebatur, atque in deliciis degebat, ingentibus divitiis, satellitum agminibus stipatus, ac cum reliquis potentiæ insignibus diuturnam vitam gessit; hic autem in Academiæ horto versabatur, rigans, inserens, olivasque comedens, ac vilissimam apponens mensam illo omni vano splendore va-

cuus. Et hoc non usque adeo mirabile est; sed quod servus effectus, tyrannique jussu venditus, tantum abfuit ut illo propterea vilior appareret, ut ipsi quoque tyranno hinc visus sit admiratione dignus. Tanta res est virtus! Non per ea modo, quæ agit; sed per ea etiam, quæ indigne patitur, nec se ipsam, nec eos qui ipsam exercent, latere sinit et occultari. Quid vero præceptor ejus Socrates? Quanto is Archelao fuit illustrior? At ille, rex cum esset, in plurimis opibus degebat; hic autem in Lyceo morabatur, nihilque præter vestimentum unum habebat, quo et hyeme et æstate, omnibusque anni tempestatibus utebatur: nudis semper pedibus vixit, ac sine cibo totam transigebat diem, pane solo contentus, atque id erat ei et opsonium et esca: nec istam quidem mensam ex rebus suis apparabat, sed ab aliis accipiebat, extrema scilicet in paupertate degens. Adeoque tamen ipso rege clarior erat, ut ab illo frequenter invitatus, nollet Lyceo dimisso ad illius opes proficisci. At ex ea quoque, quæ nunc obtinet, opinione, quæ potiora sint apparet: namque horum quidem nomina plurimis nota sunt; illorum vero nemini. Sinopensis autem (Diogenes) alius philosophus tanto et his, et aliis innumeris regibus opulentior erat, etsi pannis laceris vestitus, ut Alexander Philippi Macedo exercitum in Persas ducens, ubi illum vidit, omnibus dimissis ad eum pergeret ac rogaret ulla-ne re indigeret, et an aliquid juberet. Ille vero nihilo se egere respondit. Num jam exemplorum satis habes, an vis alia quoque memoremus? Nempe isti non modo iis, qui in regia insignes fuere, sed ipsis quoque regibus fuere clariores, cum privatam quietamque vitam delegissent, neque ad rempublicam ullatenus se conferre voluissent. Sed enim in ipsa quoque reipublicæ administratione, non illos claros fuisse deprehendes, qui divitiis, deliciis, et facultatibus instructi

erant; sed eos, qui in paupertate, simplicitate, et moderata vita degebant. Apud Athenienses Aristides, quem defunctum civitas sepelivit, Alcibiade, qui opibus, deliciis, orationis vi, corporis robore, nobilitate cæterisque omnibus præstabat, tanto clarior erat, quanto vili aliquo puerulo philosophus mirabilis. Apud Thebanos Epaminondas, in concionem vocatus, cum propterea eo se conferre non posset, quod vestem lavandam curaret, nec aliam haberet qua indueretur, omnibus tamen, qui eo convenerant ducibus præstantior erat. Ne itaque mihi solitudinem jactites, aut regiam. Neque enim in locis claritas et splendor, non in vestibus, non in dignitate, non in potentia; sed in virtute tantum ac philosophia[1].

VI. Verum quia exempla non tantam vim habent, ab ipso filio tuo rem discutiam. Illum quippe inveniemus non modo nunc clariorem, sed etiam ex iisdem ipsis rebus honoratiorem, quibus tu illum et vilem et ignobilem esse dicis. Nam si vis persuadebimus illi ut de monte descendat, et in forum irrumpat. Videbisque statim totius civitatis in illum ora converti, cunctosque eum demonstrantes cum admiratione ac stupore, ac si Angelus quidam de cœlo descenderit. Ecquid aliud tibi videtur esse gloria? Sane non iis modo, qui in regia versantur, sed ipso quoque, qui diademate redimitus est, illustrior erit cum illa vili atque conscissa veste. Neque enim tantæ admirationi omnibus esset, si vestibus operiretur aureis, imo si ipsa purpura, ipsaque corona ornatus esset, et si stratis insideret sericis, si a mulis veheretur, aurata satellitum turba comitatus; ut modo est squallore et sordibus obsitus, crassoque amictus indumento, nullo comitatus assecla, nudisque pedibus incedens. Namque regii illi apparatus et legibus statuti sunt, et consuetudine recepti. Quamobrem

[1] Vide uniuscujusque historiam apud Cornel. Nep. apud Plut., etc.

si quis cum admiratione diceret imperatorem esse veste aurea vestitum, non modo non admiraremur, sed etiam rideremus, quippe cum nihil novi diceret. De filio autem tuo, si quis annuntiet eum, despectis paternis opibus, calcata sæculi pompa, spe mundana superiorem, in desertum se contulisse, vili putidaque tunica indutum esse; statim concurrent omnes, mirabuntur, atque laudabunt ejus magnitudinem animi. Certe cum imperatores innumeris impetuntur maledictis, nihil ipsis prosunt aureæ vestes, tantum abest ut eos mirabiles efficiant. Hic autem vel ex ipsis vestimentis multas admirationis ansas præbet ita ut amictus hujusmodi longe illum spectabiliorem faciat, quam faceret regius. Siquidem ex illo nemo imperatorem admiratur, hoc autem ille amictus vestitu omnibus admirationi et stupori est. Ecquid mihi, inquies, vulgi opinio et laudes conferunt? Certe gloria nihil aliud est. Sed hujus, repones, desiderio non teneor, potentiam et honores quæro. At qui laudant, etiam honorabunt. Sin tu potentiam et præfecturam desideras, eam non minus, quam priora, penes hos esse comperiemus : quod ipsum exemplis confirmare possimus, ad commodiorem te con solandi modum venimus, nec aliunde, quam ex ipso filio tuo rem excutiemus. Quodnam esse dicis summæ potestatis argumentum? Nonne ut possit quis mœrore afficientes ulcisci, et beneficos remunerare? Atqu i ᵊnc ne apud imperatorem quoque totam deprehendas. Namque multos habet sibi infestos, quibus vicem reddere non potest, multosque beneficos, quos non potest facile remunerare. Plerumque enim in bellis, infestos sibi hostes, qui se innumeris affecere malis, ulcisci cum vehementer cuperet, non potuit; amicisque qui magna fortitudinis indicia dederunt, paria rependere nequivit, quod illi fato præoccupati in ipso bello occubuissent. Quid si hac potentia, qua

ne ipsos quidem reges frui demonstratum est, aliam longe majorem filium tuum habere monstravero? Nemo me bona cœlestia modo dicturum putet, quibus tu non credis; non adeo promissorum oblitus sum; verum ex iis, quæ in hac vita fiunt, documenta afferam. Si enim ulcisci inimicos, ea suprema potentia est; multo plane majus erit, talem vitæ statum reperire, in quo nemo sit, qui etsi velit, nocere possit. Nam quod hoc sit illo majus, tunc magis constabit, cum ad exemplum aliud orationem reduxerimus. Dic enim, quæso, utrum præstantius, rei-ne bellicæ ita quempiam peritum esse, ut nemo, qui se vulneret, invulneratus effugiat: an ejusmodi esse corpore, ut quantalibet quisque agat, vulnerare non possit? Omnibus profecto constat hoc illo potius esse ac divinius. Neque illud tantum adest, sed quod illo longe superius est: quodnam illud est? Etiam medicamenta nosse, quibus vulnera curentur omnia. Tribus ergo potentiæ modis constitutis; primo quidem, ut possit quis injurias ulcisci; altero, qui et superior est, ut vulnera propria curare norit, neque enim omnino hoc illud sequitur; tertio, ut a nullo hominum lædi possit, quod naturam penitus excedit humanam: hoc postremum filii tui esse monstrabimus.

VII. Ne autem hæc verba strepitus inanis esse videantur, hac ipsa magna potentia rursus aliam majorem inter quærendum invenimus. Non modo enim non reperientur qui nocere possint, sed ne qui velint quidem; ita ut duplici ex parte tutus sit. Quid igitur hac vita divinius, in qua nemo nocere velit, nec si velit, possit: cum maxime nolle nocere non ex imbecillitate venit, ut in multis contingit, sed quod nulla reperiatur causa? Nam si id solum per se esset, scilicet non posse, non tanti esset. Odium quippe gigneretur maximum in iis, qui cum vellent, lædere non possent: non parvus autem est hic beatitudinis

modus. Ipsum ergo primum, si videatur, excutiamus diligenter. Quisnam eum lædere velit, qui nihil habet commune cum hominibus, non pacta, non agros, non pecunias, non negotia, neque aliud quidpiam? Pro qua villa cum illo contendet, pro quibus servis, pro qua gloria? Quidnam metuens? Quo lacessente? Siquidem aut invidia, aut metu, aut ira movemur, ut alios lædamus. At hic rege quovis potentior, omnibus superior est. Quis enim ei invidebit, qui hæc omnia irridet, pro quibus alii laborant et satagunt? Quis irascetur nihil læsus? Quis metuet, cum nullus sit suspicioni locus? Constat igitur ex his nullos esse qui ei nocere velint, quod autem ne si velint quidem, possint, et hoc similiter manifestum est. Nullæ enim sunt causæ aut occasiones, quibus eum aliquis cohibere possit; sed ut aquila sublime volans, passerum laqueis non capitur, ita et hic. Unde enim nocere ei possit aliquis? Pecuniæ non adsunt, ut mulctam comminetur : patriam non habet, ut exilium inferat; gloriam non concupiscit, ut dedecus inurat. Unum reliquum est, mors scilicet : sed hac maxime in parte eum affligere non poterit, imo juvabit maxime. Namque eum ad aliam transmittit vitam, ab se desideratam, cujus causa nihil non agit et operatur. Itaque illa laborum sibi finis erit, non pœna; sed sudorum solutio et requies. Vis-ne alium ejus potentiæ modum edicere, in philosophia longe præstantiorem? Etiamsi quis eum innumeris affecerit malis, etiamsi verberibus laniaverit, in vincula conjecerit, corpus pro natura sua læditur; animus vero, philosophiæ addictus, illæsus manet : neque enim iracundia capitur, non odio corripitur, non inimicitias exercet. Nondum ita magnum hoc est, sed longe mirabilius, quod eos, qui se ita vexant, sic diligit, ut beneficos, ut patronos, bonaque illis cuncta apprecatur. At tu quid ei unquam tale præstare potuisses, etiamsi

millies ipsum orbis terrarum regem constituisses, et ad decem annorum millia regnum ipsi prorogasses? Qua purpura, quo imperio, qua gloria non præstabilius est hoc bonum? Quid non impenderes, ut ejusmodi animum acciperes? Arbitror ego etiam eos, qui studiosius corpora curant, hanc vitam præoptaturos esse. Vis-ne aliunde quoque potentiam viri et mirabiliorem et jucundiorem videre, ex parte quidem humiliori petitam, tibi tamen summe gratam? Ea quidem quæ dicta sunt, eum nec capi nec violari posse comprobant. Quod autem alios moderaturus sit, eosque tutissimos constituturus, id fortasse quæris ediscere. Hoc porro est primum magisterium, ut alios ad idem studium adducat, et sic illos firmos fortesque constituat; sin vero illi nolint, terrenamque vitam sectari malint, hic quoque videbis majore te opulento potentia præditum eum, qui nihil habet, atque ideo maxime quod nihil habeat. Quis enim majore cum fiducia et potestate imperatorem alloquetur et increpabit? Tu-ne qui tanta possides, et propterea illius quoque servis obnoxius es, proque omnibus tremis, ansas vero illi innumeras præbes, si iratus te lædere velit; an hic qui illius manibus superior est? Hoc enim maxime genus hominum summa cum libertate regibus collocuti sunt, quotquot videlicet a sæcularibus negotiis se sequestrarunt. Cui vero facilius cedet et obtemperabit, qui est in potestate constitutus, et in regia versatur, tibi-ne qui dives es, quem ille pecuniarum causa crebro plurima facere suspicatur; an ei qui unam habet jussionum causam, nempe humanitatem erga alios? Quem honorabit, quem admirabitur, eum-ne de quo nihil abjectum suspicari potest, an eum quem servis quoque suis viliorem arbitratur? Sicut enim quoties aliquid pecuniæ impendendum est, illis potius obtemperant; ita etiam quoties jusserint alicui patrocinari.

VIII. Sin autem volueris, nihil ille per alios perficiat, sed per se ipsum omnia : ærumnosum aliquem et ad illum adducamus et ad te ; imo potius non ad te, sed ad ipsum imperatorem, tum videamus uter illi magis providere possit. Primusque ante alios adducatur, qui acerbissima omnium perpessus sit. Sit verbi gratia quispiam filium habens unicum, quem in ipso ætatis flore amittat. Hunc neque princeps, neque rex, neque alius quispiam consolari poterit, nedum tu : nihil enim tale ipsi dabis, quale amisit. At si ad filium tuum adduxeris, primo ipsum ex aspectu, ex habitu, ex domicilio statim eriget, ipsique persuadebit pro nihilo habere res humanas, tum oratione omnem mœroris nebulam facile fugabit. Tua vero ex domo luctum acerbiorem ille referet. Cum enim viderit eam malis omnibus expertem, multa felicitate refertam, hærede præsente, majori luctu æstuabit. Contra vero inde quietior evadet philosophiæque propinquior : cum viderit enim filium tuum tantas opes despicere, tantam gloriam tantumque splendorem, minus dolebit de morte filii. Quî enim discruciari poterit, quod bonorum hærede careat, cum viderit alium hæc omnia contemnere? Facilius item philosophiæ verba facientem audiet eum, qui operibus sermoni fidem facit? Tu vero si vel hiscere ausus fueris, eum mœrore ingenti replebis, utpote qui alienis in malis philosopheris. At ille, rebus ipsis eum erudiens, nullo negotio persuadebit nihil aliud quam somnum, esse mortem ; neque enim plurimos enumerabit patres eadem perpessos, sed se ipsum ostendet quotidie in corpore de morte meditantem, et ad eamdem semper paratum : atque hinc resurrectionis doctrinam probabiliorem efficiens, ita ab se dimittet, maxima mœroris parte exoneratum : multoque amplius valebunt ejus verba, rebus ipsis asserta, ad levandum animi dolorem, quam combibonum et parasito-

rum. Et hunc quidem ita sanabit. Adducatur autem ad eum et alius, si volueris, qui jugi ex morbo oculos amiserit: quid illi adjumenti afferre poteris? Verum ille ostendens non grave illud esse, in domicilio parvo inclusus, et ad aliam lucem properans, præsentemque si illi comparetur, non magni momenti esse ducens, erudiet eum ad calamitatem fortiter ferendam. An tu damnum perpessos ad philosophandum induces? Nullatenus: quin potius eis molestus eris. Namque tristitia nostra in proximorum secundis rebus diligentius animadvertere solemus. Tuus autem filius hos quoque facilius recreabit. Omitto precum opem, longe his omnibus majorem: ideoque omitto, quod tecum mihi nunc sermo sit. Quod si te propter filium honorari cupis, nec esse contemptui; verisimile est enim te id desiderare; nescio quo pacto id uberius consequi possis, quam cum filium habeas, qui naturam excedat humanam, quique in toto terrarum orbe clarissimus habeatur, ac cum tanto splendore nullum habeat inimicum. Nam illa vestra potentia præditus, multis honorabilis, plurimis odiosus fuisset: at hic omnes qui ipsum honorant, id cum voluptate faciunt. Nam si nonnulli infimæ sortis, ex vilibus orti rusticis et operariis, hanc ingressi philosophiam, adeo cunctis venerabiles fuere, ut nemo eorum, qui summis dignitatibus fulgebant, erubesceret proficisci ad illorum tugurium, ac colloquii eorum et mensæ consortes esse; quin ita affecti erant, ac si bonis maximis, quod verum erat potiti fuissent; multo sane magis id facient, cum viderint illustri genere ortum, splendidis facultatibus, tantæque spei juvenem, se ad eam virtutem contulisse. Itaque quod tu potissimum quereris, ex his eum ad illa transisse, hoc est quod maxime illum spectabilem facit, omnesque ut ad illum oculos vertant inducit, non quasi ad hominem, sed quasi ad Angelum. Neque enim quæ de aliis

opinari solent, de filio tuo suspicabuntur, quod scilicet honoris vel pecuniarum cupidine, vel insignis ex humili fieri cupiens, hanc elegerit viam. Hæc quippe de aliis dicta, etsi falsa et iniqua sint, in nato tuo ne suspicioni quidem locum dare poterunt?

IX. Neve putes hæc ideo contingere, quod imperatores piam religionem colant : etiamsi enim imperium decidat, et imperantes in infidelitatem labantur, tunc nati tui virtutes illustriores evadent. Non enim Gentilium more res nostræ se habent, neque illæ imperantium placita sequuntur : verum propria sua virtute consistunt, tuncque maxime splendent, cum maxime oppugnantur. Siquidem miles etiam pacis tempore spectatus est; at longe spectatior ingruente bello. Itaque Gentilibus imperantibus, majori erit honore clarus. Nam qui filium tuum nunc venerantur, multo amplius id facient cum præliantem viderint, majori utentem fiducia, plurimasque rem præclare gerendi occasiones habentem. Vis-ne illa etiam, quæ ad te spectant expendamus ; an vero id superfluum videatur? Is enim qui cæteris ita mansuetus et mitis est, ut querelæ ansam nemini præbeat, multo magis patrem summo habebit in honore, longeque amplius fovebit, quam si in sæculari fuisset magistratu : nam si magnum imperium obtinuisset, incertum est an patrem contemptui habiturus esset : nunc vero eam elegit vitam, qua imperatore ipso clarior, omnium humillimus erga te erit. Siquidem hujusmodi apud nos obtinet philosophia, ut ea, quæ contraria apparent, nempe modestiam et celsitudinem, in unam animam cogat. Et quidem in sæculo, utpote pecuniarum cupidus, tuum forsan optasset obitum ; nunc autem ut quam longissima tibi prorogetur vita precatur ; ut ex hoc etiam coronis clarioribus donetur. Non enim exigua merces nobis proposita est, si parentes ho-

noraverimus; sed jubemur eos pro dominis nostris reputare, verbo et opere colere, dum tamen in nullo pietas et religio lædatur. Quid enim tale, ut dicitur, ipsis reddes, quale ipsi tibi? Considera igitur, eum qui in cæteris omnibus virtutis apicem attigerit, quanta cum diligentia et accuratione par sit hoc officium exhibere. Nam etsi moriendum sit pro capite tuo, non recusabit; quippe qui non naturali modo lege te colit et honorat, sed præ omnibus propter Deum, cujus gratia cuncta simul despexit. Cum igitur ille nunc illustrior sit, opulentior, potentior et liberalior, et cum hac tanta animi magnitudine, magis servus tuus sit, quam antea, cur, quæso, ingemiscis? An quia quotidie non metuis, ne in bello cadat, ne imperatoris animum offendat, ne in commilitonum invidiam incidat? Annon et hæc et his etiam plura illustribus filiis metuunt patres? Quemadmodum enim qui puerum in sublimi loco statuerint, metuere coguntur ne decidat, ita et ii, qui filios ad insignem dignitatem provehunt. Sed quamdam habet voluptatem balteus, et chlamys, et præconis vox. Et hæc quot dierum spatio, dic mihi? An triginta, aut centum, aut bis totidem? Ecquid postea? Nonne quasi somnium, nonne ut fabula, nonne ut umbra, illa omnia transierunt? At nunc illi usque in finem honor iste permanet; imo magis post mortem, et quidem multo tunc cumulatius: atque hoc imperium nullus unquam ipsi auferret, quippe cum non ab homine id ille acceperit, sed a virtute ipsa. Sed voluisses eum pretiosa amictum veste, et equo vectum videre, famulorum stipatum multitudine, parasitos adulatoresque alentem. Cur ita velles? Num ut illi voluptatem ex his omnibus parares? Si itaque illum dicentem audias: forte quippe nobis non credes; tanto se vitam istam ea, quam degunt qui in deliciis vivunt, quique meretricibus, musicæ, parasitis, adulatoribus, et

lasciviæ se dedunt, jucundiorem existimare, ut malit millies mori, quam ei obtemperare, qui juberet hac dimissa voluptate ad illam se conferre, quid ad hæc dices? Num ignoras quantam voluptatem pariat vita negotiis vacua? Fortasse nec ullus id hominum novit, quippe qui eam vitam nunquam pure gustaverit. Cum autem et claritas adsit, et hæc quæ vix simul inveniri possunt, securitas et gloria, quid hac vita præstabilius sit? Verum, inquies, quid tu hæc mihi edisseris a philosophia remotissimo? Cur ergo natum quoque tuum ad eam accedere non sinis? Satis sit isto te damno affectum esse. Annon summum esse damnum arbitraris, quando ad extremam senectutem provecti, quia in primæva ætate nihil boni adepti istis, vos senectam moleste ferre? At ideo moleste ferimus, inquies, quod magna nobis commoda juventus tulerit. Quæ magna? Ostende senem, qui magna hæc commoda habeat. Si enim illa habuisset, et eadem perseverassent, non utique ut his orbatus omnibus ita lamentaretur; sin vero illa avolaverunt, et emarcuerunt, quomodo magna, quæ ita cito extincta sunt? Atqui non hoc filius tuus patietur, sed si ad longævam quoque senectutem pervenerit, non illum videbis hæc iniquo animo ferentem, ut vos facitis; sed gaudentem, gestientem et exultantem : tunc enim bona ejus magis florent et vigent. Vestræ autem divitiæ, etiamsi bona habeant innumera, in primo ætatis flore illa concludunt. Non item hæ divitiæ; sed id senectute manent, excedentesque e vita comitantur. Idcirco vos cum opes in senectute crescentes videtis, plurimæque vobis et gloriæ et deliciarum occasiones suppetunt, indigne fertis, quod ætas non sufficiat, ut eis frui valeatis. Ideo mortem perhorrescitis, vosque tunc maxime miserabiliores esse dicitis, cum re prospera estis. Contra ille tam maxime quietus erit, cum senuerit,

quippe qui ad portum properet, ac juventutem semper vigentem habeat, et ad senectutem nunquam vergat. Tu vero filium iis deliciis frui voluisses, quarum illum millies pœnituisset, ac de quibus in senectute doluisset. Verum absit, ut inimici quoque nostri his deliciis fruantur unquam. Ecquid senectutem memoro? Quandoquidem die uno voluptas illa omnis extinguitur; imo non die uno, non una hora, sed in brevissimo temporis momento. Quid enim est voluptas? Nonne ventri se dedere, sybariticas mensas parare, cum speciosis mulieribus congredi porcorum instar se in cœno volutantium?

X. Sed de his nondum loquamur: interim quid sit voluptas disquiramus, annon plane frigida et vilis sit: atque illam, si placet, primum inspiciamus, quæ jucundior videtur, nempe gulam. Dic, quæso, illius tempus, quotaque diei parte nos illa occupare possit; tanta certe, ut vix perspici possit. Nam simul ac quisque impletus fuerit, voluptatem extinxit: et ante satietatem, fluento citius transit, in ipsisque faucibus deficit, nec una cum cibis potest ingredi: statim enim atque linguam pertransivit, vim etiam amisit. Taceo reliqua mala, et quanta ex ista voluptate gignatur tempestas. Non modo enim jucundior qui ab illa abstinet, sed etiam levior, faciliusque recumbet, quam is qui satietate distenditur: « Somnus enim, » inquit, sanitatis in viscere moderato[1]. » Quid memoremus morbos, nauseas, calamitates, inanesque sumptus? Quæ ex his conviviis lites, quæ insidiæ, quæ damna pullulant? Verum suave est cum meretricibus congredi. Ecqua potest esse voluptas in tanta turpitudine? Sed hæc interim indagare omittamus, nec de amatorum pugnis loquamur, nec de rivalium contentionibus vel accusationibus: sed sit aliquis qui cum libertate obscœna illa libi-

[1] Eccli. XXXI, 24.

dine fruatur, neque rivalem habeat, neque ab amasia contemnatur, pecunias velut ex fontibus haustas impendat; etiamsi fieri nequeat ut hæc omnia simul conveniant. At ei qui rivalem non habiturus est, omnes facultates exhauriendæ sunt, ut largitate munerum alios omnes superet; rursumque eum qui inopiam devitat, a meretrice spernatur et respuatur oportet. Verum concedamus nihil ejusmodi fore, sed omnia ipsi ex sententia eventura esse, quam in his voluptatem nobis potes ostendere? Non enim in ipso congressus tempore apparet; sed qui coïtum explevit, voluptatem extinxit; qui autem adhuc in congressu est, non in voluptate egit, sed motu, aculeo et furore et fervore vehementi agitatur. Atqui nostra voluptas non hujusmodi est, absit. Sed animum omni perturbatione vacuum servat, nullamque agitationem inducit; sed puram quamdam servat integramque lætitiam, eamque gloriosam, quæ finem non habeat, longeque potentiorem ac vividiorem, quam vestra sit. Quod enim nostra sit jucundior, quam vestra, liquet: nam vestram metus abjicere potest: si enim imperator litteris mortem comminetur, ab ea voluptate maxima pars hominum absistet; nostram vero etiamsi quis sexcenties mortem inferat, non modo non persuadebit ut ea spernatur, verum irridebitur; adeo nostra violentior simul et dulcior, quam vestra est, nullaque prorsus est inter utramque comparatio. Ne itaque invideas filio, cum a fluxis bonis, quæ ne quidem existunt, ad ea quæ sunt et manent se confert; neque lugeas eum, qui beatissimus prædicandus est; sed is lugendus, qui non talis est, quique in præsenti vita quasi in Euripo circumfertur. Atque ut ad summam veniamus: etsi enim tu Gentilis es, hanc tamen nostram orationem suscipies. Audis sæpe Cocytos, et Pyriphlegethontas fluvios, et Stygis undam, et Tartarum tantum a terra

distantem, quantum hæc ipsa distat a cœlo, plurimosque suppliciorum modos. Etsi enim hæc ut erant enarrare non potuerunt Græci, utpote propriis moti ratiociniis, necnon traditionibus nostrorum male acceptis; attamen imaginem quamdam judicii acceperunt. Itemque invenies et poëtas et philosophos, et oratores atque omne scriptorum genus hac de re philosophantes. Audis autem et Elysium campum, et beatorum insulas, et prata et myrtos, et auram tenuem, odoremque suavissimum; choros item ibi commorantes, amictos stola candida, choreas agentes, atque hymnos quosdam canentes : ac universim malis et bonis post obitum repositam pro meritis retributionem. Quo putas igitur animi affectu vivere eos qui ejusmodi cogitationes versant, sive bonos, sive malos? Nonne alii quidem, etsi in præsenti vita degant sine mœrore, summaque cum voluptate, quasi quodam conscientiæ flagello, futurorumque malorum expectatione semper stimulantur; boni vero etiamsi malis innumeris vexentur, secundum Pindarum, spem habent, qua recreentur, quæ mala præsentia ipsos nec sentire sinit? Itaque in hoc quoque major hæc voluptas est. Multo enim melius est a temporeanis laboribus incipere, atque in infinitam requiem desinere, quam iis, quæ jucundissima videntur esse, breviter gustatis, in acerbissima et gravissima mala decidere. Cum autem ad hæc in confesso sit, hic etiam vitam illam esse jucundiorem, nonne, ut initio dicebam, miserandi sunt ii, qui de talibus bonis lacrymantur? Sane luctu dignus non est filius tuus, sed plausu et coronis, qui ad tranquillam vitam tutumque portum se recepit. At exprobrant tibi patres plurimi, quorum filii in præsenti sæculo versantur; et alii cum vident, tuam vicem dolent, irrident alii. Cur tu non eos magis irrides et deploras? Neque enim id attendendum est si nobis illudunt; sed si

jure ac merito : et si ita res se habeat, etiamsi illi non rideant, nos lugeamus; sin vero injuria id faciant, etiamsi omnes rideant, nos tamen beatos censeamus, illos vero lugeamus, utpote qui omnium infelicissimi sint, et nihilo insanis meliores. Insanorum quippe est, et ejusmodi morbo laborantium, illa ridere, quæ plurimis laudibus et coronis digna sunt. Dic enim, quæso, si de filio tuo saltatorum et aurigarum insaniam admirante, te omnes laudarent, ac beatum prædicarent, nonne id derisionis loco haberes? Quid igitur? Si te strenuum facinus laudeque dignum edente illi riderent, tibique exprobrarent, nonne amentes illos esse diceres? Atqui hoc nunc faciamus, non multitudinis opinioni, sed diligenti rerum examini calculum de filio tuo ferendum permittamus : et videbis irrisores illos mancipiorum potius quam liberorum parentes esse, si eorum nati filio tuo comparentur. Nunc porro mœrore obtenebratus ne respicere quidem ista poteris, cum autem animum sedaveris, filiusque tuus magnam virtutem exhibuerit, non ultra tibi aliorum sermone opus erit, sed tu hæc et his plura aliis dices. Et hæc ego non tibi temere vaticinor, sed quæ loquor expertus sum. Amicus enim mihi fuit, qui patrem habebat infidelem, divitem, spectatum, et undequaque clarum. Is primum concitavit principes, minatus est vincula, ipsumque omnibus exutum in aliena terra reliquit, necessariis etiam alimentis egentem, hoc modo putans se illum ad sæculi vitam reducturum. Postquam autem illum in nullo sibi cedere vidit, victus tandem palinodiam cecinit, ac nunc in honore filium habet, cumque magis quam si pater suus esset, veneratur : cumque alios habeat filios, spectatos viros, eos ne dignos quidem qui servi hujus sint arbitratur : ipse quoque propter filium longe clarior est. Hæc in tuo quoque filio videbimus. Quod vero non mentiar, ex rebus ipsis videbis.

Quare finem loquendi faciam, id tantum rogans, ut anno uno expectes, aut minus etiam. Nostra quippe virtus non multis opus habet diebus, utpote quæ divina gratia pullulet : videbisque ea omnia quæ dicta sunt, rebus ipsis impleta. Neque modo ea quæ facta sunt laudabis; verum si te tantillum excitare volueris, cito ipsius æmulus eris, magistrum habens in virtute filium.

LIBER III.

Ad patrem fidelem.

I. Age[1], jam fidelem quoque patrem doceamus, quod non debeat eos oppugnare, qui filium suum ad Dei placita sequenda hortantur. Quanquam periculum est, ne sermo iste superfluus sit, neve contrarium accidat, ut superius dicebam. Tunc enim dixi hujus certaminis legem me non cogere cum Gentili manus conserere, sed cum jusserit Paulus eos tantum qui intus sunt judicare, a pugna cum iis, qui foris sunt, nos liberos sinit. Nunc autem, ut videtur, ne has quidem dimicationes inire tenemur. Nam si prius de his Christiano verba facere turpe videbatur esse, multo magis nunc. Quomodo enim non erubescet fidelis, si de iis admoneri opus habeat, super quibus ne infidelis quidem nobis contradicere possit? Quid igitur? Ideo-ne tacebimus, nihilque loquemur? Minime vero. Si quis enim sponsor accederet, nobisque perspicuum faceret fore post hac neminem qui rem hujusmodi ausurus sit; nos quoque quiescere opus esset, et iis qui præterierunt, ut laterent consedere. Quando autem nullum habemus super hac re fidejussorem idoneum, necessaria prorsus videtur verbo-

[1] Vide D. Guillon, tom. XVIII, p. 252-262.

rum admonitio. Si enim ea aliquos invenerit hoc morbo laborantes, operabitur quod suum est; sin nemo in ægritudinem incidat, actum est ut cupimus. Siquidem medicis postquam medicamenta paraverint, optandum est ne iis ægroti opus habeant: nosque similiter optamus neminem ex fratribus nostris hac egere adhortatione. Si vero egere contingat, quod absit, secunda navigatio, ut proverbio dicitur, non illis deerit. Fingatur ergo fidelis, talis, qualis infidelis, ipsique per cuncta similis, excepta religione: similiter lugeat, provolvatur omnium pedibus, canos ostendat, senectutem, solitudinem, omnia ejusmodi proferat, et quantum vult iracundiæ judicibus moveat. Imo potius adversus hunc non jam coram hominibus nobis lis est: audivit enim ea quæ viri apud nos divino Spiritu repleti de horrendo terribilique tribunali, ad quod post obitum sistemur, philosophati sunt. Ante omnia vero commemorandus ille dies est, nec non ignis fluminis instar decurrens flamma nunquam extinguenda, radii solis sublati, luna occultata, stellæ decidentes, cœli convoluti, virtutes commotæ, concussa undique et æstuans terra, terribilis et alternus tubarum clangor, Angeli per orbem universum discurrentes, millia millium astantium, myriades ministrantes, exercitus cum ipso judice adventantes, signum in conspectu ejus fulgens, appositus thronus, aperti libri, inaccessa gloria, terribilis et horrenda judicantis vox, qui alios quidem mittit in ignem paratum diabolo et angelis ejus; virgines autem, post ingentes virginitatis labores, clausis foribus arcet; qui ex ministris suis alios jubet zizania colligare, et in fornacem immittere; alios compedes quibusdam inducere, et manibus post terga vinctis eosdem abjicere in tenebras exteriores, atque horrendo dentium stridori tradere; illum quidem ob impudicos aspectus tantum, illum vero ob risum intempestivum, alium,

quod proximum sine examine damnaverit; alium quod maledixerit duntaxat, vehementissimo gravissimoque supplicio plectet : nam quod istos quoque pœna maneat, eum ipsum qui hæc supplicia illaturus est dicentem et comminantem audire licet. Ad hunc nobis omnibus judicem hinc eundum est, diesque illa videnda nobis, in qua omnia nuda et patefacta erunt, non opera et verba modo, sed ipsæ quoque cogitationes.

II. Nam eorum etiam, quæ nunc levia videntur tunc terribiles luemus pœnas; adeo judex ille pari accuratione et nostram et proximorum salutem requirit a nobis. Ideo Paulus ubique hortatur singulos, non quæ sua sunt quærere, sed quæ proximi[1] : quapropter in Corinthios vehementer invehitur, quia nullam providentiam et curam habuerant ejus, qui in fornicationem inciderat, sed ejus vulnus tumens despexerant. Galatis quodque scribens dicebat : « Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo » delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite[2]. » Thessalonicensibus item antea eadem monita dederat, dicens : « Itaque exhortamini invicem sicut et facitis. » Item « Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, sustinete » infirmos[3]. » Ne quis enim diceret : Quid mea interest etiam aliorum curare salutem? Qui perit, pereat; et qui servatur, servetur; id nihil ad me pertinet, rebus meis prospicere jubeor. Ne quis, inquam, hæc diceret, feralem illam et inhumanam cogitationem auferens, legibus istis illam sepivit, plurima jubens commoda negligere, ut proximis nostris consulamus, atque hanc vitæ diligentiam ubique habendam esse definit. Romanis quoque scribens, ingentem illis curam ejusmodi officii imposuit, fortes imbecillis patrum loco esse jubens[4], utque

[1] 1 Cor. x, 24. — [2] Galat. vi, 1. — [3] 1 Thess. v, 11 et 14. — [4] Rom. xv, 1.

eorum salus curæ illis sit admonens. Sed hic quidem adhortationis et consilii formam servat; alio autem in loco summa cum vehementia auditorum animos percellit : eos enim, qui fratrum salutem negligunt [1], in ipsum Christum peccare dicit, Deique ædificium diruere : idque non a se ipso, sed a magistro edoctus loquitur. Namque unigenitus Dei Filius, ut doceret hoc officium esse necessarium, atque eos, qui illud reddere negligunt, summis malis excipiendos esse, dicebat : « Quicumque scandalizaverit unum » ex pusillis istis, expedit ei ut suspendatur mola asinaria » circa collum ejus, et demergatur in profundum maris [2]. » Atque is, qui talentum obtulerat, non quod aliquid ex suis contempsisset, sed quod proximorum salutem neglexisset, illo supplicio afficitur. Itaque etsi vitam nostram recte instituamus, nihil id prodest nobis, cum peccatum illud possit nos in gehennæ profundum immergere. Si enim nulla ratio possit eos, qui proximis corpoream opem ferre noluerint, liberare; verum etsi virginitatem servaverint, tamen extra sponsi thalamum abjiciendi sint, is qui quod multo majus est omiserit; multo quippe major est animarum cura, cur non mala omnia merito patiatur? Hominem enim non ut sibi tantum prodesset creavit Deus, sed ut aliis etiam multis. Idcirco Paulus fideles, luminaria appellat [3], hinc ostendens eos cæteris etiam usui esse oportere : luminare quippe, quandiu se ipsum tantum illuminat, luminare profecto non est. Propterea Gentilibus quoque ipsis deteriores esse ait, qui proximorum salutem negligerent, his verbis : « Si quis autem suorum, et maxime do» mesticorum providentiam non gerit, fidem negavit, et » est infideli deterior [4]. » Quid enim hoc loco providentiæ nomine vis intelligi? An fortasse necessariorum largitio-

[1] 1 Cor. VIII, 12. — [2] Matth. XVIII, 6. — [3] Philip. II, 15. — [4] 1 Tim. V, 8.

nem? Equidem puto ipsum curam animæ significare. Sin vero tu contradicas, sic quoque mea sententia firmior manebit. Nam si de corpore hæc dicit, eumque qui quotidianum hunc cibum non præbet, tanto supplicio addixit gentilibusque deteriorem esse ait, quo tandem in loco statuetur is, qui quod majus magisque necessarium est, contemnit?

III. Age itaque, ratiocinemur de peccati nostri magnitudine, ac paulatim ascendentes ostendamus maximum omnium peccatum esse liberorum neglectum, et ad ipsum malitiæ apicem pertingere. Est igitur primus malitiæ, iniquitatis et crudelitatis gradus, amicos aspernari: quin ut ad inferiora sermonem reducamus; id enim nescio quomodo me pene fugerat; prior illa lex Judæis data, ne jumenta quidem inimicorum negligere permittit, sive deciderint, sive erraverint; sed hæc quidem reducere illa, vero erigere jubet. Est itaque primus, ab infimis ascendendo, malitiæ et crudelitatis gradus, inimicorum jumenta et pecora malum perpessa negligere: secundus illo superior, inimicos ipsos negligentius curare: quanto enim homo brutis præstat, tanto peccatum hoc majus illo. Tertius est, fratres aspernari, licet ignoti fuerint: quartus, familiares quoque despicere: quintus, cum non solum corpore, sed etiam anima eorum pereunte, contemnimus. Sextus, cum non solum familiaribus, verum ipsis quoque liberis pereuntibus negligimus. Septimus, cum nec alios, qui illorum curam habere possint, quærimus. Octavus, cum et eos, qui id a se ipsis facere instituunt, arcemus, atque prohibemus. Nonus, cum non tantum illos prohibemus, sed oppugnamus quoque. Itaque si primum, secundum et tertium malitiæ hujus gradum tanta sequitur pœna, ei qui illos omnes superat, in quo vos estis, nempe nono, quantus ignis destinatus est? Quinimo, non tantum nonum,

nec decimum, sed etiam undecimum jure ac merito eum appellaveris. Cur hoc? Quia non natura solum hoc peccatum supra memoratis majus est, sed ratione temporis gravius. Quid sibi vult illud, ratione temporis? Quia nobis eadem peccantibus, quæ ii, qui sub lege erant, non paria supplicia debentur, sed longe graviora, quanto scilicet majori dono potiti, perfectiori doctrina imbuti, majori honore affecti sumus. Cum igitur natura et ratione temporis hoc scelus gravissimum sit, considera quantam flammam in eorum capita, qui id perpetrare audent, inducet. Quod autem non temere ita ratiociner, ex re ipsa exemplum afferam, ut sciatis, tametsi res nostras omnes recte instituamus, si filiorum salutem negligamus, nos extremas daturos esse pœnas. Quod vobis allaturus sum, non ex me ipso profero, sed in divinis Scripturis jacet. Sacerdos quidam apud Judæos erat, vir moderatus ac probus, Heli nomine. Huic duo erant liberi; quos cum videret ad vitia declinare non cohibuit, non coërcuit; imo potius cohibuit et coërcuit, sed non quanta diligentia et cura par erat. Horum autem hæc erant crimina, fornicatio et gula. « Edebant enim, inquit, antequam sanc» tificarentur sacræ carnes, et priusquam offerretur Deo » sacrificium [1]. » His compertis pater, non illos pœna mulctavit, sed verbis et monitis ab hac nequitia ipsos revocare conatus est, atque his frequenter verbis eos alloquebatur : « Nolite, filii, nolite sic facere : non bona fama est, quam » ego audio de vobis, ut faciatis populum non servire Do» mino. Si delinquens peccaverit vir in virum, orabunt pro » illo Dominum; sin autem Domino peccaverit homo, quis » pro illo orabit [2]? » Multa certe est gravitas ac reverentia verborum, quæ virum mente præditum ad meliorem frugem revocare possent. Nam crimen affert; ac tremendum

[1] 1 Reg. II, 15, 16. — [2] Ibid. 24, 25.

esse demonstrat, ingruentes vero pœnas intolerabiles et horrendas denuntiat. Attamen quia quidquid agendum erat non exhibuit, ipse cum illis una periit. Namque minas addere debuerat, a conspectu suo amovere, verberibus castigare, multoque illis gravius et durius instare. Quia igitur nihil horum egit, Deum et sibi et illis inimicum fecit; utque filiis intempestive parceret, et ipsorum et suam salutem amisit. Audi ergo quid dicat illi Deus; imovero non jam illi, neque enim illum responso dignum amplius judicavit; sed tanquam famulum qui se graviter offendisset, per alium eventura ipsi mala significavit. Tanta tunc erat Dei ira. Audi itaque quid ad discipulum de magistro loquatur; siquidem et discipulo et alteri prophetæ, et omnibus potius quam illi, de futura calamitate ejus loquebatur: adeo illum ad extremum aversabatur. Quid ergo inquit Samuëli? Noverat quod maledicerent filii ejus Deo, et non monebat eos; non sic tamen, nam certe monuerat; sed hanc Deus pro admonitione non accepit; adeo illam improbabat, quod vehementia caruisset. Itaque si filiis provideamus, sed non quantum oportet, non ea certe providentia dicenda est, sicut nec illa admonitio Heli. Cum vero crimen narrasset, tum pœnam ingenti cum iracundia induxit: « Juravi enim, inquit, domui Heli, si peccatum istud domui Heli expiabitur, sive thymiamate sive sacrificiis usque in æternum [1]. » Vidisti-ne ingentem indignationem, pœnamque omni spe veniæ carentem? Prorsus, inquit, illum perire oportet, nec ipsum modo et ejus filios, sed cum ipso domum universam: nullumque medicamentum erit, quod vulnus istud curare possit: licet seni illi præter filiorum neglectum, nihil quod crimini daret habuerit Deus. Erat enim in cæteris omnibus admirandus, ejusque philosophiam omnem, non ex aliis modo, sed ex iis, quæ

[1] I Reg. III, 14.

in calamitate contigerunt, videre est. Primum enim cum hæc omnia audisset, seque ad supremam pœnam pervenisse conspiceret, non graviter, non indignanter tulit; non id dixit, quod plurimi dixissent : Num ego aliorum voluntatis dominus sum? Peccatorum meorum pœnas luere debeo : filii ætatem habent, ipsique soli supplicium merentur. Horum nihil dixit vel cogitavit. Sed ut servus bene affectus, cui id unum cordi erat, ut a domino omnia facile patienterque ferret, quantumlibet illa acerba essent; sic ille verba philosophiæ plena protulit. «Dominus enim, »inquit, est, quod gratum est in conspectu suo faciet[1].» Non solum autem hinc, sed aliunde quoque ejus virtus deprehendi potest. Nam cum bello premerentur Judæi, accedensque quidam belli clades annuntiasset, utque turpiter et misere ejus filii in prælio cecidissent : hæc quiete audivit; at ubi ille præter cædem hujusmodi, arcam ab hostibus captam fuisse adjecisset; tunc mœrore obtenebratus senex, cecidit de sella retro juxta januam, et contritum est dorsum ejus : senex enim erat, et gravis et honorabilis, et ipse judicavit Israël viginti annis. Quod si sacerdotem senem, honorabilem, qui sine querela Hebræorum gentem viginti annis rexerat, qui iis temporibus vixit, quæ non tantam vitæ diligentiam requirebant, nihil horum excusare potuit; sed is quia filiorum curam non sat diligenter habuerat, misere et infeliciter periit; ac negligentiæ illius crimen instar fluctus ingentis illa omnia transcendit, et recte facta omnia obruit; quæ nos ultio excipiet, qui his temporibus vivimus, in quibus major philosophia requiritur, et tamen illi virtute inferiores sumus : ac non modo filiis non prospicimus, sed etiam alios id facere nitentes insidiis appetimus et oppugnamus, ac barbaris immaniores erga natos nostros sumus? Illorum quippe fe-

[1] 1 Reg. III, 18.

ritas usque ad servitutem tantum et vastitatem, ac captivitatem patriæ, corporeaque mala sævit; vos autem ipsam animam in servitutem redigitis, eamque velut captivum alligatam, ita malignis ferisque dæmonibus eorumque affectibus traditis. Cum enim neque ipsi quidpiam spirituale monetis, neque alios id cupientes facere permittitis, nihil profecto aliud agitis. Nec mihi dicat aliquis, multos qui plusquam Heli, filios neglexerant, nihil simile passos esse. Multi enim sæpe ob hujusmodi culpam, etiam iis graviora passi sunt. Nam unde præmaturæ mortes? Unde gravissimi et frequentes morbi, et nobis et liberis nostris inferuntur? unde damna? unde calamitates? unde nocumenta? Unde mala innumera? Nonne quod improbos filios emendare negligamus? Quod hæc autem non conjectura sit, senis illius casus satis ostendit. Ego vero Sapientis cujusdam ex nostris hac de re dictum referam : de filiis enim disserens, ita loquitur : « Ne læteris in filiis impiis; nisi » fuerit in illis Dei timor, ne confidas illorum vitæ [1]. » Ingemisces enim præmaturo luctu, et derepente illorum consumptionem scies. Plurimi igitur, ut dixi, multa ejusmodi passi sunt. Si autem aliqui effugerint, at non in finem effugient, sed in capitis sui malum; acerbiores enim, cum excesserint e vita, pœnas luent. Cur autem, inquies, non hic omnes puniuntur? Quia Deus diem statuit, qua judicaturus est orbem universum : hæc autem dies nondum adest. Adhæc vero si ita fieret, jam absumptum et abreptum esset omne genus humanum. Sed ut nec hoc contingat, nec plurimi segniores fiant ex tarditate judicii, quosdam Deus peccatis obnoxios hic pœnis afficiens, horum exemplo reliquos docet, quænam sit suppliciorum ratio ac mensura, ut ediscant se, etsi in hac vita pœnas non luant, post excessum tamen longe graviores subituros esse.

[1] Eccli. XVI, 3.

Neque enim quod Prophetam nunc non mittat Deus, nec pœnas denuntiet ut Heli tempore, ideo desides esse debemus : non enim Prophetarum hoc tempus est ; imovero eos nunc quoque mittit : unde id nobis liquet, « Habent, » inquit, Moysem et Prophetas [1]. » Ea quippe quæ illius temporis viris dicta sunt, nobis quoque dicta sunt : nec modo Heli, sed omnibus simul eadem peccantibus per illum perque illius calamitates loquitur Deus. Nec enim personas accipit, nec qui minora peccantem cum domo tota funditus evertit, graviora aggressos dimittet inultos.

IV. Non enim dicere fas est, eum non multam hujus rei rationem habere, summam quippe educandorum liberorum sollicitudinem inducit : siquidem tantam naturæ concupiscentiam ideo indidit, ut quasi necessitatem quamdam inevitabilem curæ filiorum habendæ parentibus constitueret : leges item postmodum intulit de cura filiorum gerenda nos alloquens : et cum dies festos statueret, ut causas filiis suis indicarent imperavit. Nam cum de Paschate loqueretur, adjecit : « Et annuntiabis filio tuo in die illa » dicens : Ideo fecit Deus mihi hæc, cum exirem de » Ægypto [2]. » In lege quoque idipsum facit : nam de primogenitis locutus rursus adjicit : « Si autem interrogaverit te filius tuus, dicens : Quid hoc est? dices ad eum, » Quia in manu valida eduxit nos Dominus de Ægypto ex » jugo servitutis. Cum vero obduraretur Pharao, nec di» mitteret nos, occidit omne primogenitum in terra Ægypti » a primogenitis hominum usque ad primogenita jumento» rum : idcirco ego immolo Domino omne masculinum » adaperiens vulvam [3], » omnia ut eos ad Dei cognitionem adducant præcipiens. Sed et ipsis quoque filiis plurima circa eos, qui se genuerunt imperat, bene affectos honorans, ingratos supplicio afficiens : hac item ratione cha-

[1] Luc. XVI, 30. — [2] Exod. XIII, 8. — [3] Ibid. 14, 15.

riores illos parentibus facit. Nam si quis cujuspiam nos constitueret dominos, honore isto summam nobis necessitatem imponeret ne illum negligeremus : etenim si nihil aliud, illud certe nos exorare posset, quod illius omnia nostris in manibus essent, nec nobis creditum ut proderemus unquam adduci possemus. Cum autem postea irasceretur, magisque, quam ipsi contumeliis læsi, indignaretur, gravesque pœnas adderet, hinc quoque multo magis ad officium pertraheret. Quod ipsum Deus præstitit. Ad hæc vero tertium naturæ vinculum adjunxit; sin mavis, primum : ac ne illius de educandis liberis monita patres aspernarentur, naturæ addidit necessitatem. Ne autem illa, filiorum injuriis imbecillior effecta, rumperetur, et suam et parentum ultionem firmiter constituit, hoc modo et illos summa accuratione subditos reddens, et horum erga filios amorem excitans. Neque hoc tantum; sed alio quoque et quarto modo summa nos illis diligentia conjunxit : non tantum enim filios erga parentes ingratos pœnis afficit, bonos autem amplexatur; verum ipsis quoque parentibus idipsum facit, liberorum neglectum graviter ulciscens, eorum vero curam et sollicitudinem honore et laudibus afficiens. Namque senem illum tametsi alias illustrem, ex hujusmodi tantum negligentia punivit; Patriarcham vero non minus ex hac, quam ex aliis curis, honoravit. Cum enim multa magnaque dona illa, quæ se illi daturum pollicebatur enarraret, et causam adjiceret, hanc addidit : « Noveram enim, inquit, quod constituet » Abraham filiis suis, et domui suæ post eum, et custo» dient vias Domini Dei, ut faciant justitiam et judicium[1]. » Hæc autem a me nunc ideo commemorantur, ut discamus Deum non æquo animo laturum esse, si illi negligantur, qui tantæ ipsi curæ sunt. Neque enim idem ipse potest tanta pro illorum salute operari, atque si illi negligantur

[1] Gen. XVIII, 19.

nihil curare. Non itaque negliget, sed indignabitur, sed vehementer irascetur, ut ex rebus ipsis demonstratum est. Quapropter beatus Paulus jugiter admonet dicens : « Pa-»tres, educate filios vestros in disciplina et correptione »Domini[1]. » Si enim nos jubemur vigilare pro animabus eorum tanquam rationem reddituri, multo magis pater, qui genuit, qui educavit, qui cum illo domi semper manet. Quemadmodum enim in suis delictis non potest ad excusationem et veniam confugere, ita nec in iis, quæ filii deliquerint. Idque rursus beatus Paulus declarat. Cum enim ille lege sanciret cujusmodi esse deberent ii qui aliorum principatum adeunt[2], cum aliis omnibus, quæ illis necessario inesse debebant, filiorum quoque curam exigit, quasi nulla jam reliqua spes veniæ sit, si illi perversi fuerint : et jure quidem. Nam si ex natura vitia hominibus inessent, merito quispiam ad excusationem confugeret : quoniam autem ex proposito et improbi et probi efficimur, quam tandem ille excusationem poterit obtendere, qui quem omnium maxime diligit, perverti atque improbum fieri permisit ? An quod noluerit eum probum reddere ? At nemo, qui pater sit, hæc dixerit ; cum natura instet ut ad hoc officium illum excitet. Sed forte non potuit ? Neque hoc dici potest : nam quod eum tenerum acceperit, et quod primus et solus in sua potestate et sibi commissum habuerit, semperque domi versantem, facile ac nullo negotio ipsum moderari potuit. Itaque nulla alia de causa perversi evadunt liberi, nisi quod patres circa præsentis vitæ commoda insaniant. Cum enim ad illa solum respiciant : nihilque illis præferendum censeant, et suam pariter et liberorum animam negligere coguntur. Hos ego patres, quod nemo tamen me ira commotum dicere existimet, filiorum occisoribus sceleratiores esse dixerim. Illi enim corpus ab anima separant, isti et animam et corpus gehennæ igni tra-

[1] Ephes. vi, 4. — [2] Tim. xxxiv.

dunt. Illam porro mortem naturali lege subire necesse est; hanc vero effugere licebat, nisi ipsam patrum negligentia intulisset. Ad hæc, mortem corporis adveniens resurrectio cito delere poterit; animæ vero interitum nihil solabitur: neque enim salus illam exceptura est, verum immortales ille pœnas necessario luet. Itaque non injuria patres hujusmodi filiorum occisoribus deteriores esse dixerimus. Non ita crudele facinus est, gladium acuere et armare dexteram, inque ipsum filii guttur immergere, ut animam perimere atque corrumpere: neque enim huic facinori par quidpiam est.

V. Quid igitur? An is qui civitatem incolit, qui domum habet et uxorem, salvus esse non poterit? Sane non unus salutis modus est, verum multi ac varii. Quod quidem Christus indefinite dicit, multas scilicet esse apud Patrem mansiones pronuntians: Paulus vero cum distinctione quadam ita scribit: « Alia claritas solis, alia claritas lunæ, » et alia claritas stellarum: stella enim a stella differt in claritate [1]. » Quod autem dicit hujusmodi est, alii quidem fulgebunt ut sol, alii ut luna, alii ut stellæ. Sed non hic stetit differentia, sed in his ipsis magnam ostendit esse varietatem, tantamque, quantam in tanto stellarum numero contingere par est. « Stella enim, inquit, a stella » differt in claritate. » Perpende igitur a solis magnitudine ad ultimam stellarum decurrens, in quot dignitatum gradus descendas oporteat. Quomodo non absurdum id fuerit, quod si in regiam filium adducas, nihil non agas et patiaris, ipsumque ad idem faciendum inducas, ut nempe regi a latere possit esse, nec ea de causa quidpiam subterfugias, non sumptus, non pericula, non mortem ipsam; cum autem cœlestis militia nobis consideranda et expetenda proponatur, nihil doleas si extremum sortiatur locum, sitque omnium novissimus? Verum, si tibi videtur,

[1] 1 Cor. XIII, 41.

et hoc ipsum inspiciamus, num is, qui in medio rerum versatur, possit illam sortem adipisci. Beatus quidem Paulus brevem de hoc sententiam tulit, eosque qui habent uxores, non aliter salvos esse posse declaravit, quam si eas ita haberent tanquam non habentes, et mundo non abuterentur. Nos autem, si placet, hoc disquiramus. Potes-ne dicere vel te monente audivisse filium, vel a se ipso didicisse, eum qui jurat, etiamsi cum ratione juret, Deum tamen offendere? An item eum, qui injuriarum recordatur salvum esse non posse? Nam. « Viæ, inquit, recor-» dantium injurias, ad mortem[1]. » An, quod maledicum ita dehonestaverit Deus, ut eum a divinæ Scripturæ lectione arceret? An, quod arrogantem et contumeliosum, de cœlis exturbaverit, et gehennæ ignis tradiderit? An quod eum qui impudicis respicit oculis, quasi vere adulterum puniat? An frequens illud et omnibus facile peccatum, proximos nempe judicare et sic gravius sibi supplicium attrahere, ut fugeret monuisti, et leges a Christo hac de re positas ipsi legisti? An tu ipse, ne si existant quidem, nosti? Quonam ergo modo poterit ea filius perficere, quorum nec pater ipse, qui illum erudire debuerat, leges novit? Atque utinam hoc solum damni adesset, quod nihil utile patres consilii darent, non tantum utique malum esset : nunc autem eos ad contraria prorsus impellitis. Neque enim aliud patres audias cum filiis tractare, cum eos ad studia litterarum hortantur, nisi verba hujusmodi : Ille, inquit, humilis, humilique loco natus, eloquentiam adeptus, summos magistratus obtinuit, divitias acquisivit ingentes, uxorem duxit opulentam, splendidas construxit ædes, omnibus terrori est, et gloria fulget. Alius rursum : ille, inquit, latina lingua eruditus, in regia clarissimus est, cunctaque intus administrat. Et alius

[1] Prov. XXII, 29.

alium rursus ostendit, cunctique eos qui in terrā insignes sunt memorant, cœlestium autem nulla usquam mentio ; imo si quis illa commemorare aggrediatur, ut qui cuncta pervertat ejicitur.

VI. Cum igitur a principio hæc illis occinatis, nihil aliud eos, quam omnium malorum materiam, docetis : duos violentissimos amores insinuantes, pecuniarum dico, et qui longe iniquior est, vanæ inanisque gloriæ. Horum vero alteruter per se solus cuncta pervertere potest : cum autem ambo in teneram juvenis animam confluunt, quasi quidam torrentes conjuncti bona omnia corrumpunt, tantam vim spinarum et arenæ, tantam colluviem contrahentes, ut animam illam sterilem, infructuosam, bonisque omnibus vacuam efficiant. Horum testes esse possunt exteri quoque scriptores. Quorum unus alterum affectum, non cum alio junctum, sed per se solum, arcem; alius vero, caput malorum, appellat. Quod si separatum arx est et caput, cum alius longe gravior et potentior accesserit, insana nempe gloriæ cupido, et cum illo violenter irruerit, radicesque posuerit, atque juvenis animum occupaverit, quis demum ejusmodi morbum amovere possit; cum maxime patres ipsi, non ut evellantur, sed ut firmiora sint hæc mala germina, nihil non agant et dicant? Quis igitur adeo stultus est, ut non desperet de salute pueri ad hunc modum instituti? Optandum est animam contrariis rebus imbutam a malitia se subducere : quando autem undique illiciunt pecuniarum præmia, et scelerati viri ad imitandum proponuntur, quænam salutis spes superest? Nam eos, qui pecuniarum amore tenentur, et invidos, et improbos et multum jurantes, et perjuros, contumeliosos item, fures inverecundos, impudentes, ingratos, denique omni nequitia plenos esse necesse est. Horum testis fide dignus est beatus Paulus, qui radicem

omnium malorum esse avaritiam dixit[1] : et ante ipsum Christus idipsum declaraverat, asseverans non esse possibile Deo servire eum, qui illi morbo serviret[2]. Cum igitur initio juvenis ad hanc statim adducatur servitutem, quando liber evadere poterit, quando fluctum sustinere, omnibus pellentibus, omnibus immergentibus, et in extremæ submersionis necessitatem ipsum constituentibus Nam si nullo perturbante, si multis manum porrigentibus emergere possit ac respicere, vitiorumque salsuginem abluere, annon optabile illud? Si, inquam, longo tempore divinis excantatus carminibus, incidentes morbos possit abjicere, nonne laudandus, nonne millies coronandus est? Dura quippe est consuetudo, dura et ad vincendam capiendamque animam comparata, cum præsertim hæc voluptatem adjutricem habeat; illa vero virtus, ad quam festinamus, quam attingere studemus, multos nobis pariat labores. Idcirco Deus Hebræis, quos oportebat vitiorum veterem consuetudinem deponere, quæ nempe in Ægypto didicerant, seorsim abductis in solitudinem, et a corruptoribus procul segregatis, in deserto ceu in quodam monasterio eorum instituebat animos, viam omnem medicinæ tentans tum asperiorem, tum dulciorem, nihilque retro relinquens eorum, quæ ad valetudinem profutura essent. Neque sic tamen a nequitia desciverunt; sed cum manna, cepas, allia, cæteraque omnia Ægypti mala requirebant. Tantum malum est consuetudo. Deinde Judæi tanta Dei cura fruentes, tam egregio et generoso magistro usi, et timore et minis, et beneficio et supplicio ad omnem modum instituti, tot conspectis prodigiis, non ad meliorem se frugem receperunt. Tu vero filium tuum adolescentem in media Ægypto, imo in mediis diaboli castris versantem, nullumque, qui quod utile sit consilium det,

[1] 1 Tim. VI, 10. — [2] Marc. VI, 24.

audientem, omnesque se ad contraria ducentes videntem, imprimisque parentes et eductores suos, putas posse diaboli laqueos effugere? Unde, quæso? Num ex hortamentis tuis? Atqui tu ad contraria evocas, ne per somnium quidem eum philosophiæ meminisse concedens; sed dum hanc vitam ejusque commoda ultro citroque versas, in decumanos illum majoresque fluctus conjicis. Num ex semetipso? Profecto juvenis non sibi ipsi satis est ad virtutem exercendam: sed etiamsi quid ex se ipso strenuum pariat, antequam id germinet, assiduo verborum tuorum imbre suffocabitur. Quemadmodum enim corpus, quod salutaribus cibis non fruitur, sed insalubribus alitur, ne parvo quidem tempore subsistere valet; sic nec anima his instituta et imbuta, quid strenuum aut magnum cogitare poterit; sed necesse est eam et languidam et mollem, nequitia ceu quadam peste assidue detentam, sic demum in gehennam et in perniciem dejici.

VII. Sin tu dicas, non ita se rem habere, posseque in medio rerum versantem virtutem exercere omnem: neque ludens, sed serio ita loquaris, ne te, quæso, pigeat hanc novam nos atque inauditam docere disciplinam: neque enim velim temere tantum mihi negotii assumere, neque tot bonis frustra carere. Verum id ediscere nullatenus possum: id enim non permittitis vos: atque huic sententiæ et verbis et gestis repugnatis, et contraria docetis. Siquidem ac si dedita opera filios perdere studeatis, sic illa omnia præcipitis eis, quæ qui exequuntur salutem consequi non possunt. Rem altius considera. « Væ, inquit, ridentibus, » vos autem ipsis multas præbetis ridendi occasiones: « Væ divitibus; » vos vero ut pecuniosi sint cuncta molimini: « Væ cum benedixerint vobis omnes homines[1]; » vos autem pro populari aura facultates sæpe om-

[1] Luc. VI, 24, et seqq.

nos effunditis. Rursum is, qui fratri contumeliam infert, reus est gehennæ; vosque tamen et imbecillos et timidos esse putatis eos, qui tacite illatas sibi ab aliis contumelias ferunt. Jubet Christus pugnas et lites contemnere; vos autem illos in his semper malis versari curatis: oculum ille, si noceat, eruere sæpe jubet: at vos eos maxime vobis conciliatis amicos, qui possint pecunias præbere, etiamsi extremam nequitiam doceant. Uxorem repudiare non permittit, præterquam in sola adulterii causa; at vos dum pecunias acquirere liceat, hoc præceptum despicere docetis: jusjurandum vetat omne; vos si quem id servare videritis, etiam ridetis. « Qui amat, inquit, animam suam, » perdet eam[1]: » vos ad hunc amorem illos semper inducitis. « Si non remiseritis, inquit, hominibus peccata, » neque vobis remittet Pater vester cœlestis[2]; » vos illis exprobratis, cum eos, qui se læserint, ulcisci nolunt; utque id mature præstare possint illos instituitis. Gloriæ cupidos omnia frustra agere docuit Christus, sive illi jejunaverint, sive oraverint, sive miserti fuerint. At vos ut illam assequantur nihil non agitis. Ecquid opus omnia persequi, cum supra memorata innumeras gehennas inferre possint; nec modo omnia simul, sed seorsum singula? At vos omnia simul congesta, et intolerabile peccatorum onus imponentes, sic in fluvium igneum immittitis. Quando salutem nancisci poterunt tantam ferentes ignis escam? Neque id solummodo grave est, quod Christi præceptis contraria doceatis; sed quod præclaris appellationibus vitia obtegatis: Hippodromis ac theatris jugiter interesse, urbanitatem vocantes; divitias, libertatem; gloriæ amorem, magnanimitatem; arrogantiam, fiduciam; prodigalitatem, humanitatem; injustitiam, fortitudinem. Deinde, quasi hæc fallacia non sufficiat, virtutem quoque contra-

[1] Joan. XII, 25. — [2] Matth. VI, 14.

riis nominibus vocatis, temperantiam appellantes rusticitatem; modestiam, timiditatem; justitiam, imbecillitatem; contemptum fastus, servilem animum; injuriarum tolerantiam, infirmitatem; ac si metuatis ne si ab aliis veram horum appellationem audierint filii vestri, perniciem hujusmodi fugiant. Neque enim parum confert ad vitiorum aversionem, si nudæ et propriæ eorum appellationes proferantur; sed tantum id habet roboris ad peccantium animos feriendos, ut plerique sæpe turpissimis insignes vitiis, se ita vocari non libenter ferant; sed adeo sæviant et indignentur, ac si acerbissima paterentur. Si quis adulteratam mulierem, et stupratum puerum ex turpissimo actu vocaverit, irreconciliabilis efficitur inimicus, utpote qui magna affecerit injuria. Neque hos tantum, sed etiam avarum, ebriosum, arrogantem, demumque omnes gravissima operatos videas, non tam de ipso opere, vulgique opinione angi et dolere, quam de facinorum nominibus. Multos porro novi hoc emendatos modo, qui opprobriis moderatiores evaserunt. At vos hoc solatium atque remedium sustulistis: quodque gravius est, non verbis solum, sed exemplo quoque et opere hæc illis monita datis, dum ædes splendidas construitis, agros emitis pinguissimos, reliquosque magnificos apparatus additis: prorsusque veluti quadam nebula animos eorum obtenebratis. Unde igitur mihi persuaderi poterit posse illos salutem consequi, cum ad ea evocari videam, quæ qui faciunt prorsus perituros esse Christus declaravit? Cum videam vos animam eorum, quasi minoris pretii aliquid negligere, illa autem quæ vere superflua sunt, quasi necessaria et præcipua curare? Namque ut servus, ut equus, ut vestimentum pulcherrimum filio sit, omnia facitis; ut autem ipse probus sit, ne cogitare quidem vultis: ac cum ad lignum, ad lapidem hoc studium extendatis, animam ne

quam minima sollicitudinis parte dignam judicatis. Sed ut statua quædam in ædibus admiranda erigatur, tectum sit aureum, laborem omnem suscipitis : omnium statuarum pretiosissimam animam, ut aurea efficiatur nullam curam gerere vultis.

VIII. Sed nondum malorum Colophonem dixi, nec calamitatis caput detexi; quod sæpe dicere aggressus erubui, sæpe præ pudore destiti. Ecquid illud est? Audendum enim jam et dicendum est. Magnæ quippe ignaviæ id esset, si quid mali resecare cupientes, ne mutire quidem super illo auderemus, ac si silentium ægritudinem ultro sanaturum esset. Ne taceamus igitur, etiamsi millies erubescendum sit. Neque enim medicus cum abstergenda putredo fuerit, ferrum arripere dubitabit, et ad ipsum vulneris fundum digitos immittere. Nec nos igitur de hisce verba facere recusabimus, quantumcumque molestior sit putredo. Quod ergo tandem istud malum est? Amor quidam novus ac nequissimus in nostrum sæculum irrupit: morbus irruit gravissimus et incurabilis, pestis omnium pestium teterrima. Novum et intolerandum scelus excogitatum est. Non enim scriptæ modo, sed naturales ipsæ leges evertuntur. Parva res jam est ad impudicitiæ rationem fornicatio : ac quemadmodum in doloribus, qui violentior supervenit prioris sensum obruit; sic et hujus contumeliæ magnitudo non permittit, ut quod vere intolerabile est, jam intolerabile videatur, obscœna nempe cum mulieribus libido. Optandum enim videtur posse hujusmodi retia effugere : periculumque est ne sexus muliebris jam superfluus efficiatur, adolescentibus vices ejus omnes implentibus. Quod gravissimum sane est : sed longe atrocius quod res tam execranda ingenti cum audacia perpetretur; ita ut facinus adeo illegitimum in legem transierit. Nemo jam metuit, nemo perhorrescit, nemo veretur, aut erubescit;

sed quasi de re bene gesta ridetur : ipsi temperantes insanire videntur, et monitores furere : qui si imbecilliores fuerint, verberibus afficiuntur; sin potentiores, irridentur, illuduntur, ac probris resperguntur innumeris. Nihil jam tribunalia, nihil leges valent : non pædagogi, non patres, non asseclæ, non magistri : alii enim pecuniis corrupti sunt; alii id solum curant ut merces solvatur. Ex iis vero qui frugi sunt, et sibi concreditorum saluti prospiciunt, alii facile circumveniuntur ac decipiuntur, alii impudicorum potentiam reformidant. Facilius enim elabatur qui in affectatæ tyrannidis suspicionem venerit, quam ipsorum manus effugiat qui pueros ab execrandis illis hominibus abducere tentaverit. Sic mediis in urbibus, quasi in vasta solitudine masculi in masculos turpitudinem exercent. Quod si qui hos laqueos effugerint, malam talem sceleratorum famam difficile vitabunt : primo quidem, quia admodum pauci cum sint; improborum multitudine facile obruuntur; secundo quia detestandi illi ac scelesti dæmones, cum contemptores suos alio modo ulcisci nequeant, hac via lædere conantur. Quia enim letale illis vulnus infligere non possunt, neque usque ad animam pertingere, exteriorem saltem ornatum lædere, bonamque famam omnem auferre nituntur. Quamobrem multos audivi, qui se mirari dicerent, quod nondum hodieque imber alius igneus delapsus sit, quodque non paria cum Sodomis urbs nostra passa sit, quæ eo graviore supplicio digna est, quo ne illius quidem cladis exemplo emendatur. Verum etiamsi illa regio ab annis bis mille voce qualibet clariorem conspectum præferat, quo orbi universo clamat ne quid hujusmodi audeat, non modo segniores ad hoc facinus facti non sunt, sed etiam sunt impudentiores : ac si cum Deo contendant, atque operibus declarare studeant sese tanto magis his malis dedituros esse, quanto majores

ille pœnas comminatus fuerit. Cur ergo nihil factum est hujusmodi : sed cum Sodomorum scelera admittantur, Sodomorum tamen clades non contingunt? Quia manet eos ignis longe gravior, et supplicium finem non habiturum. Nam cum multo graviora scelera, quam ii qui aquis diluvii perierunt, plurimi postea admiserint, nullus tamen imber ejusmodi postmodum accidit. Eadem hic quoque causa afferenda est. Cur enim ii, qui paulo post mundi initium fuerunt, cum neque tribunalia essent, neque magistratuum metus immineret, non legis comminatio, non Prophetarum chorus, qui moderaretur, non expectatio gehennæ, non regni spes, non alia philosophia, non miracula, quæ possent vel lapides excitare; cur, inquam, illi qui nullo horum potiti erant, tantas scelerum pœnas dederunt : qui autem horum omnium participes fuerunt, et inter tantos tum divinorum tum humanorum tribunalium metus versantur, nondum paria illis passi sunt, cum sint longe graviori supplicio digni? Nonne vel puero liquet illos atrociori ultioni reservari? Nam si nos super his ita irascimur et indignamur, Deus qui genus humanum plus, quam alia omnia curat, et nequitiam admodum aversatur, quomodo hæc impune fieri patiatur? Non ita certe, non ita se res habet, sed immittet in illos plane manum illam validam, plagamque intolerandam, atque cruciatuum illorum dolorem, ita gravem, ut Sodomorum clades illi comparata, ludus videatur esse. Quos enim illi Barbaros non superarunt? Quod ferarum genus per impudentissimum congressum non retro relinquunt? Est in quibusdam brutis ardens libido, cupidoque intolerabilis, nihil ab insania differens : quæ tamen hunc amorem non norunt, sed intra naturæ terminos manent, etsi millies libidine urantur, naturæ nunquam leges evertunt. At rationabiles illi, divina potiti doctrina, qui quæ agenda vel non agenda

sint aliis prædicant, Scripturasque ex cœlo delapsas audierunt, non ita impudenter cum meretricibus, ut cum adolescentibus congrediuntur. Nam quasi homines non sint, neque providentia præsit rebus humanis deque factis judicet; sed quasi tenebris cuncta occupantibus, nulloque hæc vidente vel audiente, sic omnia et cum tanta insania audent. Vitiatorum autem puerorum patres hæc tacite ferunt, nec secum filios terra obruunt, nec quodquam tanto malo remedium quærunt. Atenim si in exilium abducendi essent filii, ut ab hac peste liberarentur, si in mare, si in insulas, si in terram desertam, si in eam quæ ultra nos est orbis partem, nonne oporteret omnia facere et perpeti, ne hujusmodi flagitia admitterentur? Certe si insalubris esset locus aliquis, nonne inde filios asportaremus, etiamsi lucra ingentia ibi consecuturi essent, etiamsi optima valetudine potirentur? Nunc autem cum tanta lues omnia occupet, non modo eos ad barathra trahimus, sed si qui illos eripere velint, eos ut corruptores pellimus. Quanta ira isthæc, quantis fulminibus digna non sunt? Quandoquidem linguam ipsis per externam sapientiam perpolire studemus, animam vero in ipso spurcitiæ cœno jacentem, omninoque putrescentem, non modo despicimus, sed etiam exurgere volentem prohibemus. Num quis adhuc dicere ausit posse salutem consequi eos, qui in tantis malis versantur? Qua ratione? Namque ii, qui exoletorum vesaniam effugerunt, qui pauci sane numero sunt, amores illos violentos, qui omnia corrumpunt, pecuniæ scilicet et gloriæ, non effugiunt. Plures autem et his ipsis, et una impudicis amoribus vehementius oppressi detinentur. Deinde cum illos litterarum studiis tradere volumus, non tantum ea quæ huic institutioni officere possunt auferimus, sed quæ ipsam juvare possunt apparamus; pædagogos et magistros ipsis procuramus, pecu-

nias expendimus, atque a cæteris rebus otium præstamus, ac frequentius, quam pædotribæ in Olympicis certaminibus vociferantes, paupertatem, quam imperitia, divitias, quas eruditio affert exhibemus, nihil non agentes ac dicentes, et nostro et aliorum sermone, ut eos ad finem tantæ sollicitudinis perducamus, neque sic crebro voti compotes efficimur. Morum vero probitatem, èt honestæ vitæ curam ultro ipsis obventuram putabimus, cum maxime tot tantaque sint, quæ illam impediant? Ecquid hac absurditate deterius fuerit, id quod facilius est in magno pretio habere, tam sollicite persequi, quasi non liceat illud aliter adipisci, quod aut[illegible]nge difficilius est, hoc nobis dormientibus obventu[illegible]tare, quasi aliquid vilis pretii et parvi mom[illegible] quippe animæ litterarum institutione tant[illegible]sior est, quanto difficilius est facere, quam [illegible] opera sunt sermonibus laboriosiora.

IX. Ecquid, inquies, philosoph[illegible] institutione filiis nostris opus? Illud enim[illegible] quod omnia perdidit, quod res ita necessa[illegible] contineat nostram, superflua et otiosa esse vid[illegible] si quis filium mala corporis valetudine laborantem [illegible] nunquam dicet: Quid illi opus bona et firma valetudi[illegible] Sed omnia molietur, ut bona valetudo ita ipsi restituatur, ut morbus postea non redeat. Anima vero ægrotante, nihil aiunt curatione opus esse, hisque prolatis verbis patres se vocare audent. Quid igitur aiunt, philosophabimur-ne omnes, et omnia quæ ad sæculum spectant pessum ibunt? Non ita prorsus, virorum optime, non philosophia, sed philosophiæ inopia omnia perdidit et corrupit. Quinam, quæso, præsentem rerum statum corrumpunt? illi-ne qui moderate et probe vivunt, an qui novos et iniquos excogitant deliciarum modos? Qui res omnium sibi assumere

nituntur, an qui sis contenti sunt? Qui domesticorum phalangas habent, et assentatorum cuneos circumducunt, an qui servum unum sibi satis esse arbitrantur? Nondum enim de suprema philosophia loquor, sed de illa, quam plurimi adire possunt. Illi-ne qui humani ac mansueti sunt, multitudinisque honorem non curant, an ii, qui honorem plus, quam omne debitum exigunt, innumerisque calamitatibus afficiunt eum qui non assurgat, non primus salutet, non se inclinet, cunctaque servorum obsequia præ se ferat. Qui alieno imperio parere curant; an qui magistratus præfecturasque amant et hac de re omnia libenter faciunt ac patiuntur? Qui se omnium optimos esse dicunt, ideoque omnia dicere et facere sibi licere arbitrantur; an qui se ultimis annumerant, et sic brutam vitiorum potentiam castigant? Qui splendidas construunt ædes, et lautas apponunt mensas; an qui et cibo et domicilio simplici contenti, nihil amplius requirunt? Qui innumera terræ sulcant jugera; an qui ne glebæ quidem unius possessionem sibi necessariam existimant? Qui fœnora fœnoribus adjicientes, iniquam cujuslibet commercii viam adeunt; an qui iniquas hujusmodi syngraphas discerpunt, exque facultatibus suis egenos fovent? Qui mortalis naturæ vilitatem considerant; an qui id ne scire quidem volunt, sed ingenti sua arrogantia, se homines existimare desierunt? Qui meretrices alunt, alienasque nuptias polluunt; an qui a propria etiam uxore abstinent? Nonne illi quidem veluti tumores corpori ventique furentes mari adversus rectam orbis institutionem insurgunt, perque suam intemperantiam eos, qui salutem nancisci poterant, in fluctus conjiciunt; hi vero tanquam luminaria in profundis tenebris micantia, eos, qui naufragio proximi in medio versantur, ad securitatem evocant, et philosophiæ faces in sublimi loco procul accensas po-

nentes, sic eos qui voluerint ad tranquillum portum deducunt? Nonne propter illos seditiones, bella, pugnæ, urbium excidia, captivitates, servitutes, cædes et innumera sæculi mala non tantum ea, quæ per homines hominibus inferuntur, sed etiam ea, quæ de cœlo veniunt, ut siccitates, imbrium exundantiæ, terræ motus, ruinæ, urbium demersiones, fames, pestes, aliaque omnia, quæ nobis cœlitus immittuntur?

X. Hi itaque sunt, qui rempublicam evertunt, reique communi pestem inferunt. Hi aliis innumerarum calamitatum causa sunt, qui vitæ quietiori studentes perturbant, undique pertrahunt et dilaniant. Horum causa tribunalia leges mulctæ, sunt; et varii suppliciorum modi: acquemadmodum in domo, ubi multi jacent infirmi, incolumes vero pauci, et medicamina et medicos complures videas; sic et in orbe toto nulla gens est, nulla civitas, ubi non multæ leges sint, multi magistratus, multa supplicia. Neque enim ipsa per se medicamina possunt ægrum erigere, nisi adsint qui imponant illa; hi vero sunt judices, qui ægros, velint nolint, ad medicinam accipiendam cogunt. Attamen ita morbus obtinuit, ut ipsam medicorum artem superet, ipsosque judices invaserit: idipsumque contingit, ac si quis febri, morbo interculi, innumerisque aliis gravioribus correptus infirmitatibus, mala quidem propria non superaret; sed alios, qui iisdem incommodis laborarent, ab iis eripere studeret. Siquidem nequitiæ fluctus, ceu torrens, obicibus sublatis omnibus in humanos animos vehementer effusus est. Ecquid loquor de recte institutionis eversione? Periculum enim est, ne illa pestis ab improbis hominibus invecta, ea etiam, quæ de providentia Dei a plurimis disputata sunt, refellat: usque adeo progreditur, augetur, omnia pervadere satagit, omnia susdeque evertit, demumque adversus ipsum cœlum suscipit bellum: dum hominum linguas, non

jam contra conservos, sed contra omnibus imperantem Dominum armat. Undenam, quæso, tot illa ubique de ſato colloquia? Undenam irrationabili siderum motui omnia quæ fiunt, ascribunt plurimi? Cur fortunam, cur casum quidam prædicant? Cur temere et sine ratione ferri omnia putant? Propter eos-ne, qui probe et moderate vivunt, an propter eos quos tu dicebas rempublicam continere, ego vero communem orbis pestem esse monstravi? Propter hos sane ut liquet. Nemo enim indignatur, quod hic aut ille philosophetur, aut quod probus moderatusque sit, aut temperans, quodque res hujus sæculi despiciat; sed quod ille sit opulentus, quod in deliciis agat, quod avarus sit, quod rapiat, quod sit improbus, vitiisque plenus innumeris, quod splenditus sit et prospere agat. Hæc querentes et incusantes jactitant, qui Deo non credunt. His offenduntur plurimi, ita ut illorum gratia, qui probe vitam agunt, non modo hujusmodi nihil locuturi sint; sed se ipsos damnaturi, si ad providentiam Dei incusandam inducti fuerint. Quod si omnes aut certe major hominum pars ita vivere vellent, nullus unquam ejusmodi verba cogitasset, neque ille malorum colophon inductus fuisset, ut quæreretur unde sint mala. Nam si mala nec essent, nec apparerent, quis potuisset, quænam sit malorum causa, quærere, et per hanc quæstionem innumeras hæreses suscitare? Etenim Marcion, Manes, Valentinus, et plurimi Græcorum hinc initium sumpserunt. Si autem omnes philosopharentur, nullus esset huic quæstioni locus; sed si non aliunde, ab hac saltem optima vivendi ratione didicissent omnes, nos sub Deo rege vivere, illumque res nostras secundum sapientiam prudentiamque suam administrare et moderari. Quod nunc quoque fit, sed non facile perspicitur ob ingentem illam nebulam, quam per totum terrarum orbem effuderunt. Quod si res non ita se

haberet, quasi in meridiana luce et sereno aëre Dei providentia omnibus appareret. Nam si non tribunalia essent, non accusatores, non sycophantæ, non cruciatus, non mulctæ, non carceres, non supplicia, non bonorum publicationes, non damna, non timores et pericula, non inimicitiæ, non insidiæ, non convicia et odia, non fames, non pestes, non aliud quidpiam eorum, quæ in ærumnis numerantur; sed omnes congruente cum probitate viverent, quis unquam vivorum de providentia divina dubitaret? Profecto nullus. Nunc autem idipsum contingit, ac si ingruente tempestate, gubernator suas impleret partes, et scapham servaret, ejus tamen peritia diligentiaque a vectoribus non adverteretur, ob perturbationem, metum, impendentiumque malorum sollicitudinem. Deus quippe hoc universum etiam nunc gubernat, multis autem id non videtur ob rerum perturbationem ac tempestatem, quam tempestatem perturbationemque hi maxime omnium excitant. Itaque non tantum institutionem morum evertunt, sed et piam religionem labefactant: nec sane peccabit qui eos communes inimicos appellaverit, qui ideo vivunt ut cæterorum saluti adversentur, execrandaque sua doctrina, atque impurissima vita eos, qui secum navigant, demergunt.

XI. At in monasteriis nihil hujusmodi videre est; sed etiamsi tanta tempestas intumescat, soli in portu, in tranquillitate et securitate magna resident, ac quasi ex cœlo ipso cæterorum naufragia respiciunt. Namque vitæ genus cœlo dignum delegerunt, nec minorem angelico statum obtinent. Quemadmodum enim apud Angelos nulla est inæqualitas; neque alii prospere, alii in extremis malis versantur, sed omnes in una pace, lætitia et gloria; sic et his in locis, nemo paupertatem exprobrat, nemo de divitiis gloriatur: meum et tuum illud, quod omnia sub-

vertit et perturbat, penitus exulat. Omnia ipsis communia sunt, mensa, domicilium, vestimenta. Ecquid mirum, quando ipsa anima una eademque omnibus est? Omnes eadem sunt nobilitate nobiles, eadem servitute servi, eadem libertate liberi. Unæ illic omnibus divitiæ, quæ vere divitiæ sunt: una gloria quæ vere gloria: non enim nomine, sed re bona tenent; una voluptas, unum desiderium, una spes omnibus: ac quasi quadam norma et libra omnia accurate ordinantur. Nulla inæqualitas sed ordo, concinnitas, harmonia, et multa concordiæ servandæ diligentia, perpetua que lætitiæ materia. Quamobrem omnes omnia faciunt et patiuntur, ut lætentur et gaudeant. Illic enim solum videas hæc perfecte contingere, nusquam alibi: non modo quod præsentia omnia contemnant, atque omnem rixæ ac discordiæ materiam absciderint, splendidaque futurorum spe fulti sint; sed etiam quod ea quæ singulis accidunt, seu tristia, seu bona, omnibus communia esse putentur. Mœror quippe facilius tollitur, cum proportione quadam omnes singulorum comportent onera: lætitiæ vero multas habent occasiones, non de suis modo commodis, sed de aliorum quoque, non minus, quam de suis, gaudentes. Quem igitur exitum habebunt res nostræ, si cuncti hos imitemur? Nunc enim propter eos perierunt ac corruptæ sunt, qui longe ab hoc vitæ instituto versantur. Tu vero dum contraria decernis, idipsum facis, ac si quis lyram concinne aptatam, quasi inutilem reprobaret; secus dispositam, vel intentione, vel remissione nimia labefactatam, idoneam diceret ad pulsationem et ad spectatorum voluptatem. At neque ad musicæ imperitiam hæc dicentis aliud majus argumentum quæreremus; neque ad livorem et inhumanitatem illorum, qui ita decernunt, commonstrandam signum aliud clarius proferremus. Verum quid dicunt pa-

tres illi qui moderatiore animo sunt: Discant, aiunt, primum litteras, atque cum illis probe imbuti fuerint, tunc philosophiam hanc exerceant: tunc nemo prohibebit. Et unde certum erit illos ad virilem ætatem perventuros esse? multi enim præmatura morte sublati sunt. Sed concedatur id certum esse, ponamusque illos futuros esse viros; quis sponsor erit pro illa priori ætate? Nihildum contentiose dico, nam si quis hanc præberet fiduciam, ne quidem tum educerem cum litteris imbuti essent; sed tunc præcipue illic manere juberem, nec laudarem eos qui ad fugam cohortarentur, sed ut communes reipublicæ hostes aversarer: quia lucernas occultantes, et luminaria ex urbe in desertum ducentes, civitatem maximis privarent emolumentis. Sin autem nemo fuerit, qui hæc polliceri possit, quæ utilitas si ad magistros mittantur, ubi prius vitia, quam litteras ediscent, dumque id quod minus est assequi studebunt, quod majus est perdent, vires animi scilicet, omnemque probitatis indolem? Quid ergo ludos-ne omnes litterarios diruemus, aint? Minime hoc dico: sed ut ne virtutis destruamus ædificium, neu vivam obruamus animam. Quæ si temperans quidem fuerit, nullum ex litterarum imperitia sequetur detrimentum; sin corrupta fuerit, maximum damnum erit, etiamsi lingua vehementer acuta fuerit et expolita, tantoque majus damnum, quanto major dicendi vis accesserit. Nequitia enim cum dicendi facultate conjuncta multo deteriora, quam imperitia, mala parere solet. Quid si illuc abeuntes, inquiet, præterquam quod tardiorem linguam habeant, ab illa etiam virtute excidant? Quid vero si manentes, dic mihi, præterquam quod animam perdant, nihil ad eloquentiam in schola proficiant? Mihi quippe magis hæc dicere convenit, quam illa tibi. Quare? Quia etsi utrinque futurum incertum est, ex tua parte incertius est. Quomodo et qua de causa? Quia litte-

rarum studium morum probitate opus habet; morum autem probitas non item litteris. Temperantiam nempe sine hac eruditione exercere possumus; eruditionem vero absque morum probitate nemo assequatur unquam, cum omne tempus in nequitia et lascivia absumatur. Itaque quod illic metuebas, hic quoque timendum est; imo tanto magis hic, quanto frequentius a scopo aberratur, et quanto majoribus de rebus periculum est. Atque illic quidem unius tantum rei exercitatio necessaria est; hic autem res duæ acquirendæ proponuntur, ita ut alteram sine altera nancisci nequeas; litteras neque sine temperantia. Sin autem vis, quod vere non potest esse, concedamus esse posse; quid tandem boni nobis ab hac peritia contingat, si letali vulnere confodiamur? Quid vero mali ab imperitia, si quæ maxima sunt assequamur? Hæc vero non solùm apud nos, qui externam illam sapientiam ridemus, eamque stultitiam esse arbitramur; sed etiam apud ipsos exteros philosophos in confesso habentur. Ideo ex illis plurimi non multum litteras curarunt; alii vero penitus contempserunt, et imperiti permanserunt, totamque vitam in ea philosophiæ parte, quæ mores respicit, agentes, clarissimi atque celeberrimi evaserunt. Etenim Anacharsis, Crates et Diogenes, ejus nullam habuere curam; imo ne Socrates quidem, ut nonnulli dicunt, hujusque rei testis nobis esse possit is, qui hac in arte longe cæteros antevertit, et qui ea, quæ illum spectabant longe accuratius, quam cæteri, noverat. Cum enim illum aliquando ad tribunal introduxisset, ut causam suam defenderet, in apologia ad judices ita loquentem inducit. « Vos autem ex me audituri estis omnem veritatem; non tamen me Hercle, viri Athenienses, oratione eleganti, ut isti, verbis ac nominibus exornata: sed audituri estis vulgaribus obviisque nominibus loquentem. Credo enim justa esse quæ dico,

nullusque vestrum aliud expectet. Neque enim profecto, judices, huic ætati convenit, velut adolescentulo, concinnatis ad vos ingredi verbis[1]. » Hoc autem cum dicit, ostendit se non ex negligentia, sed quod eam rem non magni faceret, nec didicisse, nec illa usum fuisse. Itaque non philosophorum est eloquentia, imo ne virorum quidem; sed adolescentulorum tantum ludentium æmulatio, ut et ipsis quoque philosophis videtur; nec aliis modo philosophis, sed etiam ei, qui omnes facile superavit. Etenim magistrum ea re ornari non permittit, cum eum ornatum turpem philosophoque indignum existimet. Verum hæc ad infidelem quempiam merito quis dixerit; imo vero ad fidelem magis. Quomodo enim non absurdum fuerit, cum ii etiam, qui multitudinis auram aucupantur, nec alio modo, quam externa sapientia clari esse possunt, eam nihil esse arbitrentur, nos illam usque adeo mirari tantique facere, ut ea quæ maxime necessaria sunt propter illam contemnamus?

XII. Ad infidelem quidem hæc satis sunt : ad fidelem vero et hæc et alia ex nostris documenta afferenda sunt. Quænam illa? Magni illi et sancti viri, qui primi fuerunt, cum litteræ nondum essent : tum ii qui post illos fuerunt, cum litteræ quidem essent, dicendi vero peritia nondum; et qui hos secuti sunt, cum et litteræ et dicendi peritia essent. Illi vero (primi) utrorumque expertes erant, non modo enim eloquentiæ institutione, sed etiam litterarum peritia vacui erant : qui tamen vel iis in rebus, in quibus eloquentiæ vis necessaria esse videtur, usque adeo iis, qui illa instructi erant, antecelluerunt, ut hi insipientibus pueris deteriores esse viderentur. Cum enim persuadendi vis in eloquentia maxime sita sit, et tamen philosophi ne unum unquam tyrannum superaverint; illi vero imperiti

[1] Verba Socratis apud Platonem initio Apologiæ.

et idiotæ totum orbem converterint, planum est apud eos, scilicet litterarum imperitos et idiotas, sapientiæ palmam esse, non autem apud illos, qui utraque facultate pollebant. Adeo ut vera sapientia, veraque eruditio nihil aliud sit, quam Dei timor. At nemo putet me hanc legem statuere, quod pueri esse debeant imperiti. Sed si quis me de necessariis securum præstaret, nollem impedire quin hoc ex abundantia fieret. Quemadmodum enim concussis cum domo tota fundamentis, totaque fabrica ruinam minitante, extremæ dementiæ ac insipientiæ esset ad illitores, non ad structores currere; sic item importunæ contentionis esset, parietibus firmites stantibus, eos, qui ipsum illinere vellent, prohibere. Quod autem id ex animo loquar, quæ ipsis operibus ostendi, hæc jam vobis narrabo. Adolescens quidam admodum locuples aliquando in urbe nostra demoratus est eruditionis acquirendæ gratia, latinæ scilicet et græcæ. Hunc pædagogus sequebatur semper, cui una cura erat, ut ejus animam informaret. Hunc ego pædagogum adiens, erat enim ex iis, qui in montibus residebant; causam ediscere conabar, cur cum hujusmodi sapientiam professus esset, in pædagogorum vitam se ipsum demisisset. Ille vero respondit sibi parum temporis superesse in hujusmodi officio præstando, et rem altius repetitam enarravit nobis. Puero, inquit, huic pater est durus, ferox, et mundi rebus inhians; mater autem modesta, temperans, proba et ad cœlum tantum respiciens. Pater itaque, utpote qui in bellis multa fortiter gesserit, filium vult ad paternum ordinem deducere; mater vero id minime optat, sed admodum deprecatur : ac in votis habet et expetit illum in monachorum statu florentem videre. Verum id patri dicere non ausa est; verita ne si id ille subodoraretur, præmature illum sæculi vinculis obligaret, atque ab hoc studio abductum ad balteum trans-

ferret, et ad omnem quæ inde sequi solet vitæ negligentiam; ita ut postea emendari et ad meliorem se frugem recipere non possit. Hujusmodi igitur arte utitur. Evocat me domum, hocque patefacto consilio, apprehensam pueri dexteram manibus tradit meis. Me sciscitante cur hoc faceret: Unam, inquit, hanc superesse rationem procurandæ filio salutis, si vellem pædagogi statum assumens filii curam sumere, et huc accedere. Se patri suasuram esse, etiam ei, qui militiam adire velit, utilem esse litterarum institutionem. Hæc ego, inquit, si efficere potuero, tu seorsum et in aliena domo, ubi nec pater nec familiarium quispiam turbas movere possit, summa illum facultate formare poteris, vitamque ejus ita ordinare, ac si in monasterio degeret. Cæterum annue mihi, ac in partem simulationis mecum venire ne graveris. Non parva res agitur, de filii anima certamen est ac periculum: ne spernas charissimum mihi omnium periclitantem; sed eripe illum a circompositis undique laqueis, a tempestate, a fluctibus. Sin vero tu gratiam præstare nolueris, Deum jam in medium appello, testemque voco me nihil eorum omisisse, quæ ad hujus animæ salutem necessaria erant, mundamque esse a sanguine pueri hujus. Quod si quid contigerit illum pati eorum, quæ puero in tantis deliciis et in tanta negligentia vivente contingere possunt, abs te illa die pueri animam requiret Deus. His et pluribus etiam verbis compellans, vehementer ac miserabiliter illacrymans, mihi tandem persuasit, ut hac negotium susciperem, ac cum his mandatis me ab se dimisit. Nec vana illi fuit hæc machinatio: ita enim brevi puerum egregius ille pædagogus exercuit, tantumque in eo ignem desiderii illius accendit, ut cuncta simul abjiceret, atque in desertum aufugeret, alioque rursus indigeret freno, quod illum a vehementiore illa exercitatione ad moderationem traduceret. Namque metuen-

dum erat, ne tanto illo studio ante tempus drama totum revelaret, et matri, pædagogo atque omnibus ubique monachis bellum excitaret gravissimum. Nam si pater illam sensisset fugam, nunquam destitisset omnia movere, ut sanctos illos expelleret, non eos tantum, qui filium susceperant, sed alios etiam omnes. Hunc igitur ego puerum assumens, hæc et plura locutus, philosophiæ hujus desiderium in eo manere permisi, imo magis adauxi, in urbe autem habitare rogabam, ac litterarum studiis hærere : ita enim et æqualibus suis maxime profuturum et rem patri ignotam fore. Id vero necessarium esse putabam, non modo sanctorum illorum causa, non matris, non pædagogi tantum; sed illius etiam pueri. Si enim initio institisset pater, periculum erat ne philosophiæ plantas concuteret, teneras nempe, ac nuper positas. Sin vero multum temporis procederet et radices probe mitteret, valde confidebam, quidquid tandem contingeret, nunquam futurum ut pater filium posset lædere : quod etiam evenit, nec me spes mea fefellit : cum enim pater ejus postmodum multo elapso tempore illum adorsus, magno cum impetu irrueret, non modo ædificium nullatenus nutare fecit; sed illud firmius esse monstravit. Condiscipulorum autem plurimi ex illius consortio tantum profecerunt, ut ejusdem instituti fierent æmuli. Cum enim ille semper domi moderatorem haberet, ceu statua jugiter manu artificis expolita, sic quotidie animæ pulchritudinis incrementum accipiebat. Et quod mirabilius est, cum foris versabatur, nihil differre videbatur a cæteris, non enim rusticis et incomptis moribus, non veste singulari erat; sed similis aliis habitu, aspectu, voce, cæterisque erat. Quamobrem ex sibi familiaribus plurimos iisdem retibus cepit, multam occultans intrinsecus philosophiam. Domi vero si quis illum vidisset, putasset esse quemdam ex iis, qui in montibus sedes haberent. Siquidem

domus ejus ad monasterii normam ordinabatur, ubi præter necessaria nihil aderat. Tempus autem omne lectione sanctorum librorum transigebat. Cum enim acri ad disciplinas ingenio esset, externæ eruditioni modicam diei partem insumebat, reliquum vero temporis precibus frequentibus Librisque divinis deputabat, ac sine cibo tota perseverabat die ; imo nec una tantum die, neque duabus, sed pluribus. Noctes porro illi horum consciæ erant, lacrymarum, precum hujusmodique lectionis : quæ omnia nobis pædagogus clam annuntiabat. Puer enim indignabatur vehementer, si quid hujusmodi efferri cognosceret. Dicebat ergo ipsum sibi cilicium in vestem paravisse, illaque per noctem dum dormiret indui, eo scilicet consilio, ut citius exurgere posset : in aliis quoque ipsum monachorum disciplinam diligenter servare, Deique frequenter laudes persolvere, qui sibi tam leves philosophiæ pennas indidisset. Itaque si quis mihi nunc animum ita comparatum ostenderet, pædagogumque similem præberet, aliaque omnia similiter se polliceretur curaturum, millies optarem ita fieri, idque magis, quam ipsi parentes. Sic enim profecto majus lucrum accederet, cum possent pueri hujusmodi; per vitæ rationem, per ætatem ac per juge consortium æquales suos inescare. At nullus est qui se ita facturum polliceatur. Cum vero nullus sit, summæ crudelitatis esset eum, qui ne se ipsum quidem defendere possit, sed jaceat innumeris confossus vulneribus, aliosque infirmiores reddat, in medio concidi permittere, cum oporteret eum e pugna summovere. Namque similiter dux puniendus esset, qui pugnare valentes milites ex prælio abduceret, saucios autem et prostratos, qui aliis impedimento essent, in medio semper jacere juberet.

XIII. Verum quia parentum plurimi instant, liberosque suos in litteris vitam agere cupiunt, ac si pro certo ha-

beant ipsos ad culmen eloquentiæ perventuros : hac quidem de re ne contendamus, neu dicamus ipsum a scopo aberraturum ; sed concedamus eum studii sui fructum hujusmodi consecuturum, et ad culmen venturum esse. Sit autem nobis duarum rerum optio ; vel ad ludi-magistros proficiscens, eruditionem assequi contendat ; vel solitudinem petens, animæ prospiciat ; utro in studio rem obtinere præstat? Nam si in utroque contingat, id ego quoque volo ; sin alterutrum relinquendum sit, quod præstabilius eligendum est. Etiam, inquiunt, sed hoc ipsum unde nobis constare poterit, eum perseveraturum et mansurum, nec lapsurum esse? Multi namque deciderunt. At unde constare potest ipsos non perseveraturos et mansuros esse? Multi namque perseverant, et quidem plures iis, qui decidunt : ita ut horum causa magis confidendum sit, quam illorum timendum. Cur autem non idipsum circa litterarum studia metuis, ubi maxime timendum est? Namque apud monachos quidem ex multis pauci lapsi sunt, in scholis autem liberalium disciplinarum, ex multis pauci peritiam assequuntur. Neque inde tantum, sed etiam multis aliis de causis in hac parte magis timendum est. Siquidem et pueri obtusum ingenium, et magistrorum imperitia, et pædagogorum negligentia, et patris incuria, ac sumptuum mercedisque defectus, et morum dissimilitudo, et condiscipulorum nequitia, et livor invidiaque ; aliaque plurima ab assequendo fine deturbant, neque hæc tantum, sed post ipsum etiam studiorum finem alia et plura quidem impedimenta occurrunt. Postquam enim superatis omnibus elapsusque obicibus ad ipsum eruditionis culmen pervenerit, aliæ rursum insidiæ sunt positæ. Namque principis odium, consortium invidia, temporum difficultas, amicorum inopia, paupertas, ab ipso fine sæpenumero excludunt. Atqui apud monachos nihil simile ; sed

una tantum re opus est, nobili scilicet atque eximia alacritate : quæ si affuerit, nihil impedit quominus ad finem virtutis perveniatur. Quomodo igitur non iniquum fuerit, ubi optima spes est manifesta et proxima, desperare, ac tremere; ubi vero alia spes contraria, remotissima est, ac multis obicibus intercipitur, non desperare, imo rei longe difficillimæ maximam sibi spem proponere : atque in litterarum studiis, non tristia quæ frequentius accidunt, sed bona, quæ raro contingunt considerare; circa statum vero monachorum contrarium facere, et ubi spes bonorum multæ sunt, ad tristia respicere tantum; ubi vero de contraria spe agitur, quæ bona sunt tantum considerare? Quanquam illic frequenter contingit, ut cum omnia, quæ concurrere debent pro voto contigerint, præmatura mors athletam post infinitos sudores nondum coronatum abripiat; hic vero etiamsi in mediis certaminibus illud accidat; tunc maxime splendidus et coronatus proficiscatur. Itaque si futurum metuis, circa litterarum studia maxime timendum est, ubi ne ad terminum perveniatur, plurima sunt impedimento. Tu vero illic quidem resides, diuturnasque moras sustines, non ea quæ in medio posita sunt, sumptus nempe, ærumnas, incertum eventum; sed finem tantum respiciens : hic autem cum nondum ad vestibulum puer ingressus sit, neque hanc pulcherrimam philosophiam attigerit, statim times et trepidas, jam desperatas cogitationes admittis? Atqui ipse paulo ante dicebas : quid enim? Is-ne, qui urbem incolit et domum, salutem consequi non potest? Ergo si cum urbe, domo et uxore salutem consequi potes, multo magis sine uxore et aliis hujusmodi. Neque enim est ejusdem hominis nunc quidem confidere, etiamsi sæcularibus negotiis illigatus fuerit, ac si hoc quoque modo salus acquiri possit : nunc vero, etsi ab omnibus liber evaserit,

tremere ac metuere, quasi sine illis probe vivere non possit. Nam si is, qui urbem incolit, posset salutem nancisci, ut dicis, multo magis qui in solitudine degit. Quid igitur hic non posse times, cum illic non timeas, ubi potius timendum esset?

XIV. At, inquies, non par crimen est sæcularem peccare, et eum qui semel se Deo consecraverit: neque enim ambo ab eadem altitudine cadunt, quare eorum vulnera non æqualia sunt. Te ipsum prorsus fallis, si alia putas a sæculari, alia a monacho exigi. Discrimen quippe inter illos hoc est, quod alius ducat uxorem, alius non ducat: pro aliis vero omnibus communem ambo rationem reddituri sunt. Nam qui irascitur fratri suo sine causa, sive sæcularis sive monachus sit, Deum similiter offendit: et qui respicit mulierem ad concupiscendum eam, utrolibet in statu sit, eadem adulterii plectetur pœna; imovero si quid ratiocinando addere fas sit, sæcularis hoc agens minus venia dignus est. Non enim par facinus est eum, qui uxorem habet, et hac consolatione fruitur, mulieris pulchritudine abduci, vel eum qui hoc prorsus destituitur auxilio, ab illo vinci malo. Rursus qui jurat, in quocumque statu versetur, pari modo damnatur. Neque enim Christus cum hac de re statueret legemque poneret, hanc distinctionem fecit, neque dixit: Si is qui jurat monachus sit, ex maligno est jusjurandum; si non monachus, non item. Sed simpliciter semelque omnibus dixit: « Ego au»tem dico vobis, non jurare omnino [1]. » Iterumque cum ait, « Væ ridentibus [2], » non addidit, Monachis, sed simpliciter sic omnibus legem tulit. Sicque fecit etiam in aliis omnibus magnis mirabilibusque præceptis. Cum enim ait: Beati pauperes spiritu, lugentes, mites, esurientes et sitientes justitiam, misericordes, mundi

[1] Matth. v, 34. — [2] Luc. vi.

corde, pacifi, qui persecutionem patiuntur propter justitiam[1], et qui fanda et infanda pro ipso ab iis, qui foris sunt, audiunt; neque sæcularis, neque monachi nomen apponit : sed hæc distinctio ab hominum mente inducta est. Scripturæ vero nihil norunt hujusmodi, sed volunt omnes vitam monachorum agere, etiam si uxores habeant. Audi enim quid dicat Paulus; cum Paulum profero, Christum dico rursus. Hic igitur cum conjugatis hominibus scriberet, filiosque nutrientibus, omnem ab illis monasticam diligentiam exigit; nam delicias omnes penitus resecans, tum eas quæ ad vestes, tum eas quæ ad cibos pertinent, hæc ait : « Mulieres in habitu ornato cum vere- » cundia et sobrietate ornantes se, et non in tortis crini- » bus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa[2]; » ac rursum : « Quæ autem in deliciis est, vivens mortua est[3]; » iterumque : « Habentes autem alimenta, et quibus tega- » mur, his contenti simus[4]. » Quid amplius posset aliquis a monachis exigere? Cum autem alios ad linguam continendam institueret, accuratas rursum leges statuit, talesque, quales ne ipsi quidem monachi facile impleant. Non enim turpitudinem, et stultiloquium tantum, sed etiam scurrilitatem eliminat : non furorem, iram et amaritudinem solum, sed etiam clamorem ab ore fidelium resecat. « Omnis, inquit, ira et indignatio, et clamor et blasphe- » mia tollatur a vobis, cum omni malitia[5]. » Num hæc tibi parva videntur? At expecta, et his longe majora audies, quæ de malorum tolerantia omnibus præcipit. « Sol, » inquit, non occidat super iracundiam vestram[6]. Videte » ne quis malum pro malo cuiquam reddat; sed semper » quod bonum est sectamini in invicem, et in omnes[7] : » ac rursum, « Noli vinci a malo, sed vince in bono ma-

[1] Matth. v, 3-11. — [2] 1 Tim. II, 9. — [3] Id. v, 6. — [4] Id. VI, 8. — [5] Ephes. IV, 31. — [6] Ibid. 26. — [7] 1 Thess. v, 15.

» lum[1]. » Vidisti-ne philosophiæ et longanimitatis magnitudinem ad supremum culmen ascendentem? Audi quid de charitate, quæ est caput bonorum, præcipiat : postquam enim eam extulisset, ejusque præclara gesta narrasset, eamdem se a sæcularibus exigere declarat, quam Christus a Discipulis. Quemadmodum enim Christus extremum charitatis terminum esse dixit animam suam ponere pro amicis suis; sic et Paulus idipsum subindicat his verbis : « Charitas non quærit quæ sua sunt[2], » atque hujusmodi charitatem sectari jubet. Ita ut si id solum dictum esset, idoneum id esset argumentum, eadem ipsa a sæcularibus, quæ a monachis, requiri : hæc quippe est vinculum et radix multæ virtutis, nunc autem illam minutatim et per partes refert. Quid igitur hac philosophia majus requiratur? Cum enim ira, furore, clamore, pecuniarum cupiditate, ventris ingluvie, magnificentia, inani gloria, et rebus aliis sæcularibus superiores nos esse, et nihil cum terra commune habere præcipiat; cum membra nostra mortificare jubeat, palam est eum a nobis eamdem vitæ diligentiam requirere, quam Christus a Discipulis; atque nos peccatis mortuos esse velle, ac si jam mortui et sepulti essemus. Quapropter dicit : « Nam qui mortuus est, » justificatus est a peccato[3]. » Nonnunquam item ad Christi, nec tantum ad Discipulorum, imitationem nos hortatur. Etenim cum nos hortatur ad charitatem, inde sumit exempla, similiterque cum ad injuriarum oblivionem, atque ad modestiam. Cum itaque non monachos tantum ac discipulos, sed et ipsum imitari Christum jubeat, et non imitantibus maximum ponat supplicium, qua tandem ratione dicis illam esse majorem altitudinem? Ad eamdem enim ipsam omnes homines ascendere oportet : et quod universum evertit orbem illud est, quod solis

[1] m. xii, 21. — [2] 1 Cor. xiii, 5. — [3] Rom. vi, 7.

monachis illa diligentia opus esse putemus, cæterisque negligenter vivere licere. Non ita sane, non ita est, sed eadem ab omnibus philosophia requiritur : idque vehementer affirmaverim ; imovero non ego, sed is qui nos judicaturus est. Sin adhuc miraris et hæres, age rursum ex iisdem scaturiginibus aures tuas inundemus, ut omnis incredulitatis tuæ nequitia abluatur. Documenta vero sumam ex suppliciis diei illius. Dives ille, non quod monachus crudelis esset ideo vehementius cruciabatur, sed si quid a nobis inventum loqui fas sit, quia sæcularis cum esset, in divitiis et in purpura degens, Lazarum in extrema paupertate viventem despexit. Cæterum neque hoc, neque illud dicam, sed solum quia crudelis erat, ideo majore ignis supplicio puniebatur. Virgines quoque quia humanitatem posthabuerunt, ideo a thalamo sponsi repulsæ sunt ; ac si quid a nobis ipsis dicere opus sit, non solum illis cruciatus non aucti sunt, quod virginitatem coluissent, sed mitiores ideo fuerunt. Non enim audierunt : « Ite in » ignem paratum diabolo et angelis ejus ; » sed tantum, « Non novi vos[1]. » Si quis vero dicat hoc et illud idipsum esse, nihil repugnabo. Nam quod mihi nunc ostendere incumbit, illud est, quod monachorum vita non graviora attrahat supplicia ; sed quod sæculares eadem peccata admittentes iisdem sint pœnis obnoxii. Is enim qui sordidis vestibus amictus erat, et is qui centum denarios exigebat, non quod monachi essent ea passi sunt, quæ passi referuntur ; sed alter ob fornicationem ; alter quod non condonasset, perierunt. Et alios quoque supplicio tunc affectos si quis percurrat, deprehendet eos propter peccata solum pœnas luisse. Id vero non in suppliciis tantum, sed in admonitionibus quoque animadvertas. Nam cum dicit : « Ve» nite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego

[1] Matth. xxv, 12.

» reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite » a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis re» quiem animabus vestris[1]; » non monachis tantum loquitur, sed toti humano generi. Cumque jubet per angustam incedere viam, non illos modo, sed omnes homines alloquitur: et animam suam odio habere in hoc mundo, et similia omnia universis pariter præcepit. Cum autem non omnibus loquitur vel legem dat, idipsum nobis palam facit. Cum itaque de virginitate loqueretur, intulit, « Qui » potest capere capiat, » neque illud, « Omnis[2], » adjiciens, neque id in præcepti forma statuens. Sic etiam Paulus, nam Magistrum ubique imitari deprehenditur, cumque in idem argumentum incidisset, aiebat: « De virginibus » autem, præceptum Domini non habeo[3]. » Quod igitur et sæcularem et monachum ad idem cacumen pertingere oporteat, et quod uterque lapsus eadem vulnera accepturus sit, ne admodum quidem contentiosum et impudentem deinceps negaturum puto.

XV. Hoc autem aperte demonstrato, age illud quoque inquiramus, quis facilius lapsurus sit. Certe hic non perquisitione opus est; continentiam quippe is, qui uxorem habet, facilius servabit, utpote qui solatio multo fruatur: in reliquis autem non ita clara res est. Verum in illa quoque re plures videmus conjugatorum cadere, quam monachorum. Neque enim tot ex monasteriis ad nuptias transeunt, quot ex conjugali toro ad scorta. Quod si in certaminibus illis sibi facilibus usque adeo frequentius cadant; quid in aliis animi affectibus facturi sunt, ubi magis exagitantur quam monachi? Nam concupiscentia quidem hos vehementius stimulat, utpote qui nullum habeant cum mulieribus consortium. Reliqua vero ad hos prope accedere nequeunt; illos autem violenter adoriuntur, et a ca-

[1] Matth. XI, 28, 29. — [2] Id. XIX, 12 — [3] I Cor. VII, 25.

pite præcipitant. Quod si ubi violentiori bello premuntur monachi, frequentius superant, quam illi, cum quibus remissius agitur; palam est eos in cæteris, ubi non exagitantur, firmiter constituturos. Etenim pecuniæ amor, itemque concupiscentia deliciarum, potentiæ, reliquorumque omnium, facilius ab his, quam a sæcularibus, vinci solent. Quasi in acie igitur, atque in prælio, hanc belli partem leviorem esse dicemus, non in qua unus super alium et frequentes cadunt, sed in qua pauci et rari: sic et de his sententiam ferre par est. Siquidem avaritiam non ille, qui in medio rerum versatur, sed hic, qui in montibus residet, facilius superabit. Nam ille certe nullo negotio capietur: is vero qui avaritia corripitur, cum idololatris annumerandus est. Ac monachus quidem propinquos et familiares non despiciet, si pecunias habeat, sed largiter iis illas effundet; ille vero non tantum eos despiciet, verumetiam lædet non minus, quam alienos. Quod profecto aliud idololatriæ genus est priori longe gravius. Ecquid alia omnia recensere opus, quæ cum a monachis facilius superentur, sæculares cum vehementia dejiciunt? Cur ergo non times? cur non trepidas, dum hanc vitam agis, ubi a nequitia cito capieris? Num tibi parvum quid videtur esse idololatria teneri, et infidelibus deteriorem esse, Deique servitium operibus abnegare, quæ omnia facilius, quam monachi, patientur ii, qui sæculo addicti sunt? Vides-ne quod mera fictio metus iste sit? Nam si metuendum esset, non illis certe metuendum, qui procellas fugiunt, vel illis qui ad portum festinant, sed iis, qui procella et tempestate jactantur. Citius enim hinc naufragia timenda, quod plura sint perturbantia, et segniores ii, qui resistere debent. Hic vero non tot fluctus habentur, sed magna tranquillitas, majorque diligentia eorum, quos adversus illa pugnare oportet. Quamobrem nos in deser-

tum trahimus eos, non ut sacco induantur, non ut cinerem substernant tantum; sed imprimis ut vitia fugiant, eligantque virtutem. Quid igitur? Omnes-ne conjugati peribunt? Non equidem id dico; sed majoribus eos laboribus obnoxios esse, si salutem consequi velint, idque ob imminentem necessitatem. Nam is, qui solutus est, facilius curret, quam is qui est vinculis obstrictus. Ergo majoribus ille præmiis donabitur, illustrioribusque coronis? Minime vero. Nam hanc ille sibi necessitatem imponit, cum liceret non imponere. Itaque quoniam, ut a nobis clare demonstratum est, iisdem sumus officiis obnoxii, quibus monachi, faciliorem percurramus viam, ad eamque filios attrahamus; ne illos demergamus, neve illos ad barathra, ut hostes et inimici, præcipitemus. Hæc enim si qui alii facerent, non adeo grave esset. Cum autem ipsi parentes, qui sæcularium rerum omnium experimentum acceperunt, qui operibus ipsis didicerunt frigidam admodum esse præsentium rerum voluptatem, adeo insaniant, ut alios ad eadem ipsa pertrahant, quoniam ipsi jam his frui per ætatem prohibentur; cum tamen se ipsos ex iis quæ præcesserunt, infelices prædicare deberent; illi contra, morti jam proximi et tribunali, pœnisque sibi deputatis, alios tamen præcipitent, quæ illis excusatio relinquetur? Quæ venia? Quæ misericordia? Non tantum enim peccatorum suorum pœnas dabunt, sed etiam eorum, quæ circa filios ausi sunt, sive illos supplantare potuerint, sive non potuerint.

XVI. At fortasse filios filiorum videre cupitis. Et quomodo illud, cum vos nondum patres sitis? Neque enim patrem facit generatio, quod ipsi quoque parentes fatentur, qui cum filios vident in extremum nequitiæ devenisse, quasi non suos abjiciunt et abdicant: neque natura, neque generatio, neque simile quidpiam ipsos cohibere potest.

Ne igitur patres dignentur existimari eorum, quibus secundum philosophiæ rationem longe inferiores sunt. Sed cum illos hoc quoque modo genuerint, tunc nepotes etiam quærant, tunc enim tantum ipsos videre poterunt. Sunt enim illis filii, sunt utique, « Non ex sanguinibus, neque » ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex » Deo[1] » ipso generati. Hi porro filii non pecuniarum causa luctum parentibus afferent, non nuptiarum, non alterius cujuscumque rei gratia; sed illos omni cura liberos dimissos, majori voluptate afficiunt, quam si ipsi naturales eorum patres essent. Non enim eadem ratione gignuntur ac nutriuntur, qua illi; sed multo excellentius ac splendidius, quamobrem majore parentes voluptate afficiunt. Illud præterea adjiciam, mirum non esse eos, qui resurrectioni non credunt, de his lugere, quippe quibus hæc sola relinquatur consolatio. At nos qui mortem somnum esse putamus, qui præsentia omnia despicere docti sumus, qua tandem venia digni erimus, si de his lugeamus, filiosque videre cupiamus, atque hic relinquere, unde ipsi transmeare festinamus, ubi cum simus, ingemiscimus? Et hæc quidem ad eos, qui spiritualiores sunt, dicta sint. Si qui vero sint corporis amantes, atque huic sæculo penitus addicti, iis illud dixerim, primo, incertum esse an ex matrimonio filii sint secuturi; secundo, si nascantur, majorem esse mœroris causam. Non enim tantum lætitiæ, quantum mœroris accipimus, a quotidiana circa eos sollicitudine, anxietate et timore. Et cui, dices, relinquemus agros, domos, servos et aurum? Nam et hæc quoque illos conquerentes audio. Ei profecto, qui hæc antea hæreditario jure possessurus erat, nuncque tanto magis, quam prius, quanto horum tutior custos et dominus futurus est. Hæc enim antea multa pessumdabant, tineæ, diuturnum

[1] Joan. I, 13.

tempus edax, fures, sycophantæ, invidi, futuri incertitudo, humanarum rerum instabilitas, mors tandem ipsa, et pecuniis et possessionibus istis filium tuum privasset, nunc vero omnibus istis superiores divitias reposuit, loco inviolabili reperto, ad quem nulli prædictarum pestium aditus esse potest. Is vero locus cœlum est, nullis insidiis pervium, omni terræ solo feracius, atque ingenti cum fœnore depositarum pecuniarum fructus metendos præbens iis qui ipsas deposuerint. Non igitur ea verba dicenda erant; sed si filius sæcularis esse maluisset, tunc flendum erat, tunc dicendum : Cui agros relinquemus? Cui aurum? Cui pecunias reliquas? Nunc autem tanta possessionis et dominii copia est, ut ne quidem post obitum illa excidat; sed tunc maxime eorum lucro fruatur cum hinc excesserimus. Quod si hic quoque eorum dominum et possessorem videre cupias, id quoque monacho magis, quam sæculari continget. Quis enim, dic mihi, potius dominus est, is-ne qui magna cum libertate impendit et largitur, an is qui præ avaritia ne contingere quidem audet, sed suffodit ea, ab iisque abstinet tanquam sibi alienis? Qui illa inaniter ac temere impendit, an qui id convenienter agit? Qui seminat in terra, an qui in cœlo? Qui sua omnia quibus voluerit erogare non permittitur, an qui ab omnibus ejusmodi vectigalia exigentibus liber evasit? Agricolæ namque et negotiatori multi undique sunt tributa persolvere cogentes, et suam quique partem repetentes: ei vero qui egenis sua erogare cupit, nemo talia comminatur; ita ut hic potius suorum dominus sit. An vero eum, qui meretricibus, ventri, parasitis, adulatoribus hæc effundit, gloriam suam in ignominiam vertit, salutem amittit, seque deridendum propinat, dominum dicas eorum quæ sic impendit; si autem ad veram gloriam utilitatemque, secundum Dei placitum cum multa prudentia illa expen-

dat, non item dicas? Annon idem facis, ac si quempiam perspiciens in aquæductus et canales sua effundere, eorum dominum esse dicas; sin vero necessariis usibus impendere, eum quasi expensarum dominium non habentem lugeas? Imovero non iis qui temere absumunt, sed iis, qui in capitis sui perniciem id faciunt, isti comparandi sunt. Illæ namque expensæ clariorem, opulentiorem, et tutiorem faciunt hominem; hæ vero non turpem modo, et opprobrio dignum; sed damnationi prorsus obnoxium.

XVII. Quid ergo, inquies, annon post matrimonium ac susceptos liberos licebit hanc philosophiam in senectute amplecti? At quis nobis polliceatur, primo quidem nos ad extremam senectutem perventuros; secundo, si ad eam perveniamus, eamdem prorsus mentem servaturos esse? Neque enim præstituti in vita temporis domini sumus: idque docuit nos Paulus cum dixit: « Dies Domini sicut fur » in nocte, ita veniet[1]: » neque rursus in eadem semper alacritate propositi cogitationes nostræ perseverant. Quapropter Sapiens quidam admonet his verbis: « Ne tardes » converti ad Dominum, et ne differas de die in diem, ne » forte dum tu moram trahis conteraris, et in tempore » ultionis pereas[2]. » Etiamsi vero eorum nihil esset incertum, nec sic quidem liberos nostros morari deberemus, neque tantum detrimentum negligere. Nam extremæ dementiæ esset, juvenem auxilio egentem, adversario vehementer instante, jubere sæcularibus immergi rebus; ita ut superatu facilis evaderet; postquam autem sexcentis vulneribus confossus, nulla ex parte sanus esset, tunc armare illum et excitare jacentem infirmumque. Ita sane, inquies, tunc enim levis pugna erit, facileque certamen, jam extincta concupiscentia. Quæ pugna, cum nullus adsit contra nos pugil? Ideo nec coronæ tunc illustres

[1] 1 Thess. v, 2. — [2] Eccli. v, 8, 9.

erunt : « Beatus enim, qui portaverit jugum ab adolescentia sua; sedebit solitarius, et tacebit [1]. » Hic sexcentis laudibus dignus, et beatitudinibus et præconiis, qui furentem naturam frenat, et in ipsa tempestatis vi scapham eripit. Verum ne super his rebus contendamus, concedamusque, si vis, tunc etiam bellum esse futurum. Sane si penes nos esset tempus certaminis statuere, jure tempus illud expectare liceret. Sin vero per totam vitam nobis dimicandum est, nempe ab ineunte ætate, sive a decennio, ex ea quippe ætate peccatorum rationem reddituri sumus, ut palam faciunt pueri illi, qui quod Eliseum irridere ausi essent, ab ursis devorati sunt, et nunc ex illa ætate præliandum est, qua bellum adversum nos gravissimum imminet, qua ratione tu tempus certaminibus constituis? Etenim si in tua potestate esset diabolo præcipere ut non irrumperet, vel pugnam committeret, hæc tua admonitio rationi non absona esse videretur; sin autem ex una parte ipsum pugnare sinens et telis impetere; me jubeas quiescere, imo sponte succumbere, quid hoc damno deterius fuerit, furente nimirum inimico, eum qui impetitur armis exuere, et sic in ejus manus tradere? Juvenis est et infirmus? Ideoque majori cautione est opus, majorque diligentia adhibenda est. Hujusmodi autem virum in tranquillitate et quiete degere oportet, non in negotia se conjicere et in medio versari, ubi tumultus ingens ac perturbatio. Tu contra eos, quibus bellum acrius imminet, et per ætatem, et per infirmitatem et per imperitiam, et quod in rerum medio versentur; hos quasi re jam bene gesta et acquisita fortitudine, in medium trahis, nec sinis in desertum proficisci ut exerceantur et ad pugnam se comparent: quemadmodum si quis eum, qui millia posset erigere tropæa, juberet

[1] Thren. III, 27, 28.

rem bellicam quiete meditari et addiscere; imperitum vero qui pugnam ne quidem respicere posset, ideo pugnam committere juberet, ac majora ideo impedimenta poneret, quod res difficilis esset. Præterea vero id considerandum est, non licere post nuptias cuiquam suum esse dominum, sed alterutrum necessarium esse, aut cum uxore semper versari, si ipsa velit; vel si illa continenter vivere voluerit, ea dimissa in adulterium incidere. Quid me dicere opus est alia necessitatis vincula, liberos, rei familiaris curas, quæ omnem propositi alacritatem obtundere possint, multumque animæ torporem infundere?

XVIII. Quamobrem longe melius est, dominum sui ac solutum, a primæva ætate armis instruere: non ob ea quæ dicta sunt tantum, sed non minus etiam ejus rei gratia, quæ mox dicetur, nam qui versus finem vitæ hanc philosophiam aggreditur, omne tempus conterit, ut peccata possit in præterita ætate admissa abluere; ejusque totum studium hac in re consumitur: sæpeque contingit ut non sat temporis habeat; et ex hac vita discedat vulnerum reliquias secum ferens. At vero quia prima ætate se exuit, non hac in re tempus absumit, nec sedet curans vulnera, sed ab exordio præmia accipit. Ac illi quidem satis est sarciendis cladibus omnibus pugnam inire; hic autem ab ipso cursus ingressu tropæa erigit, et victorias victoriis addit, velut Olympici certaminis victor, qui a prima ætate per victoriæ proclamationes ad senectam usque progressus, sic demum decedit innumeris coronis capite redimitus. Ex quorum itaque numero vis filium tuum esse? Eorumne qui magna cum fiducia ipsos Archangelos intueri possunt, an eorum qui stant in turba, et ultimum servant ordinem? Extremum namque sortientur omnino, si tamen possint ea omnia impedimenta transcurrere, quæ modo numeravimus: si nempe neque mors præmatura ipsos ab-

ripuerit, neque ab uxore postea impediti fuerint, neque tot vulnera acceperint, ut nec totum senectutis tempus ad illa curanda sufficiat; et si sententiam firmam semper et immotam servent. Cum enim hæc omnia concurrerint, tunc vix extrema occupabunt loca. Horum-ne igitur ex numero vis esse filium tuum, an eorum qui in phalangis fronte fulgebunt? Ecquis, inquies, ita miser, ut illa potius, quam hæc, optet filiis suis? Verum consuetudinem sectamur, et illos nobiscum esse volumus. Hoc ipsum et ego cupio, nec minus opto quam vos parentes, ut in paternam redeant domum et alimentorum vices parentibus referant, quibus reddendis vicibus his similes nunquam reperiant: verum hoc nunc ab illis non exigamus. Quomodo enim absurdum non fuerit si cum ad litterarum eos studia mittimus, longo eos tempore patria arcemus, et si ut artem quamdam mechanicam, aut aliam viliorem ediscant, domus propriæ aditu interdicimus, et in magistri domo prandere et dormire jubemus; cum autem non humanam quamdam disciplinam, sed cœlestem philosophiam adituri sunt, statim retrahimus, antequam id fiat quod optamus? Atque is quidem qui per extensum funem currere docetur, diu aberit domo, eos autem qui ex terra in cœlum avolare discunt cum parentibus claudemus? Quid hac absurditate possit esse deterius? Nonne agricolas videtis, etiamsi laborum fructum percipere gestiant, immaturos tamen illos nunquam demetere? Ergo nec filios nostros a deserti commoratione ante tempus abducamus; sed sinamus disciplinas altius imprimi, et plantas radicibus firmari. Etiamsi decem, etiamsi viginti annos in monasterio ali oporteat, ne turbemur, nec mœrore afficiamur; quanto enim diutius in gymnasio exercitabitur, tanto majores adipiscetur vires. Imo si placeat, ne tempus definiamus, sed terminus sit ille tantum, qui insitos fructus possit ad

maturitatem perducere; tuncque redeat ex solitudine, non autem antea. Nihil enim nobis proderit illa celeritas, nisi ut ad maturitatem nunquam perveniat. Qui enim ante tempus radicis alimento destituitur, is profecto ne adveniente quidem tempore utilis erit. Quod ut ne accidat, separationem illam patienter feramus; nec solum non urgeamus, sed si præmature redire velint, prohibeamus. Perfectum enim tunc lucrum accedet et patri et matri et domui et civitati et genti. Sin vero imperfectus redeat, ridiculus erit, probris expositus, aliisque noxius. Ne igitur detrimenti hujusmodi auctores simus. Nam cum peregre filios mittimus, tunc demum illos videre volumus, cum id perfecerint, cujus causa profecti sunt: si ante redeant, non tantum ex reditu voluptatis capimus, quantum ex eo mœroris, quod frustra redierint. Qui igitur non summæ stoliditatis fuerit, tantam in spiritualibus non adhibere curam, quantam in sæcularibus? Atque ibi quidem filiorum separationem tam philosophice ferre, ut eam diuturniorem esse optemus, si de utili quopiam agatur; hic vero ita molles et animo fractos esse cum illi proficiscuntur, ut hac nostra pusillanimitate multa corrumpamus bona : et hæc cum plura solatia habeamus, non tantum, quod illi ad majora se conferant, et finem sint prorsus assecuturi, nullusque spei futurus sit obex; sed etiam quod ad ipsam separationem pertinet. Nam si peregrinationem illi longinquam susceperint, non facile est illos convenire, cum maxime parentes ad senectutem pervenerint; hic autem illos frequenter adire licet. Id ergo faciamus, cum illi nondum ad nos proficisci poterunt, ipsos adeamus, illorum consortio et colloquio fruamur. Hinc nobis ingens lucrum, magnaque voluptas aderit. Non enim conspectu tantum charissimorum filiorum lætabimur; sed ipsi maximum adepti fructum, domum redibimus : persæpe etiam cum illis ma-

nebimus, philosophiæ amore capti. Tunc igitur illos revocemus, cum vires nacti erunt, aliisque prodesse poterunt. Tunc illos retrahamus, ita ut communis lux fiat, et lucerna ponatur supra candelabrum. Tunc videbitis quorumnam filiorum patres sitis, quorumve ii, quos nunc beatos dicitis. Tunc philosophiæ lucra videbitis, cum insanabiles hominum morbos curaverint, cum ut benefici communes, patroni et servatores prædicabuntur, cum ut Angeli cum hominibus in terris conversati fuerint, cum omnium obtutum in se converterint. Imo potius, quæcumque dixerimus, nihil tale exhibere potest, quale ipsa experientia et operibus videre est. Hæc legislatoribus facienda erant, si uti conveniebat actum esset, nempe ut non juvenibus virorum ætatem adeptis timores incuterent. Sed eos dum pueri erant instituere et informare opus fuerat, nec postea minæ adhibendæ fuissent. Nunc autem hoc ipsum agitur, ac si quis medicus ægrotanti nihil dicat, nec ostendat quo pacto curandus sit morbus, deplorata autem valetudine, innumeras remediorum leges statuat. Nam legislatores tunc nos instituere aggrediuntur, cum jam perversi sumus. Sed non ita Paulus, verum ab initio et a prima ætate magistros illis virtutis præficit, vitiis omnem aditum intercludens. Hæc quippe optima est disciplina, non prius vitia dominari sinere, et postea quærere quo pacto illa eliminari possint; sed omnia facere atque moliri, ut natura nostra nequitiæ sit inaccessa. Quamobrem hortor, non modo illos, qui id facere vellent, cohibere, sed etiam ipsos suscipere, scapham eripere, et procurare u secundo vento navigetur. Etenim si hanc omnes sententiam amplecteremur, et aliis posthabitis ad virtutem eos deduceremus, hoc solum operæ pretium, cætera vero omnia ascititia esse arbitrantes, tanta hinc contingerent bona, quanta si nunc dicam, jactantis more

loqui videar. Si quis autem scire cupiat, ex rebus ipsis probe cognoscet, ingentesque nobis gratias habebit, longeque majores Deo, cum viderit vitam illam cœlestem in terra germinantem, doctrinamque de futuris bonis ac de resurrectione, vel apud ipsos infideles obtinentem.

XIX. Quod autem hæc non jactantiæ verba sint, inde liquidum est, quod cum ipsis vitam eorum, qui in desertis versantur, enarramus: ad hæc nihil quod objiciant habent, sed fortiter repugnant et contendunt circa paucitatem eorum, qui ita perfecte se gerunt. Si vero in urbibus hunc fructum sereremus, bonaque disciplina et legem et initium acciperet; filiosque ante omnia moneremus, ut Deo amici fierent, spiritualesque disciplinas, vice omnium et ante omnes alias ipsos doceremus; tristia cuncta abscederent, innumerisque malis vita præsens eriperetur, ac quod de futura dicitur, nempe aufugisse dolorem, tristitiam et gemitum, hinc utique consequeremur omnes. Nam si nec pecuniarum, nec inanis gloriæ cupido nos teneret, neque mortem timeremus, neque paupertatem, nec ærumnas damnum arbitraremur, sed lucrum maximum, non inimicitia, non odio persequi novissemus, non propriis unquam, non alienis animi ægritudinibus expugnaremur: sed humanum genus Angelis proximum esset. Ecquis hominum, inquies, hanc rem tam præclare gessit? Jure non credis, utpote qui in urbibus habites, et divinos Libros non legeris. Quod si eos qui in desertis versantur, et eos qui in spiritualibus libris memorantur nosses, didicisses utique et monachos et prius, quam illi, Apostolos, tum etiam justos, qui Apostolos præcesserunt, summa cum diligentia hanc ipsam philosophiam exhibuisse. Vitandæ ergo litis causa, demus filium tuum secundo tertiove ab illis gradu futurum: non exiguis tamen fruetur bonis. Non ad Petrum, non ad Paulum attinget, imo nec proxime ad eos accedet,

num ideo illum a posterioris gradus honore privabimus? Idipsum facis hæc proferens, ac si ita loquereris, quia non potest fieri lapis pretiosus, maneat ferrum, nec argentum nec aurum efficiatur. Cur in externis rebus non eodem uteris ratiocinio, sed prorsus contrario? Nam cum ad litterarum disciplinam mittis, non illum ad supremum fastigium esse ascensurum expectas, nec tamen ideo ab hoc studio retrahis, sed omnia quæ penes te sunt præstas, satisque esse putas si ad quintum vel decimum a primo eloquentiæ gradum filius tuus pertingere possit. Cumque filii vestri imperatori militant, non semper ad præfectorum gradum ipsos ascensuros esse putatis, nec tamen jubetis deponere balteum, neque ad regiæ limina accedere prohibetis; sed nihil non agitis, ut ne illic versari unquam desinant, satis esse putantes, si eos medio in loco positis connumerari videatis. Quid causæ est igitur, quod illic quidem, etiamsi majora consequi non liceat, pro minoribus tamen assequendis laboratis, etsi pro his quoque spes sit dubia; hic vero segnes estis ac deficitis? Quia nempe illorum magno desiderio tenemini: horum vero ne perquam minimo. Deinde quia id confiteri erubescitis, occasiones et obtentus excogitatis. Itaque si illud plane velletis, nihil eorum vobis impedimento esset. Ita enim res se habet, si quis aliquid vere amet, licet non totum, nec summum consequi possit, vel medium, vel gradum etiam longe inferiorem nancisci peroptat. Nam qui vino et poculis deditus est, etiamsi optimum et suavissimum vinum habere non valeat, ne id quidem quod vilius est unquam contemnet. Rursum avarus, etiamsi nec lapides pretiosos, nec aurum, sed argentum solummodo quis præbeat, summas illi gratias habebit. Talis res est concupiscentia, adeo tyrannica, ut ei, quem semel ceperit, omnia pati et sustinere suadeat. Ita ut hæc verba, si non simulate tantum

prætendantur, postulent ut quis cooperetur et laborem adeat. Ejus enim est, qui aliquid concupiscit, non impedire quominus fiat, sed ut fiat omnia moliri. Etenim qui ad Olympica certamina descendunt, etsi sciant unum ex tanta multitudine victorem fore, laborant tamen atque fatigantur: tametsi hic atque illic non par ratio est, non solum ob certaminum finem; sed etiam quod illic necesse sit unum duntaxat coronatum abire; hic vero præcellentia, et inferior conditio non in eo sitæ sint, quod alter non coronatus, alter coronatus abscedat, sed quod alius splendidiorem, alius minorem acclamationem obtineat; sed tamen omnes sortiantur, Denique si vellemus a principio informare filios, et educare cupientibus tradere, fieri sane posset, ut in primo castrorum starent ordine; neque enim Deus tantam animi alacritatem, tantum studium sperneret, sed manum porrigeret, imaginique formandæ operam daret. Illa vero operante manu, fieri nequit ut quid gestorum excidat; imo fieri nequit ut ad culmen splendoris et gloriæ non perveniatur, si modo ea, quæ penes nos sunt, sequerentur. Nam si mulieres a Deo impetrare potuerunt, ut sibi ad liberorum curam opitularetur, multo magis nos, si velimus, id consequi poterimus. Alias quidem, ne longius excurrat oratio, prætermittam, ac licet multas proferendas habeam, unam tantum commemorabo.

XX. Anna quædam erat Judæa mulier; hæc filium peperit unum: cumque non speraret se alium parituram esse, quippe quæ hunc vix postque multas lacrymas peperisset, nam sterilis erat, videns æmulam suam sibi ideo frequenter insultantem; nequaquam id fecit, quod vos agitis; sed susceptum filium, illo tantum tempore apud se retinuit, quo necesse erat, ut ablactaretur. Cum autem lacte amplius non egeret, sumptum statim obtulit Deo,

nec ut in paternam veniret domum rogavit unquam; sed semper in templo Dei ille morabatur. Si quando illum videre cuperet, utpote mater, non evocabat ad se puerum, sed ad illum cum patre ascendebat, ab illo abstinens, quia in donum consecratus erat. Adeoque strenuus et magnus adolescens evasit, ut Deum ab Hebræorum gente, ob late effusam ipsorum nequitiam, aversum, non oracula fundentem, nec visionem ullam præbentem, per virtutem suam attraheret, et impetraret ab eo ut eadem ipsa præberet, quæ antea, et prophetiam, quæ avolaverat, restitueret. Hæc autem potuit, non matura jam ætate, sed cum adhuc puerulus esset. « Non enim erat, inquit, visio dis» tinguens, et verbum pretiosum erat[1]. » Attamen hoc in rerum statu, Deus illi frequenter oracula reddebat. Tantum confert emolumenti, Deo semper quæ possidemus concedere, et a cunctis abscedere, non a pecuniis tantum et a possessionibus, sed ab ipsis filiis. Nam si hoc in anima nostra facere jubemur, multo magis in cæteris omnibus. Id quippe Abraham patriarcha fecit, imo quidpiam multo majus, ideo cum longe majori gloria filium recepit. Tunc enim maxime filios habemus nostros, cum illos Domino tradimus. Longe quippe melius iis ille, quam nos, præerit, quia majorem illorum curam gerit. Nonne id videtis in divitum quoque domibus fieri? Etenim ibi eos, qui infimo loco cum patribus morantur, non usque adeo illustres videas, neque tanta potestate præditos: ii autem quos Domini sui a parentibus abduxerunt, suoque ministerio deputarunt facultatumque custodes constituerunt, majori dominorum benevolentia potiuntur, fidi habentur, tantoque conservis clariores sunt, quanto domini domesticis. Quod si homines ministros suos tanta benignitate et benevolentia prosequuntur, multo magis infinita illa bonitas,

[1] I Reg. III, 1.

Deus. Sinamus igitur illos ministrare, non in templum adducentes ut Samuëlem, sed in ipsum cœlum cum Angelis et cum Archangelis. Quod enim cum illis ministraturi sint, et servituri ii, qui hanc philosophiam susceperunt, cuique palam est : ubi non sibi tantum, sed vobis etiam majori cum fiducia prospicient. Nam si quidam parentum gratia nonnulla consolatione potiti sunt, multo id magis filiorum causa parentes consequentur. Illic enim naturæ tantum jus aderat, hic etiam educationis, quod multo majus jure naturæ est. Atque hoc vobis utrumque ex divinis Scripturis confirmabo. Ezechiam enim virtute pietateque præditum virum, cum tantam ex rebus gestis fiduciam non haberet, ut posset contra tam ingens periculum consistere, ob patris virtutem servaturum se dicit Deus ; « Protegam, inquit, civitatem hanc, ut servem eam propter » me, et propter David puerum meam [1]. » Paulus autem de parentibus Timotheo scribens dicebat : « Salvabuntur au» tem per filiorum generationem, si permanserint in fide, » et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate [2]. » Job quoque, ut et aliis laudavit Scriptura, nempe quod justus, verax ex religiosus erga Deum esset ; sic etiam ex filiorum cura : quæ in hoc sita erat, non quod aurum ipsis coacervaret, non quod gloriosos et illustres faceret ; sed qua in re ? Audi Scripturam dicentem : « Cum consummati es» sent dies convivii illorum, mittebat Job, et purificabat » eos, surgensque mane offerebat pro illis sacrificium se» cundum numerum eorum, et vitulum unum pro peccato, » pro animabus eorum. Dicebat enim Job in corde suo, » Ne forte filii mei in mente sua mala cogitaverint adversus » Deum [3]. » Num qua vobis erit demum excusatio, talia audentibus ? Nam si ille qui ante gratiam, ante legem, qui nulla imbutus fuerat disciplina, tantam filiorum curam

[1] 4 Reg. xix. — [2] 1 Tim. ii, 15. — [3] Job. i, 5.

gesserit, ut pro occultis etiam peccatis tremeret : quis nos excusaturus est, qui in gratia sumus, qui tot doctores nacti sumus, tot exempla habentes, tot admonitiones, qui non modo pro incertis non timemus, sed etiam certa contemnimus; nec contemnimus tantum, sed eos, qui hæc emendare volunt pellimus? Abraham quoque, ut prius dixi, cum aliis præclare gestis, hoc quoque splendidum facinus edidit.

XXI. Tanta igitur exempla habentes, paremus Deo famulos, probatosque ministros. Nam si is, qui athletas civitatibus alit, militesque regi exercet, magno donabitur honore, quantum nos donum accepturos esse par est, qui tam strenuos, tantos viros, imo potius Angelos Deo alimus? Omnia ergo faciamus, ut illis pietatis opes relinquamus, quæ manent, et excedentes e vita comitantur; quæ non in hac vita solum, sed etiam illic maxime nobis proderunt. Nam sæculares divitiæ non excedentes e vita comitantur, imo hic ante nos pereunt, ac sæpe possessores perdunt suos. Hæ vero et hic et illic firmæ erunt, et magna cum securitate possidentes se conservabunt. Etenim res ita se habet : qui terrena spiritualibus præfert, et his et illis excidet; qui vero cœlestia concupiscit, terrenis etiam potietur. Non mea sunt hæc verba, sed ejus, qui hæc præbiturus est, Domini : « Quærite, inquit, regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis[1]. » Quid huic honori par esse possit? Cura, inquit, spiritualia, mihi vero omnia tua dimitte. Ac si quis pater filii amans, domus curam, domesticorum regimen aliorumque omnium sibi assumerat, filium vero, ut uni philosophiæ vacaret admoneret; sic et Deus facit. Morem itaque geramus, et quæramus regnum Dei, et sic plane filios nostros præclaros videbimus, nosque cum illis splendidi erimus, ac præsen-

[1] Matth. VI, 33.

tibus fruemur, si futura et cœlestia tantum amemus. Hæc obtemperantibus vobis magnam afferent mercedem; repugnantibus autem et non morem gerentibus, gravius supplicium. Neque enim licet ad excusationem confugere ac dicere, Nullus erat, qui hæc doceret. Certe antequam nos hæc diceremus, hæc defensio sublata erat, quippe cum ipsa natura accuratam habeat bona a malis dicernendi vim, et hæc philosophia ubique proposita sit, hujusque vitæ mala satis sint, ad ejus amatores in sollicitudinem fugandos. Etiamsi igitur taceremus, ut dixi, omnis excusatio sublata esset. At multo magis nunc post hos adeo prolixos editos libros, tantamque admonitionem, tum ex rebus ipsis, tum, quæ etiam clarior est, ex divinis Scripturis. Ac etiamsi domi manentes possent non penitus perire, sed extremam salutis sortem adipisci; ne sic quidem pœnas effugere possemus, si eos qui ad diligentiorem vitam festinarent prohiberemus, atque in sæcularibus rebus detineremus eos, qui in cœlum avolare gestirent. Cum autem id fieri nequeat, sed omnino pereundum esse constet, ac de extremis periculum sit; quam tandem veniam, quam excusationem habituri sumus, si non modo propriorum peccatorum, sed eorum etiam, quæ postea filii admiserint, pœnas in nos ipsos gravissimas petrahamus? Neque enim puto illos tam graves daturos esse pœnas pro iis, quæ postea deliquerint in hos fluctus pertracti, quam vos, qui in hanc illos necessitatem induxistis. Nam si ei, qui unum scandalizaverit, cum mola in mare demergi expedit; quæ tandem pœna, cui cruciatus satis erunt illis, qui sævitiam tantam et immanitatem in liberos proprios ostendunt? Quocirca rogo contentionem remittatis, sitisque philosophorum filiorum patres. Neque id dicendum est, quod multos prætendere audio. Quid illud est? Cum videremus, inquiunt, illos ad finem pervenire non posse,

ideo illos prohibuimus. Etiamsi enim id clare prævidisses, non autem conjectando solum, multi enim, qui lapsuri putabantur, steterunt; si, inquam, illud certo præscivisses, ne sic quidem illum retrahere oportuit. Neque enim si quospiam ad lapsum pronos, arreptos præcipitaremus, id nobis ad excusationem satis esset, sed idipsum nos imprimis condemnaret. Cur enim non permisisti ut ex illius segnitie lapsus contingeret, sed prævertens peccatum illud rapuisti, totumque in caput tuum conjecisti? Imo, ut id fieret non permittendum erat; cur enim non omnia fecisti, ut ne rueret filius? Itaque quod scires ruiturum illum esse, ideo maxime supplicio dignus es. Nam cum qui id prævidet, non præcipitare, sed manum porrigere oportet, majoremque sollicitudinem exhibere, ut qui lapsurus est, fortiter consistat; sive tandem stare possit, sive non possit. Nam quæ penes nos erant omnia exequi oportebat, etiamsi alii nihil inde lucri consecuturi erant. Cur hoc, et quare? Ut non a nobis, sed ab illis ratio a Deo expeteretur. Quod et ipse ei qui talento accepto nihil lucratus erat exprobrans dicebat: « Oportebat enim te, inquit, pecuniam » committere nummulariis, et ego veniens cum usura exe- » gissem illam [1]. » Obtemperemus igitur hæc monenti, ut supplicium effugiamus. Neque enim Deum cum hominibus fallere poterimus, qui scrutatur corda, et omnia in medium agit, qui ubique etiam de filiorum salute rationem a nobis expetit. Si enim is, qui pecuniam non deposuerat, tantas pœnas dedit, qui deponere volentes impedit, quid patietur? Non solum enim si filii vestro consilio in sæcularia negotia devolvantur; sed etiam si impetum vestrum fortiter ferentes, ad montes se recipiam, idem supplicium imminet iis, qui ipsos impedire voluerint. Quemadmodum enim qui ad philosophiam hortatur, sive persuadeat, sive

[1] Matth. xxv, 27.

non, perfectam mercedem habet : nam totum id fecit, quod penes se erat; sic et qui aliquem perdere voluerit, sive læserit, sive non læserit, eodem supplicio punietur, nam quod potuit, totum implevit. Itaque etsi nihil potueritis ad generosos filiorum animos dejiciendos et subvertendos, conatus saltem vestri tantas pœnas dabitis, quantas ii qui dejecerint. Hæc igitur universa cogitantes, missis cavillationibus omnibus, studeamus generosorum filiorum patres esse, Christiferorum conditores templorum, athletarum cœlestium curatores, ungentes, erigentes, undique commodis illorum consulentes, ut illic coronarum consortes efficiamur. Sin autem contenderitis, filii quidem, si fortitudine valeant, vel invitis vobis ad hanc pervenient philosophiam, universisque fruentur bonis; vobis autem id continget, ut immensum vobis cruciatum congeratis, tuncque dicta nostra laudetis, cum ex iis laudibus nihil utilitatis percipere licebit.

COMPARATIO

Potentiæ, divitiarum et excellentiæ regis, cum monacho in verissima et christiana philosophia vivente.

1. Ego cum intuear ex hominibus complures quæ bona esse videntur[1], ea majori et amore, et admiratione sectari, quam quæ natura ac virissime bona sunt : necessarium esse reor, brevi oratione de utrisque hic agere, et componere inter se tum quæ vulgo neglectui sunt, tum quæ magno mortales studio sequuntur, ut trorumque differentiam edocti, illa quidem ut seria, ac salutaria magni faciamus, hæc autem tanquam nihili æstimanda contemnere discamus. Igitur magnopere expetuntur divitiæ, principatus, imperium, gloria, ac beatos quidem vulgus eos ducit, qui gentium principes sunt, qui splendidis vehiculis feruntur, qui præconum clamorem, ac satellitium magnum assequuntur. Contra philosophantium vita, et eorum qui monasticum institutum delegerunt, despicabilis est : atque illi quidem dum foras prodeunt, ad sese contuendos populum ipsum convertunt : hi autem sicubi apparuerint, nullius oculos, aut certe perpaucorum ad sui spectaculum trahunt : et præterea horum nullus similis esse concupiscat ; illorum vero omnes. Quanquam principatum quærere gentis alicujus imperio potiri, arduum sane ac supra vulgarium hominum vires, ac quorum animos imperii amor incessit, iis magna pecunia opus : monasticam vero vitam eligere, Dei cultui vitam suam mancipare, æque omnibus proclive ac facile. Adde quod principatus possessio una

[1] Vide D. Guillon, tom. XVIII, p. 262-268.

cum vita hac desinit, seu verius dicam, vivos item sui amatores destituit: atque etiam multos in periculum, vel certe magnam in ignominiam conjecit. At monastica vita justos hic bonis multis cum repleverit, a vitæ exitu ornatos ac hilares ad Dei et Patris tribunal ducit, quo tempore eorum qui imperio functi fuerint bonam partem, magnas peccatorum in vita admissorum pœnas luere videas. Age itaque conferentes inter se tum philosophiæ bona, tum ea quæ in hac vita principatus ac gloriæ bona esse videntur, utrorumque bonorum discrepantiam perdiscamus: sic enim collata apertiora fient: quin potius, si placet, ipsum bonorum fastigium, regnum intelligo, cum philosophia comparantes, utriusque possessionis fructus contemplemur diligenter edocti, quibus rex, quibus rursus philosophus imperet. Rex igitur urbium, regionum tum multarum gentium imperium gerit, magistros militum, præfectos, exercitus, populos, senatus, suo unius nutu regens: at vero qui se ipse totum Deo dedit, solitariamque vitam elegit, iræ, invidiæ, avaritiæ, voluptati, cæterisque animi morbis imperat, assidue speculans, ac meditans, quemnam in modum non committat, ut suum animum obscœnis affectibus subjiciat, neu amaræ tyrannidi ratio inserviat, sed supra res humanas omnes cogitationem semper erectam habeat, Dei timorem animi morbis præficiens. Hujusmodi igitur imperium rex, hujusmodi item principatum monachus adeptus est: ut justius quidem hunc regem voces, quam eum qui purpura indutus, ac corona ornatus splendescit, throno in aureo sedens.

II. Nam is demum vere rex est qui iram, qui invidiam, qui voluptatem cohibens, omnia sub Dei lege agit, mentem liberam servans, neque patiens voluptatum dominationem animo suo imperitare. Talem equidem regem libens viderem, et terræ, et mari, et civitatibus, et populis, et

exercitibus jura dantem. Quisquis enim animi affectibus rationem magistram præfecerit, is parvo admodum negotio et hominibus una cum divinis legibus præfici possit, ut eumdem patris loco subditi habeant, cum omni mansuetudine civitatibus consuetudinis suæ copiam facientem. Qui vero hominibus imperare cum videatur, iræ tamen, ambitioni, voluptatibus servit : hic primum subditis suis ridiculus videri possit hoc ipso, quod coronam quidem gestat gemmis intertextam, et auream, temperantiæ vero corona minime insignis est : et purpureo quidem vestitu toto corpore fulget, animum autem inornatum habet. Deinde hic ne administrandi quidem imperii scientiam habiturus est. Qui enim sibi ipsi imperare nescit, hic quo tandem modo alios legibus regere poterit? Quin si id belli genus, quod uterque sibi peculiariter gerendum sumpsit, spectare volueris, invenies hunc cum dæmonibus depugnantem, eumdemque et superantem, et vincentem, et a Christo coronam capientem : utpote qui ad pugnam accedat divino sustentatus auxilio, cœlestibus armis communitus, ut necesse quidem sit victoriam ab ipsius partibus stare; cum interim regem illum cum Barbaris bellantem cernas : quanto autem hominibus dæmones terribiliores sunt, tanto splendidior est qui hos superat, eo qui illos vincit. Quod si utriusque belli causam perdiscere cupis, magnam profecto inæqualitatem reperies. Alter enim pro pietate ac Dei cultu cum dæmonibus bellum gerit, vel urbes, vel pagos ab errore eripere desiderans : alter vero cum Barbaris digladiatur pro lacis, finibus, opibusve raptis, illum avaritia, vel injusti principatus ambitione ad pugnam provocante : ubi certe plerique sæpe reges majora cum appetivissent, jam parta amisere. Itaque tum principatus, tum ipsa bellorum genera arguunt, eo usque inter se discrepare et regem, et eum qui vitæ suæ studium

Dei cultui addixit. Sed tamen eosdem illos exacte utique pernoscas, si ad utriusque vitam, quotidianaque gesta examinanda descenderis. Revera enim hunc invenias cum prophetis versantem, Pauli sapientia animum exornantem, assidue a Mose ad Hesaïam, ab Hesaïa ad Joannem, a Joanne ad alium quempiam transeuntem : at regem assidua centurionum, præfectorum, et spiculatorum consuetudine utentem. Porro solitum esse videmus, cum quibus assidue quis versatur, horum mores similes habere. Itaque qui solitarius vivit, is animum suum ad Apostolorum et Prophetarum mores conformat : at rex ad mores ducum, satellitum, scutatorum, hominum vino servientium, voluptatibus indulgentium, bonam diei partem in potu conterentium, denique nullius rei necessariæ, aut honestæ scientiam, vino impediente, callentium. Hac ergo ratione monasticam vitam convenit ea beatiorem dicere, quæ principatu, quæ regno, quæ sceptris constat.

III. Quod si et noctis tempus examinare voluerimus, monachum quidem videbimus Dei cultu ac precibus insignem, multo ante gallinaceos tempore canentem, Angelis convictoribus utentem, cum Deo colloquentem, cœlestibus bonis fruentem : eum vero qui multis gentibus, multis populis, atque exercitibus præest, quique terra ac mari late imperat, in lecto distentum ac stertentem. Ille quidem bicis iis alitur, qui altum ab eo somnum minime exigant : hunc autem deliciæ consopiunt et potus, eumdem in lectulo ad ipsum usque diem detinens. Jam monacho et vestis et mensa moderata, et convictores ejusdem virtutis æmuli : at regem necesse est et lapillis et auro superbum esse, mensamque apponere splendidam, tum convictoribus uti, siquidem imprudens ille fuerit, sua stoliditate dignis; sin autem mentem habeat, temperansque sit, probis fortasse et justis, sed tamen vitute iis quos

ante dixi, longe inferioribus : ita rex ut philosophiæ deditus sit, tamen ne tantillum quidem ad monachi virtutem propius accedere queat. Etenim in itineribus faciendis, subditis gravis est, præterea et urbem habitans, et pace fruens, et bello operam dans, tum tributa exigens; tum exercitus colligens, tum captivos agens, et dum victor, et dum victus est : nam dum victus est, subditos propriis malis replet : victor autem intolerabilis est, tropæis se ornans atque altum sapiens, cum militibus præbens licentiam rapiendi, deprædandi, viatores injuria afficiendi, urbes obsidione cingendi, pauperum domos depopulandi, ab iis a quibus excepti fuerint ea quotidie exigendi, quæ nulla lex permittit, idque per causam priscæ alicujus consuetudinis iniquæ et injustæ. Cum interim divitem per hujusmodi mala rex minime lædit, sed de paupertate tantum male meretur : perinde quasi vere ille divites vereatur. At vero non sic monachus, qui simul ut conspectus fuerit, statim tam divitibus quam pauperibus donum aliquod afferens, utrisque æque munificum se præstat, uno tantum amictu toto anno utens, tum aquam libentius bibens, quam generosum vinum alii; pro se quidem nullam neque parvam, neque magnam a divitibus gratiam postulans : pro indigentibus autem tum multas, tum continuas, easque utrisque conducentes, hoc est, tam iis qui largiuntur, quam iis qui accepturi sunt. Sic fit, ut communem ille agat medicum divitum juxta et inopum, illos peccatis liberans per bonam admonitionem, hos ab indigentia eximens. At rex tributa dum minus gravia esse jubet, divitibus magis, quam pauperibus usui est. Idem dum contra facit, paucarum facultatum dominos lædit : nam diviti tenuem admodum jacturam attulerit tributorum acerbitas : at eadem pauperum domos tanquam torrens distrahit, fletu complens pagos : cum interim neque senectus iis mi-

serabilis est, qui tributa exigunt, neque mulierum viduitas, neque liberorum orbitas, quinimo proterve agendi finem nullum illi faciunt, communes quidam regionis hostes, quæ tellus nequaquam tulit, ea ab agricolis exigentes.

IV. Age vero et illud insuper examinemus, quanam in parte monachus, qua contra in parte rex subditis beneficus sit. Igitur hic quidem aurum largitur, ille vero spiritus gratiam : præterea idem hic dum bonus est, paupertatem solvit, ille autem animas dæmonum tyrannide oppressas precibus liberat : ac si quis forte hujusmodi calamitate afllictetur, is regem tanquam inanime quidpiam præterit, ad monachorum vero habitaculum confugit, quasi qui conspecti lupi timore ad venatorem gladium manu gestantem fuga contendit. Etenim quod venatori gladius, id preces sunt monacho : neque sane sic lupos gladius, ut dæmonas justorum preces terrent. Itaque non nos modo ad sanctos monachos, dum rei usus postulat, confugimus, sed vel reges ipsi ad eosdem in temporibus formidandis, haud aliter quam famis tempore mendicantes ad divitum domos, confugiunt. Nonne Achab Judæorum rex per famem, et annonæ charitatem, in Eliæ precibus spem posuit suam? Nonne Ezechias illud idem imperium[1], illum eumdem principatum obtinens, æger, ac jamjam moriturus, instantem sibi mortem cum videret, ad Prophetam confugit, tanquam morte potentiorem, ac vitæ largitorem? Atqui bello erumpente, Palæstinaque in tantum adducta periculum, ut funditus excidenda esset, Judæorum reges dimisso exercitu, dimissis peditibus, sagittariis, equitibus, ducibus, centurionibus, ad Elisei preces se receperunt : existimabant enim Dei servum sibi multarum myriadum instar fore. Itidem et Ezechias rex bello persico

[1] 4 Reg. xx, 1.

instante, cum urbis excidium immineret, civibusque qui pro mœnibus starent, jam trementibus, metuentibus, ac perinde commotis, ut commoveri homines solent, quoties vel tonitruum vel terræ motum omnia quatientem expectant, Hesaïæ preces multis Persarum millibus opposuit, neque sua illum spes fefellit. Nam simul ut Propheta manus in cœlum subtulit, statim Deus sagittis e cœlo missis persicum bellum confecit : reges erudiens, eo se loco ipsius ministros habere debere, ut eos omnes communes esse terræ servatores existiment, ut hac quidem ratione edoceantur per justorum exhortationes, ad omne bonum atque humanum opūs invitati, tum consilia revereri, tum bonis admonitionibus obtemperare. Proinde non ex iis solum quæ dixi, utriusque discrimen cognoscere licet; sed si usuvenerit et hunc et illum deturbari : hunc quidem virtute, illum autem regno privatum; hic parvo admodum negotio ad se redit : ac statim per preces, per lacrymas, per mœrorem, per pauperum curam, peccatis abstersis, de integro facile ad pristinum principatum recurrit. At rex solio dejectus cum fuerit, tum demum multis sane sociis indiget, multis item armatis militibus, equis, pecuniis, periculis : denique salutis suæ spem in aliis sitam habet. Monachus vero salutem celeriter voluntati suæ, studio, ac sententiæ mutationi comitem habiturus est. « Regnum enim cœlorum, inquit ille, » in vobis est[1]. » Jam mors regi terribilis est, eadem philosopho minime molesta. Eum enim qui divitias, voluptatem, delicias, quorum gratia vitam agitare multi concupiscunt, despicit, necesse est migrationem ab hoc orbe haud ægre ferre. Quod si et hunc et illum jugulari contigerit, hic quidem pro pietate pericula sibi accerset, immortalem et cœlestem vitam morte sua comparans : at

[1] Luc. XVII, 21.

rex tyrannum aliquem, et eum qui imperium affectat, jugulatorem suum habiturus est, miserabile, idemque horrendum post cædem spectaculum; Monachum vero pro pietate jugulatum cernere, dulce atque salutare spectaculum est. Adde his quod monachus bonorum suorum affectatores habiturus est, æmulatores ac discipulos, bona ex parte comprecantes, ut ipsius similes evadant: at rex multos frustra in precibus sermones insumpserit, Deum rogans, ut nemo existat, qui regnum affectet. Præterea illum interficere nullus audeat, cum existimet impium se in Deum futurum, si eum sustulerit: huic vero multi jugulatores ingruunt, tyrannidis affectatores. Quamobrem alter milites adhibet corporis sui custodes, alter urbes precibus suis tanquam muro communit, neminem timens, cum rex perpetuo in timore, continua in cædis expectatione vivat: secum enim circumfert avaritiam periculosam, pro qua monachus tutam præ se fert salutem. Proinde de rebus quæ nos in præsenti vita circumsistunt, abunde mihi dixisse videor. Quod si et certamen futurum examinare velimus, monachum quidem videbimus splendidum ac conspicuum rapi inter nubes, ad occursum Christi in aëra exemplo ducis, et institutoris hujus vitæ salutaris, omniumque virtutum. At rex, si quidem juste et humane imperium rexisse visus fuerit suum; hoc autem admodum rarum est; minorem salutem, minorem honorem sortietur: non enim idem, non, inquam, idem fuerit, bonus rex, et monachus summam in Dei cultu curam ponens. Sin autem malum et importunum vixisse cum constiterit, ac multis malis orbem replevisse: quis tandem enarrare possit calamitates eas quas sustinere eum videbis, igni exustum, flagellatum, cruciatum, denique ea patientem, quæ neque verbo exprimi, neque re ipsa tolerari possunt? Hæc omnia reputantes, atque ediscentes, oportet non di-

vites admirari : etenim constat horum dominum ne tantillum quidem ad monachi virtutem propius accedere. Ergo ubi conspexeris divitem veste ornatum, auro superbum, curru vectum, incessu magnifico incedentem, ne hominem beatum dixeris. Temporariæ enim divitiæ, et quidquid bonum esse videtur, una cum vita hac corrumpitur. At monachum ubi videris solum incedentem, humilem, mansuetum, quietum, pacificum hominem æmulare, fac videare imitator philosophiæ ipsius, fac preceris esse justi similis. « Petite enim, inquit, et dabitur vobis[1]. » Hæc enim vere sunt bona, salutaria, manentia, propter Christi benignitatem ac providentiam : cui gloria et imperium per sæcula sæculorum. Amen.

[1] Luc. XI. 9.

LIBER.

De Virginitate.

CAPUT I.

Hæreticorum virginitatem præmium non habere.

Virginitatis laudem Judæi aversantur[1] : neque mirum, qui ipsum quoque natum ex virgine Christum ignominiis affecerint : admirantur ac suspiciunt exteri; sola autem colit Ecclesia Dei. Nam hæreticorum virgines ego virgines esse minime dixerim : primum quod castæ non sint, neque enim uni viro deponsæ sunt, ut vult Beatus ille Christi pronubus : « Despondi, inquit, vos uni viro virginem castam » Christo tradendam[2]. » Nam id etsi de toto Ecclesiæ cœtu dictum est, tamen illas quoque hæc complectitur oratio. Quomodo igitur quæ viro uno non contentæ, alterum, qui non est, Deum superinducunt, castæ esse possunt? itaque primum eam ob rem virgines non sunt. Deinde quod matrimonium damnando ad declinandas nuptias sunt progressæ : nam cum eas vitiosas esse sanxerint, præmia sibi virginitatis præripuerunt. Non enim qui vitia cavent corona donari, sed non plecti duntaxat par est. Atque id quidem videre est non solum nostris, sed externis etiam legibus ita constitutum : Qui cædem fecerit, inquit, necator : at non etiam additur, Qui cædem non fecerit, honore afficitor : fur plectitor, at non eum quoque, qui aliena non rapuerit, donum capere jusserunt : neque adulterum occidentes, ei qui alterius cubile non effringat, honorem

[1] Vide D. Guillon, tom. XVIII, p, 236-247. — [2] 2 Cor. XI, 2.

sciverunt. Et merito sane : nam laudem et admirationem habere eorum est, qui virtute perfungantur, non qui vitia declinent : nam is eis honor satis est, si pœnam nullam sentiant. Itaque Dominus noster, qui temere et immerito fratri suo irascatur, ac fatuum vocet, ei gehennam est comminatus[1] : non etiam iis, qui nec immerito irascantur, et a conviciis abstineant, cœleste regnum promisit : sed plus eo quiddam majusque requisivit : « Diligite, inquiens, » inimicos vestros[2]. » Cumque vellet ostendere, perexiguum et vile, atque indignum præmio esse, fratres non odisse, proposito eo quod multo majus est, eum diligere et amare, ne id quidem nobis sufficere ait, ut honorem ullum consequamur : quid enim, si ea re nihil exteris præstamus ? Itaque alia nobis opus est accessio multo hac major, si quidem mercedem flagitamus. Neque enim quia te, inquit, gehennæ non damno, qui maledictis atque ira in fratrem abstineas, propterea te corona etiam dignum existima. Non enim tantillum humanitatis solum desidero : sed etiamsi nec convicium facias, et eum amare etiam dicas, adhuc infra hæres, et te apud publicanos collocas. Quod si perfectus, ac cœlo dignus esse vis, istic modo ne consiste, sed altius conscende, et natura ipsa sublimiorem cogitationem suscipe : id autem est inimicos diligere. Cum igitur undique hoc nobis constet, desistant hæretici frustra se affligere ; nullam enim mercedem accipient : non quia sit injustus Dominus, apagesis : sed quod imperiti ipsi et improbi. Quid ita ? demonstratum est fugæ tantum a vitiis nullum propositum esse præmium : ipsi autem quod matrimonium vitiosum ducerent, eo abstinuerunt. Quo pacto igitur ob vitiorum fugam mercedem poscent ? nam ut nos qui non adulteremus, digni non erimus qui coronemur ; sic neque illi qui uxorem non ducant. Ita

[1] Matth. v, 22. — [2] Ibid. 44.

enim eos illa die alloquetur, qui in nos sententiam dicturus est. Non equidem iis honores constitui, qui a vitiis solum se contineant : nam id apud me exiguum est ; sed qui virtutem omnem persecuti sint, eos in perennem cœlorum hæreditatem introduco. Quomodo igitur qui matrimonium fœdum ac flagitiosum credatis, ob flagitiorum fugam, præmia iis proposita, qui præclaras res gesserint, postulatis ? Ob id enim et agnos dextros collocat, et collaudat, et in regnum admittit[1], non quod aliena non rapuerint, sed quod etiam sua aliis impertiti sint : et eum cui quinque talenta credidisset, commendat, non quod non imminuisset, sed quod creditum auxisset, ac duplicatum depositum redderet. Quousque igitur non desistetis frustra currere, nequidquam laborare[2], temere pugilatu certare, aërem verberare[3] ? atque utinam frustra modo : etsi non mediocris utique pœna est, qui graviter laboraverint, et præmium sperent laboribus majus, quem diem sibi gloriosum fore ducant, eo inter inglorios haberi.

CAPUT II.

Hæreticos virginitatis etiam pœnas pendere.

Nunc non id solum malum est, neque is ejus jacturæ modus, ut fructum nullum faciant, sed excipient alia multo iis graviora, ignis inextinctus, vermis immortalis, tenebræ exteriores, ærumnæ, afflictatio. Itaque centum nobis linguis, et angelica quadam vis opus sit, ut Deo pro ejus in nos cura dignas agere gratias possimus : ac ne sic quoque possi-

[1] Matth. xxv, 33. — [2] Philip. ii, 16. — [3] I Cor. ix, 26.

mus; quo pacto enim? Virginitatis labor et nobis et hæreticis par est; atque illis fortasse multo etiam major: laborum fructus impar: sed illos et vincula, et lacrymæ, et ploratus, et immortales manent cruciatus; nos Angelorum sortes, splendidæ lucernæ, et quod bonorum omnium caput est, sponsi consuetudo. Sed quamobrem eorumdem laborum contraria præmia sunt? quod illi sanciendo legem divinæ adversariam virginitatem sunt amplexi: nos ut ejus voluntatem exequamur, id facimus. Deum namque velle omnes homines a conjugio abstinere, is testis est, qui Christum in se loquentem habet. « Volo enim, inquit, omnes homines » sic esse, ut ego sum continentes[1]. » Sed qui nobis parceret et spiritum promptum, carnem infirmam esse sciret[2], id sub præcepti necessitatem non conclusit, sed ejus optionem animis nostris permisit. Nam si præscriptum esset atque lex, qui id perfecissent, honorem non consequerentur, sed illud audirent, Fecistis quod facere debuistis[3]: neque iis qui non essent assecuti ignosceretur, sed ex legum pœnas luerent. Nunc cum dixerit, « Qui potest capere » capiat[4]: » qui non possent, haud damnavit: qui possent, iis grave atque ingens certamen proposuit. Itaque et Paulus magistri vestigiis insistens. « De virginibus, inquit, » præceptum Domini non habeo, consilium autem do[5]. »

[1] 1 Cor. VII, 7. — [2] Matth. XXVI, 41. — [3] Luc. XVII, 10. — [4] Matth. XIX, 12. — [5] 1 Cor. VII, 25.

CAPUT III.

Matrimonii detestationem satanicæ immanitatis esse.

At vero neque Marcion, neque Valentinus, neque Manes eam moderationem tenuerunt: neque enim Christum in se loquentem habebant, qui ovibus suis parcit, et pro iis vitam impendit; sed homicidam illum, mendacii parentem[1]. Itaque qui se audirent, omnes perdiderunt, eos hic inutilibus atque intolerandis laboribus prementes[2], illic in paratum sibi ignem una secum trahentes.

CAPUT IV.

Hæreticos virgines etiam gentibus miseriores esse.

O vos etiam Gentibus miseriores! nam Gentes quidem etsi gehennæ supplicia expectant, at hic saltem voluptatem, nuptiis frequentandis, pecunia cæterisque vitæ suavitatibus tractandis, capiunt: vos tormenta et ærumnas utrobique, et hic sponte, et illic inviti sustinetis. Illis pro jejunio et virginitate nec mercedem tribuat quisquam, nec supplicium irroget: vos quorum nomine immensas laudes speratis, ob ea extremas pœnas luetis, et cum aliis audietis, « Discedite a me in ignem æternum, paratum diabolo » et angelis ejus[3], » cum hoc vestro jejunio et virginitate. Nam nec jejunium, nec virginitas per se bona vel mala

[1] Joan. x. — [2] Id. viii. — [3] Matth. xxv, 41.

sunt, sed ex eorum qui ea exercent proposito alterutrum fiunt. Et Gentibus infructuosa ea virtus est : non habent enim suam mercedem, quod non Dei metu eam obierint : vos qui bello cum Deo gerendo, atque ejus operibus criminandis eam obieritis, non modo mercedem vestram non habetis, sed et plectemini : ac quod attinet ad dogmata, cum illis censebimini, qui perinde atque Gentiles vero Deo rejecto, deorum multitudinem invexeritis : quod ad vitam autem, melius cum illis quam vobiscum agetur : nam illis hoc solum damni est, nihil boni consequi ; vobis etiam supplicia pati : atque illis in hac vita omnibus frui licuit; vos utrisque caretis. An pœna ulla gravior esse potest, quam supplicia, laborum ac sudorum præmium capere? Adulter, defraudator, qui aliena suaviter abliguriat, et proximi bona rapiat, solatium aliquod habent, breve id quidem, sed habent tamen, quod eorum nomine plectantur, quorum hic fructum habuerunt. At qui paupertatem sponte init, ut illic locupletetur; qui virginitatis labores, ut illic cum Angelis choreas ducat, is si repente ac præter omnem expectationem ob ea pœnas det, ob quæ ingens præmium speraverat, infandum quantum ex insperato eventu dolorem capiat. Ego enim eum conscientia æque atque flamma cruciatum iri existimo, cum in mentem veniet, qui parem secum laborem ceperint, cum Christo degere : se autem, ob quæ illi arcanis bonis fruantur, ob ea extremas pœnas luere, et qui vitam egerit severam, gravius mulctari, quam dissolutos ac luxu perditos.

CAPUT V.

Hæreticorum virginitatem vel adulterio fœdiorem esse.

Etenim hæreticorum continentia omni est libidine pejor. Hæc namque injuriam hominibus solum infert, illa cum Deo pugnat, atque infinitam illam sapientiam lædit. Ejusmodi laqueos suis cultoribus diabolus tendit : nam hæreticorum virginitatem vafritici ejus procul dubio inventum esse, non ego, sed is auctor est, qui ejus consilia non ignorat. Quid igitur is ait? « Spiritus manifeste dicit, quia » in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in » hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere » a cibis quos Deus creavit[1]. » Quî igitur virgo fuerit quæ a fide deficit, quæ planos audit, quæ dæmonibus obtemperat, quæ mendacium colit? ecquid, inquam, virgo est, quæ cauterio inustam habet conscientiam? nam virgo non solum corpore, sed etiam animo pura sit oportet, quæ sanctum illum sponsum excepturus est. Hæc tot inustis notis, quî tandem pura sit? Nam si terrenas etiam curas ab hoc thalamo arceat necesse est, ut quæ cum iis ornata esse nequeat, quomodo cogitatione sacrilega intus obversante, virginitatis splendorem tueatur?

[1] 1 Tim. IV, 1-3.

CAPUT VI.

Hæreticos virgines non animas solum, sed etiam corpora polluere.

Nam etsi ei corpus salvum est, animi tamen, quæ pars est potior, sunt corrupta consilia. Quid autem refert disjecto templo septa restare? aut quanti interest purum esse solii locum, solio sordibus inquinato? quanquam nec abest a piaculo: blasphemia enim atque impiæ voces cum intus formentur, intus in animo non manent, sed et linguam, ore prolatæ, et aures, quæ suscipiant, polluunt, et velut mortifera venena in animum illapsa, radicem corrodunt quavis tinea gravius, cum eaque reliquum omne corpus perdunt. Quare si virginitatis definitio est, et animo et corpore sanctam esse: hæc quæ utramque in partem profana et scelerata sit, quî tandem virgo fuerit? At enim mihi et os pallidum, et graciles artus, et vilem amictum et aspectum præfert mansuetum. Et quid tum postea, si impudens est interior oculus? quid enim eo aspectu impudentius est, qui exteriores oculos inducat, res a Deo creatas velut vitiosas usurpare? « Omnis gloria filiæ regis est interior[1]: » hæc orationis seriem invertit, et foris gloria amicta, omni intus fœditate laborat. Illud namque indignum facinus est, quæ modestiam erga homines summam præstet, eam in Deum creatorem suum extrema insania uti; et quæ virum vel intueri non sustineat, si quæ tamen in iis tales sunt, mortalium dominum impudentibus oculis spectare, contraque Excelsum nefaria loqui, buxea iis

[1] Psal. XLIV, 14.

facies est, mortuique similis. Ob id enim multis lacrymis ac lamentis dignæ sunt, quod non solum frustra, sed etiam in sui capitis perniciem tantum ærumnarum susceperint.

CAPUT VII.

Virginem non vestitu, sed animo spectandam esse.

Vilis est amictus : at non in vestibus aut colore, sed in animo atque corpore virginitas est. Nam cum nec philosophum coma, aut baculo, aut abolla, sed moribus et animo metiamur : nec militem paludamento, aut balteo, sed robore et magnanimitate : annon absurdum sit virgini, rei tam præclaræ, et quæ humana omnia superet, capilli squallorem, vultus demissionem, ac pullam vestem, temere sane ac supine, virtuti ducere, nec ejus animo denudato, inde studia ejus accurate explorare? At non id permittit, qui luctæ hujus leges sanxit : neque enim eos, qui in hoc certamen se conjiciunt, vestitu, sed dogmatibus et animo spectari jubet. « Qui enim certat, inquit, ab omni» bus se continet[1], » scilicet quæ animi sanitatem infestent, et, « Nemo coronatur, nisi legitime certaverit[2]. » Quæ sunt igitur luctæ hujus leges? Audi eumdem dicentem, vel potius in eo Christum certaminis auctorem : « Honora» bile est matrimonium, et torus immaculatus[3]. »

[1] 1 Cor. IX, 25. — [2] 2 Tim. II, 5. — [3] Hebr. XIII, 4.

CAPUT VIII.

Virgini erga conjuges fastum detrimento esse.

Quid vero hoc ad me, inquit, quæ nuntium matrimonio remisi? Id enim, misera, id te perdidit, quod nihil tibi cum eo dogmate commune existimas. Itaque rem eam extremo contemptu prosecuta, et Dei sapientiæ contumeliam fecisti, et naturam rerum omnem criminata es. Nam si impurum matrimonium est, animantes etiam ex eo susceptæ, impuræ omnes sunt : atque adeo et vos : neque enim dixerim hominum naturam. Quomodo igitur virgo est, quæ impura? nam altera hæc, imo et tertia excogitata vobis fœditas et impuritas est, ac quæ matrimonium velut flagitiosum refugistis, eo ipso quod refugistis, omnium estis flagitiosissimæ, virginitate stupro fœdiore inventa. Quonam igitur loco vos ponemus? Cum Judæis? at non sustinebunt : nam et matrimonium colunt, et Dei creationem suspiciunt. An nobiscum? At Christum per Paulum dicentem audire noluistis, « Honorabile est matrimonium, et torus immaculatus. » Reliquum est igitur ut cum Gentibus porro consistatis. At illæ etiam vos ut se magis impios repellent. Nam Platonis sententia est, « Bonum fuisse qui hoc omne molitus est, » et, « Bonum nullius rei erga quemquam invidia tangi [1]. » Tu malum ipsum appellas, et malarum rerum creatorem. Verum ne extimesce : habes doctrinæ consortes diabolum ejusque angelos; imo nec eos quidem : neque enim qui te in eum furorem induxerint, idem etiam sentire existimandi sunt. Nam scire

[1] Plato in Timæo.

eos Deum bonum esse, audi clamantes, nunc, « Scimus » te qui sis, Sanctus Dei[1]; » nunc, « Hi homines servi Dei » excelsi sunt, qui vobis viam salutis nuntiant[2]. » Et adhuc virginitatem jactabitis, deque eaque gloriabimini, ac non potius abeuntes vestram deplorabitis ac lugebitis amentiam, qua vos diabolus velut manu captos colligatos in gehennæ ignem trahit? Matrimonium non iniisti? at non id virginitas est : nam quæ cum integrum esset nubere, detrectaverit, eam ego virginem dixerim : at cum eo interdictum dicas, non jam id recte factum tuis consiliis, sed legis necessitati tribuendum est. Quare Persas qui matres uxores non ducunt admiramur, Romanos non item. Hic namque ad unum omnibus id execrandum videtur, illic impunitas ea designandi effecit, ut qui ab eo concubitu abstinerent, laudarentur. Ad eumdem modum et de matrimonio habenda quæstio est. Nos enim, apud quos id omnibus permissum sit, merito eos qui matrimonium non contrahant, miramur : vos qui id in malorum classem rejeceritis, nihil est quod laudem ex hac re captetis. Nam vetitis abstinere, id vero non est animi excelsi atque strenui : perfectæ enim virtutis est, non ea non committere, quæ si committamus, apud omnes improbi habeamur; sed iis excellere, quæ neque eos qui detrectent, eo nomine culpari patiantur, et qui suscipiant ac perfungantur, non opinione improbitatis solum liberent, sed etiam bonis accenseant. Nam ut eunuchos de virginitate laudet nemo, qui matrimonium non contrahant; sic nec vos : cum quod illis naturæ necessitas, id vobis sit corruptæ conscientiæ anticipatio : ac quemadmodum eunuchos corporis vitium ejusce rei gloria dejecit : ita vos diabolus, natura vobis salva permanente, sanis consiliis resectis, atque in necessitatem conjectos cœlibatus, cum laboribus urget, tum

[1] Marc. I, 24. — [2] Act. XVI, 17.

laudari non sinit. Matrimonium vetas; eam ob rem et cœlibatus mercedem non accipies, imo pœnas etiam ac supplicium lues.

CAPUT IX.

Ad virginitatem hortari, nequaquam ejus esse qui matrimonium vetet.

Tu vero, inquit, non vetas? Apage ut tecum æque insaniam. Et quî, inquit, hortaris matrimonium non contrahere? quod virginitatem matrimonio longe præstantiorem sentiam : nec vero propterea matrimonium in malis pono, quin vehementer etiam laudo : est enim iis qui recte eo uti velint, continentiæ portus, naturam efferari non permittens. Nam legitimo coïtu, quasi scopulis quibusdam objectis ad excipiendos libidinis fluctus, nos in summa tranquillitate collocat ac tuetur. Verum sunt quibus nihil opus sit eo præsidio, sed ejus vice jejuniis, vigiliis, chamæuniis, et reliqua id genus duritate, naturæ furorem cicurent. Hos cohortor matrimonium non contrahere, nec matrimonium veto. Interest autem inter hoc et illud plurimum, quantum scilicet discrimen est inter necessitatem et optionem. Qui enim consulit, liberum relinquit auditori quæ consulat, sequi : qui vetat, is ei facultatem eam præripit. Ad hæc qui cohortor, rem non improbo ; nec qui se induci non patiatur, accuso : tu qui id damnes ac vitiosum ducas, et legislatoris, non consiliarii personam arripias, merito eos qui non obediant, odisti : at non ego, sed cum eos admiror qui ad hoc certamen nomina dederint, tum qui extra maneant, non accuso. Nam ac-

cusatio demum justa sit, si quis quod haud dubie vitiosum sit, prosequatur ; at qui minorem virtutem nactus, majorem non adeat, is quidem non cum fortiori laudandus et admirandus est, nec tamen ideo culpandus. Ecquid igitur conjugium veto, qui conjuges non accusem? Stupra veto et adulteria ; matrimonium non item : et illa audentes castigo, atque ab Ecclesiæ cœtu proscribo : hoc vero qui faciant, dum modeste, assidue etiam laudo. Ita duplex lucrum fit; unum, quod Dei opificium non damnemus; alterum, quod non solum virginitas dignitate sua non dispolietur, sed multo etiam illustrior declaretur.

CAPUT X.

Qui matrimonium damnet, cum virginitatem etiam lædere.

Etenim qui matrimonium damnat, is virginitatis etiam gloriam carpit : qui laudat, is virginitatem admirabiliorem augustioremque reddit. Nam quod deterioris comparatione bonum videtur, id haud sane admodum bonum est : quod autem omnium sententia bonis melius, id excellens bonum est : cujusmodi nos virginitatem esse docemus. Quare ut qui matrimonium damnant, hujus encomiis fraudandi sunt, ita qui id a crimine liberat, non tam id, quam virginitatem laudat. Nam et corpora, non quæ mutilis, sed quæ integris, et vitio nullo præpeditis excellant, ea pulchra dicimus. Bonum est matrimonium : propterea admiranda virginitas est, quæ bono melior sit, eoque melior, quo nautis gubernator, et militibus dux. Sed quemadmodum subductis e navi remigibus, navim de-

mergas : et militibus ex acie semotis, ducem hostibus vinctum tradas : ita et hic si matrimonium de summo gradu dejicias, virginitatis laudem prodas, atque ad extremum malum redigas. Bonum est virginitas : et ego consentio; ac matrimonio etiam melior : et hoc confiteor. Et si placet, quanto etiam melior sit addam : quanto cœlum terra, quanto hominibus Angeli. Imo ut fortius aliquid dicam, etiam amplius. Nam Angeli etsi nec ducunt uxores, nec ducuntur, at non sunt carne et sanguine coagmentati, non in terris commorantur, non libidinum æstus sentiunt, non cibi aut potus indigent, non suavi cantu deliniri, non liberali forma, aut alio ejus generis ullo flecti possunt; sed sicut summo meridie cœlum, nulla affectum nube, purum spectatur; ita et illorum naturæ, a libidine quietæ, illustres ac perlucidæ maneant oportet.

CAPUT XI.

Virginitatem eos, qui illam vere persequantur, Angelos ex hominibus efficere.

Humanum autem genus natura beatis illis concedens, vires suas urget, cum iisque pro virili æquari summa ope nititur. Quo pacto? Nec ducunt uxores Angeli, nec ducuntur? at nec virgo. Assistunt perpetuo ac ministrant Deo? itidem et virgo. Quare etiam Paulus eas ab omni sollicitudine arcet, ut assiduæ sint et indivulsæ. Quod si, ut illi, in cœlum hic ascendere non possunt, carne eas deprimente; at hic quoque insignem habent consolationem, quæ ipsum cœli Dominum excipiant, siquidem sint corpore atque spiritu sanctæ. Vides-ne virginitatis decus?

Eorum qui in terris degant, cum Cœlitibus vitæ similitudinem molitur, corpore vestitos, vinci ab incorporeis Virtutibus non permittit, mortales, Angelorum æmulos reddit. Sed nihil hoc ad vos, qui et rem tantam corrumpatis, et Dominum culpetis, malumque nominetis : etenim vos improbi servi supplicium manet. Ecclesiæ virginibus multa ac magna obvenient bona, quæ et oculos, et aures, et humanam cogitationem superent. Itaque iis dimissis; satis est enim jam cum iis verborum; ad Ecclesiæ filios sermonem conferamus.

CAPUT XII.

Paulum qui dicat : Reliquis ego dico, non Dominus, *humanum id consilium esse non significare.*

Unde igitur præstet orationem exordiri? ab iis Domini verbis, quæ per beatum Paulum profatur : nam hujus cohortationem Domini cohortationem esse credendum est. Cum enim dicit, « Conjugibus autem præcipio, non ego, » sed Dominus : » et rursum, « Cæteris ego dico, non Do» minus, » non id dicit, alia sua esse, alia Domini. Nam qui loquentem in se Christum haberet, qui nec vivere satageret, ut in se Christus viveret, qui regnum, vitam, Angelos, Potestates, omnemque creaturam aliam, atque omnino omnia, ejus amori postponeret[1], quo pacto aut eloqui, aut cogitare aliquid in animum induxisset, quod Christo non placeret, præsertim cum hanc legem conderet? Quid est ergo cum dicit, « Ego non ego? » Leges nobis ac dogmata partim per se Christus, partim per Apostolos

[1] 1 Cor. vii, 10 et 12.

prodidit. Nam non omnia eum per se statuisse audi quid dicat : « Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare » modo [1]. » Itaque illud, Uxor a viro ne discederet, jam ante sanxerat, cum in terris carne indutus degeret : ideoque dicit, « Conjugibus autem præcipio, non ego, sed » Dominus, » Quod ad infideles attineret, præsens nihil edixerat, sed ad id Pauli mentem incitans, legem ferebat : itaque, « Non Dominus, inquit, sed ego : » non qui significatum vellet, humanum esse quod diceretur : nihil minus; sed præceptum id ab eo præsente discipulis proditum non esse, sed nunc demum per se. Quare ut illud « Dominus, non ego, » haud ejus est qui Christi jusso adversetur; ita hoc, « Ego, non Dominus, » non privatum quiddam, et præter Dei mentem, edicentis est, sed hoc solum indicantis, per se præceptum id nunc prodi. Nam de vidua loquens, « Beatior est, inquit, si sic permanserit, » secundum meum consilium [2]; » ac ne audiens, « Secun» dum meum consilium, » humanum commentum crederes, suspicionem additamento eo sustulit, « Puto autem » quod et ego spiritum Dei habeam. » Itaque ut quæ spiritus essent eloquens, suam sententiam vocat, nec propterea humanum scitum dicemus : ita et nunc cum inquit, « Ego dico, non Dominus, » ne mihi idcirco Pauli sermonem esse existimes : habebat quippe loquentem in se Christum. Neque ausus fuisset tantum dogma sententiæ more ponere, nisi legem inde petiisset. Ita enim cum eo quispiam locutus fuisset : Non sustineo qui fidelis sim, cum infideli, qui purus, cum impura degere : tute jam dicebas, hæc te dicere, non Dominum. Unde igitur mihi pignus atque fidem ? At dixisset ei Paulus, Ne verearis, ideo enim dixi, habere me loquentem in me Christum : et, videri me quoque divinum habere Spiritum, ne quid

[1] Joan. XVI, 12. — [2] 1 Cor. VII, 40.

eorum quæ dixissem humanum suspicarere. Nisi enim ita esset, nunquam eam auctoritatem meis cogitationibus tribuissem. Sunt enim mortalium cogitationes timidæ[1], eorumque commenta periculosa. Jamvero legis etiam vim orbis terrarum Ecclesia demonstrat, eam accurate servans, haudquaquam servatura, nisi explorate cognosceret id dictum, Christi esse mandatum. Quid igitur Paulus Domini instinctu incitatus dicit? « De quibus autem mihi » scripsistis, bonum esset homini mulierem non tangere[2]. » Hic approbandi sunt Corinthii, qui nullo accepto a præceptore consilio de virginitate, ipsi quærere antevertant. Atque hinc jam eis gratiæ opera factam accessionem ostendit. Nam ex Veteri Testamento res dubia non erat, non solum reliquis omnibus, sed Levitis etiam et pontificibus, atque ipso pontifice maximo, matrimonio imprimis operam dantibus.

CAPUT XIII.

Cur ad eum de virginitate Corinthii scripserint, non ipse eos prior cohortatus sit.

Unde igitur in quæstionem venerunt? Acute id ac præclare viderunt, majori sibi virtute opus esse, qui majus donum accepissent. Illud etiam animadversione dignum est, cur id eis consilium non exposuerit : neque enim si quid ejusmodi audissent, iterum ex eo per litteras idem quæsivissent. Nam et hic admirabilem Pauli sapientiam cognoscere est. Neque enim temere ac sine causa rem tantam monere omisit, sed sustinuit dum ipsi prius aliquam

[1] Sap. IX, 14. — [2] I Cor. VII, 1.

ejus notitiam consecuti, in cupiditatem venirent, ut eorum animos nactus jam virginitati deditos, utiliter hisce de rebus sermones sereret, auditorum in rem studio ingens adjumentum ad cohortationis admissionem præstante : et alioqui rei magnitudinem atque insignem gravitatem ostendit. Nam ni ita esset, non expectato eorum studio, ipse id prior, si non ut jussum ac præceptum, at certe ut cohortationem atque consilium prodidisset. Nunc qui neque id prior facere animum induxerit, evidens nobis fecit, egere virginitatem multi sudoris, contentionisque permagnæ. Atqui id hic communem nostrum Dominum imitatus fecit, qui de virginitate tum disseruit, cum eum Discipuli rogarunt. Nam cum dixissent, « Si ea est viri cum » uxore conditio, expedit matrimonium non contrahere : » respondit, « Sunt eunuchi qui se ipsos propter cœleste » regnum castrarunt[1]. » Ubi enim ingens est recte factum, atque ideo nec sub præcepti necessitate concluditur, expectandum est desiderium eorum qui eo perfuncturi sunt, et alia quadam ratione nec suspecta, animus iis atque studium est parandum : quod quidem et Christus fecit. Neque enim eos ulla de virginitate disputatione in virginitatis studium conjecit, sed de matrimonio solum locutus, in ejusque difficultate commonstranda hærens atque conquiescens, rem adeo prudenter moderatus est, ut qui de non contrahendo matrimonio nihil audissent, sua sponte dicerent, « Expedit matrimonium non contrahere. » Atque ideo etiam Paulus Christi imitator, « De quibus autem, inquit, mihi » scripsistis : » velut se iis verbis in hanc sententiam purgans : Equidem vos ad sublime hoc fastigium propter rei difficultatem adducere non audebam. Nunc cum priores ipsi ad me scripseritis, fidens demum consulo. Cur enim cum multis de rebus scripserint, nusquam id adjecit ?

[1] Matth. XIX, 10 et 12.

Nulla alia de causa, quam ea, quam nunc dixi : ne quis enim cohortationem inique acciperet, litteras eis, quas misissent, ad memoriam revocat : ac ne sic quidem occasionem eam nactus, vehementiorem adhibet admonitionem, sed admodum benignam : in eo etiam Christum imitatus : nam Servator absoluto sermone de virginitate, addidit. « Qui potest capere capiat [1]. » Quid igitur ait, « De quibus » autem mihi scripsistis, bonum est homini mulierem non » tangere [2] ? »

CAPUT XIV.

Objectio eorum qui virginitatem ejiciunt, et solutio.

Sed fortasse dicat aliquis : At si præstet mulierem non tangere, qua de causa in vitam invasit matrimonium ? quorsum autem muliere utemur, quæ neque ad matrimonium, neque ad liberorum procreationem serviat ? Ecquid vero prohibebit omne hominum genus deleri, cum et mors id quotidie depascat ac concidat, et ea sententia alios in defunctorum locum restituere non permittat ? Nam si bonum id universi consectemur, nec mulieres attingamus, omnia dilabentur, et urbes, et domus, et agri, et artes, et animantes, et stirpes. Ut enim prostrato imperatore cogit necessitas omnem exercitus ordinem dissipari : sic homine terrestrium omnium rege, matrimonii defectu, extincto, cæterorum nihil incolumitatem suam ordinemque tuebitur; ita bellum hoc consilium innumeris orbem malis complebit. Enimvero si hæc hostium solum atque infidelium dicta essent, ea parvi duxissem : sed cum ea multi

[1] Matth. XIX, 12. — [2] 1 Cor. VII, 1.

etiam, qui ad Ecclesiam spectare videantur, jactent, ingenii ignavia virginitatis sudores detrectantes, illamque damnando et nauci faciendo socordiam suam tegere volentes : ut non negligentia quadam, sed recto rationis judicio ab eo certamine refugisse videantur, age, hostibus dimissis; « Animalis enim homo non capit quæ Spiritus » sunt, quippe quæ sint ei stultitia [1] ; » qui se nostros fingunt, utrumque doceamus, et tantum abesse ut res nauci sit, ut valde etiam utilis sit ac necessaria, neque accusationem eam ipsos impune laturos, sed tantum iis periculi allaturam, quantum præmiorum atque laudis iis, qui virginitatem coluerint. Nam hoc constructo mundo, et iis paratis, quæ ad quietem et usum nostrum conducebant, Deus hominem finxit, cujus etiam causa mundum fabricatus est. Is vero formatus, in paradiso degebat : nec matrimonii ulla mentio : opus erat ei etiam adjutrice : adhibita est : ne sic quidem matrimonium visum necessarium est. Ac neque dum extabat, et in paradiso velut cœlo quodam ejus expertes degebant, atque in Dei consuetudine suavissime quiescebant. Miscendi autem corporis ardor, conceptio, dolores, partus, atque omne genus corruptelæ, ex eorum animis exulabat, et velut amnis perspicuus e liquido fonte manans, sic inibi agebant virginitate ornati. Ac tum erat terra ab hominibus vacua : id quod nunc verentur hi orbis curatores : qui cum de alienis serio sollicitentur, de suis nec cogitare quidem sustinent : deque hominum communitate ne intereat anxii, animum suum tanquam alienum singuli negligunt : cum ad eum quod attinet, vel de minimis rebus severe ad pœnam vocandi sint : et quod ad hominum attinet paucitatem, nec levissime rationem reddituri. Non erant tum oppida, non artes, non domus : etenim hæc quoque non minimum curatis :

[1] 1 Cor. II, 14.

sed hæc non erant, et nihil tamen beatam illam vitam, atque hac longe meliorem impediebat aut turbabat. At postquam Deo non obtemperarunt, et terra atque cinis effecti sunt, cum beata ea vita virginitatis etiam decus perdiderunt, atque una cum Deo etiam illa eos deserens abscessit. Nam quandiu a diabolo invicti, Dominum suum reverebantur, manebat virginitas, eos exornans magis quam reges diadema, et aurea vestimenta. At ubi captivi, regio hoc amictu erepto, abjectoque cœlesti ornatu, mortis corruptelam, diras, cruciatus, ac ærumnas acceperunt, tum vero cum iis matrimonium subiit, mortale hoc et servum vestimentum : nam « Qui cum uxore est, inquit, » eorum sollicitus est, quæ sunt mundi[1]. » Vides-ne unde initium habuerit matrimonium? unde necessarium visum sit? ab inobedientia, diris, atque morte. Nam ubi mors est, ibi matrimonium : quo sublato, neque illa consequitur. At non virginitatem hæc sequuntur, sed semper utilis, semper fausta atque felix, et ante mortem, et post mortem, et ante matrimonium, et post matrimonium. Cedo enim, quod matrimonium Adamum procrearit? qui Evam partus dolores? Nequaquam dixeris. Quid igitur vane tremis ac formidas, ne matrimonio desinente humanum etiam genus desiturum sit? decies millies dena millia Angelorum Deo ministrant, mille millia Archangelorum apud eum astant[2] : neque eorum quisquam propagatione, aut partu, ac doloribus, et conceptione procreatus est. Itaque multo magis homines citra matrimonium finxisset : quemadmodum et primos finxit, unde homines omnes orti.

[1] I Cor. VII, 33. — [2] Dan. VII, 10.

CAPUT XV.

Matrimonium genus nostrum non augere.

Ac nunc genus nostrum frequentat non matrimonii vis, sed Domini jam initio dictum, « Crescite, et multiplicamini et replete terram[1]. » Quid enim Abrahamo ad liberos gignendos res ista profuit? annon eo tot annos usus, tandem hanc vocem emisit ; « Domine, quidnam mihi daturus es, cum sine liberis decedam[2]? » Itaque ut tum ex effetis corporibus Deus tot millibus originem atque initium dedit; sic principio, si ejus jussis obediens Adamus arboris voluptatem fregisset, haud sane de via laborasset, qua humanum genus augeret : neque enim aut matrimonium, nolente Deo, homines frequentes efficere queat; aut virginitas, volente eo frequentes esse, multitudinem minuet. At ita voluit, inquit, propter nos ac nostram pervicaciam. Nam cur non ante deceptionem matrimonium prodiit? cur non in paradiso coïtus? cur non ante maledictionem partus dolores? Erant nempe hæc supervacanea : in posterum vero imbecillitate nostra facta necessaria sunt cum hæc, tum cætera omnia, oppida, artificia, vestium amictus, ac reliqua necessariorum turba : hæc enim cuncta mors secum trahens invexit. Quare nec quod imbecillitati tuæ condonatum sit, virginitati præfer : quin nec exæqua. Nam hac demum ratione duas etiam conjuges habere, quam una contentum esse, præstare dices, quoniam id Moysis lege permissum erat : sicque divitias, quam voluntariam paupertatem, delicias quam frugalitatem, injuriam ulcisci quam fortiter ferre potius duces.

[1] Gen. I, 18. — [2] Id. XV, 2.

CAPUT XVI.

Matrimonium indulgentiæ esse.

Tu vero, inquit, hæc improbas. Equidem non improbo. Nam ea et Deus concessit, et erant suo tempore utilia : sed levia censeo, et puerorum magis quam virorum recte facta. Ideoque Christus volens nos perfectos reddere, jussit his, tanquam puerilibus vestibus, detractis, quæ et virum adultum amicire, et mensuram ætatis plenitudinis Christi ornare minime possent[1], splendidiores quasdam ac perfectiores induere : non ille quidem secum pugnans, sed maxime consentiens. Nam etsi hæc illis majora sunt præcepta, idem tamen consilium est legislatoris. Quodnam id est? Recisa animi nostri vitiositate, eum ad perfectam virtutem deducere. Itaque si ei operam dedisset, non ut prioribus majora imponeret, sed in iisdem perpetuo sineret, neque ab ea vilitate unquam sublevaret, fuisset id vehementer secum pugnantis. Ut enim si initio, cum puerilius affectum esset genus humanum, accuratum hoc institutum sanxisset, nunquam nec moderatum accepissemus, sed immoderatione ea salus nobis omnis periisset : ita si post longum hoc spatium, ac sub lege disciplinam, tempore nos ad cœlestem hanc philosophiam vocante, hærere in terra sivisset, nihil magnum ex indulgentia ea percepissemus, cum perfectio, propter quam facta indulgentia est, nobis non obtigisset.

[1] Ephes. IV, 13.

CAPUT XVII.

De Dei indulgentia.

Nunc simile quiddam nobis ac pullis contigit. Nam ubi eos educavit mater, profert illos quidem e nido : sed si imbecilles videt, ac labentes, et qui adhuc opus habeant intus contineri, sinit insuper plures dies, non ut perpetuo intus hæreant, sed ut alis probe confirmatis, atque omni contracto robore, exin securi volatum ineant. Sic nos Dominus noster jam olim ad cœlum trahebat, viamque quæ eo ferret, monstrabat : non ille quidem ignorans, quin belle etiam conscius, impares ad eum volatum futuros, sed ostendere nobis volens, non voluntate sua, sed imbecillitate nostra lapsum fieri. Quod ubi ostendit, sivit porro in hoc mundo et matrimonio tanquam nido quodam diutius ali : donec tandem virtutis quasi quibusdam pennis longo intervallo enatis, sensim atque pedetentim aggressus, domicilio hoc eductos, altius docuit evolare. Ergo alii adhuc oscitantes, arctoque somno consopiti, nido etiamnum consuescunt, mundanis affixi rebus. Alii vero generosi, ac lucis amatores, eo facillime deserto, ad sublimia volant, omnibusque in terra relictis, matrimonio, nummis, curis, cunctisque reliquis quæ ad terram nos detrahere solent, cœlo inhiant. Quare ne putemus, matrimonii olim permissionem, necessitatem deinceps esse, ab eo refugere vetantem : nam quod velit ut id dimittamus, audi quid dicat, « Qui potest capere, capiat[1]. » Quod si id principio minus jussit, nihil mirum : neque enim medi-

[1] Matth. XIX, 12.

cus omnia simul ægrotis eodemque tempore præscribit, sed cum a febri tenentur, a firmiori cibo eos arcet : cum æstum eum, atque ab eo corpori contractam infirmitatem depulerunt, tum ingratis demum cibis liberatos, assueto victui reddit. Quemadmodum vero in corporibus elementa inter se discordia excessu defectuve morbum concitant; ita et animi sanitatem affectuum immoderationes corrumpunt imprimisque opus est tempestivitas, atque ut ad subjectas affectiones accommodatum præceptum sit; alioqui lex sine iis utrisque ad corrigendam excitatam in animo depravationem minime sufficiet. Ut enim nec medicamentorum vis ulcus sanare per se poterit. Nam quod remedia vulneribus, id vitiis leges præstant. Tu vero medicum, sæpe idem vulnus, nunc secantem, nunc urentem, nunc horum neutrum facientem, præsertim qui frequente r a fine aberret, non urges : Deum vero, qui homo sis, nunquam aberrantem, sed omnia ut ejus dignum sapientia est, moderantem, obtundis, ab eoque præceptorum rationem exigis, neque infinitæ Sapientiæ tanquam de via cedis? annon ea extrema amentia est? « Crescite, ait, et » multiplicamini[1]. » Id enim tempus postulabat, furente natura, ac neque ad libidinis impetum consistente, neque in ea tempestate portum alium quo confugeret habente. Sed quid imperandum fuit? Ut in continentia ac virginitate degerent? At hoc et lapsum majorem, et vehementiorem flammam effecisset. Nam si quis pueros, qui lacte solum egent, ab eo cibo remotos, viris congruo vesci cogat, nihil impediet, quominus e vestigio pereant. Tantum malum est intempestivitas. Eapropter virginitas initio data non est : imovero virginitas et initio, et matrimonio prior extitit, sed eapropter invasit matrimonium, visumque necessarium est, cum, siquidem Adamus obediens mansisset,

[1] Gen. 1, 28.

eo opus non fuisset. At quî, inquit, tot millia prodiissent? Ego vero, quando hæc te formido admodum sollicitans manet, iterum abs te quæro, unde nobis Adamus, unde Eva, non interveniente matrimonio? Quid igitur? ita-ne, inquit, homines omnes erant nascituri? Hoc an alio modo, haud sane habeo dicere : illud enim nunc agitur, Deo ad frequentandos in terra homines matrimonio opus non fuisse.

CAPUT XVIII.

Non virginitatem genus nostrum imminuere, sed peccatum.

Nec vero mortalium generi virginitatem interitum comparare, sed flagitia et fœdos coïtus, ostendit illa Noë tempestate hominum, jumentorum, breviter omnium in terris animantium internecio. Nam si tum obscœnæ ei libidini restitissent Dei filii, ac virginitatem coluissent, neque hominum filias iniquis oculis aspexissent[1], nunquam hæc eos pernicies oppressisset. Atque hæc nolim ita accipi, quasi eorum cladem in matrimonium conferrem : non enim id nunc dico, sed genus nostrum perimere ac delere, id vero non esse virginitatis, sed peccati.

[1] Gen. VI, 2.

CAPUT XIX.

Matrimonio olim duas fuisse causas, nunc unam esse.

Itaque cum liberum quærendorum causa proditum matrimonium est, tum multo magis ad naturæ ardorem restinguendum. Atque id Paulus testatur, dicens : « Sed propter » fornicationem, suam quisque uxorem habeat[1] : » non propter liberorum procreationem : rursumque convenire jubet, non ut multorum filiorum parentes fiant : sed cur ? « Ne vos tentet, inquit, Satanas, » ac progressus, non dixit : Si optant liberos, sed quid ? « Qui se non continent, ma» trimonium contrahant. » Principio enim, ut dicebam, duplicem hanc occasionem habebat, sed deinde terra ac mari, atque orbe omni repleto, unus duntaxat prætextus est reliquus, nequitiæ et libidinis abolitio. Nam eos qui etiamnum se in his vitiis erant volutaturi, et porcorum vitam agere, atque in lupanaribus perire cupiunt, non minimum juvat matrimonium, quod necessitate ea atque fœditate liberatos, sanctos castosque tueatur. Atenim quis umbratilis hujus pugnæ futurus modus est ? et vos enim qui hæc disseritis, non minus quam nos virginitatis excellentiam tenetis, omniaque, quæ a vobis dicuntur, commenta ac prætextus sunt, et libidinis tegumenta.

[1] 1 Cor. VII, 2.

CAPUT XX.

Etiam si nullum periculum esset iis qui virginitatem despiciant, tamen ne sic quidem tutum esse eam despicere.

Verum ut hæc impune dicere liceat, tamen vel hac ratione a calumnia temperatum oportuit. Nam qui de rebus præclaris secus sentiat, præter alia damna, non leve etiam apud omnes improbitatis suæ testimonium, nempe adeo depravatum et iniquum judicium profert. Itaque si nulla alia de causa, at ne tam tetram opinionem de se concitarent, linguam continere decebat: cogitantes, qui summis certaminibus illustres laudet, eum licet eadem non attingat, facile ab omnibus veniam consequi. At qui nec ea exerceat, et multis coronis digna etiam damnet, merito eum omnes oderint ceu hostem atque inimicum virtutis, et insanis miseriorem. Hi enim et quæ committunt nesciunt, nec quæ patiuntur, ultro sustinent: ideoque læso magistratu non modo pœnas minime dant, sed eos ipsi etiam læsi miserantur. Quod si quis autem prudens ea designet, quæ illi imprudentes faciunt, jure omnium sententiis ut naturæ nostræ perduellis damnetur.

CAPUT XXI.

Ingens periculum esse iis qui virginitatem despiciant.

Quare ut dicebam, etsi accusatio ea impune esset, tamen ob ea quæ tam dixi, abstinere oportebat. Nunc

inest in eo ingens periculum : neque enim qui sedens contra suum fratrem loquitur, et adversus filium matris suæ scandalum ponit[1], solum punietur, sed etiam qui quæ Deo præclara videantur, culpare insistat. Jam accipe quid alius Propheta in eamdem sententiam disserat : « Væ illi qui » malum bonum, et bonum malum dicit; qui lucem in » tenebras, et tenebras in lucem convertit; qui amarum » in dulce, et in amarum dulce mutat[2]. » Nam quid virginitate dulcius, quid melius, quid illustrius? quæ fulgores ipsis etiam solis radiis luculentiores emittat, nosque ab omnibus sæculi hujus negotiis abjunctos, in justitiæ solem puris oculis assidue contuentes præstet. Atque hæc quidem Hesaïas de iis qui inter eos judicia haberent corrupta, vociferatur : audi vero quid alius etiam Propheta de iis qui eas pestiferas voces in vulgus spargant, dicat, ab eodem adverbio itidem exorsus : « Væ ei, qui proximo » suo potum dat subversionem turbidam[3]. » Est autem væ, verbum non simplex, sed quo ingentes continentur minæ, ut immisericors supplicium promulgetur. Nam in sacris Litteris adverbium hoc in eos usurpatur, qui imminentes pœnas amplius effugere non possunt. Rursum alius Propheta Judæos notans, « Vinum, inquit, sanctificatis pro» pinavistis[4]. » Quod si qui Nazaræis vinum propinet, adeo multabitur, quo non supplicio dignus erit, qui in simplicium mentes subversionem turbidam effundat? Si qui exiguam ejus, quæ secundum legem erat exercitationis partem succidat, inexorabiles pœnas sustinet, qui sanctimoniam hanc omnem convellat, quibus modis accipietur? « Si quis scandalizaverit, ait, unum ex his pusillis, » expedit ei ut suspendatur mola asinaria circa collum ejus, » et demergatur in mare[5]. » Quid igitur dicent, qui his

[1] Psal. XLIX, 20.— [2] Isaï. V, 20. — [3] Habac. II, 15.— [4] Amos. II, 12.— [5] Matth. XVIII, 6.

verbis non unum aliquem minimum, sed multos scandalizant? Cum enim is qui fratrem fatuum vocet, recta ad gehennæ ignem abducendus sit, qui Angelis æquale hoc institutum accuset, quantam suo capiti iram contrahet? Derisit aliquando Moysem Maria[3], non ut vos nunc virginitatem, sed levius multo ac moderatius : quippe quæ nec detraheret homini, et beati virtutem non solum non exagitaret, sed valde etiam suspiceret : illud tantum dicebat : iisdem se, quibus illum, præditam : et tamen adeo Dei iram in se excivit, ut neque eo, qui læsus videretur, multum deprecante, quidquam proficeretur, et diutius quam vellet, ei pœna prorogaretur.

CAPUT XXII.

Pueros illos Elisæi tempestate utiliter periisse.

Et quid Mariam dico? cum pueri illi ad Bethlehem ludentes, qui id Elisæo tantum dixissent, « Ascende, calve[2], » Deum tantopere irritaverint, ut statim ursos in eorum multitudinem; erant enim duo et quadraginta, immitteret : qui ab iis ad unum omnes sunt discerpti, neque aut ætas, aut multitudo, aut joco dixisse, puerulis profuit, et jure quidem merito. Si enim qui tantos labores suscipiunt, et pueris et viris ludibrio sint, ecquis imbecilliorum labores suscipere in animum inducet, cum risu atque sannis conjunctos? quis e vulgo virtutem colet, eam adeo ridiculam cernens? Nam si nunc, omnibus ubique eam admirantibus, non solum ejus cultoribus, sed etiam iis, qui ea exciderunt, homines vulgo ad eos sudores pavent

[1] Num. XII, 1. — [2] 4 Reg. II, 23.

ac formidant; ecquis facile eam adeat, si nedum admirationi habeatur, eam passim ab omnibus culpari videat? Etenim firmiores, et qui jam in cœlum commigrarunt, vulgi solatium non requirunt, sed eis ad summam alacritatem satis est laus quam a Deo consequuntur: imbecillioribus autem, et qui nuper eo sunt deducti, non levis e vulgi commendatione virium accessio fit, donec tandem undique instructi, paulatim ita se comparent, ut ea quasi manuductione non indigeant. Nec vero id illorum tantum causa, sed pro irrisorum etiam salute fit, ne qui priorem audaciam non luissent, in eo ultra crimine progrederentur. Sed mihi jam, dum hæc memoro, veniunt in mentem quæ Eliæ tempestate acciderunt. Nam quod pueri propter Elisæum ab ursis, id propter ejus magistrum bis quinquaginta viri cum suis principibus ab igne cœlitus deflagrante passi sunt. Quia enim et hi per summam simulationem Justum aggressi, vocabant atque ad se descendere jubebant, in ejus vicem descendens ignis omnes absumpsit[1], perinde atque illos feræ. Itaque hæc cogitantes omnes vos virginitatis hostes, tandem januam atque vectes ori admovete: ne et vos judicii tempore, conspectis iis qui illic virginitate splendebunt, dicere incipiatis: « Illi sunt » quos aliquando in derisum habuimus, et in similitudinem » improperii: nos insensati, qui eorum vitam putavimus » insaniam, et exitum eorum sine honore. Quomodo Dei » filiis annumerati, et inter sanctos sors illorum est? Ergo » nos a veri via deerravimus, neque nos justitiæ lumen » illustravit[2]. » At quis erit eorum verborum fructus, enervata tum ab ipso tempore pœnitentia?

[1] 4 Reg. 1, 9, 10. — [2] Sap. v, 3-6.

CAPUT XXIII.

Cur qui eadem committunt, non easdem luant pœnas.

Sed fortasse dicet vestrum quispiam : At nemo-ne postea viros sanctos conviciis incessit? Multi, et diversis in regionibus. Et qui, inquit, easdem pœnas non dederunt? Dederunt sane; et eorum multos scimus. Quod si qui effugerunt, at non perpetuo effugient. Nam ut est apud beatum Paulum, « Quorumdam peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium : quosdam autem et subsequuntur[1] : » atque ut legislatores nocentium pœnas litteris consignatas reliquerunt : ita et Dominus noster Jesus Christus in unum atque alterum facinorosum animadvertens, eorumque supplicia tanquam in columna ærea atque litteris repræsentans, per ea quæ illis acciderunt, omnes commonet, etiamsi hoc tempore, qui eadem audeant quæ qui ea luerunt, easdem pœnas non exolvant, in futuro sæculo illos graviori pœna mulctandos.

CAPUT XXIV.

Qui peccent, nec puniantur, iis non confidendum, sed timendum potius esse.

Itaque cum sine modo peccantes, nihil mali patimur, ne confidamus, sed ideo magis timeamus. Nam licet hic

[1] I Tim. v, 24.

a Deo minime puniamur, illic tamen cum mundo damnabimur. Atque hæc rursum non mea, sed loquentis in Paulo Christi sententia est. Etenim eos alloquens, qui indigne sacra sumerent, ait: « Ideo inter vos multi infirmi » et imbecilles, et dormiunt multi. Quod si nosmetipsos » dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum judicamur » autem, a Domino corripimur, ut non cum mundo dam» nemur[1]. » Sunt enim qui hic solum castigari opus habeant: quorum et culpæ mediocres sint, ut castigati iterum ad antiquum non recurrant, canem ad vomitum reversum imitati. Sunt et qui propter excessum improbitatis et hic et illic plectentur: alii illic tantum supplicia sustinebunt: quoniam enim omnium gravissima perpetrarunt, non digni habiti sunt qui cum hominibus flagellarentur: nam ait, « Et cum hominibus flagellabuntur, » illi quippe reservantur, ut cum dæmonibus puniantur: « Discedite enim, » inquit, a me in tenebras exteriores paratas diabolo et an» gelis ejus[2]. » Multi sacerdotium nummis rapuerunt[3]: neque aut eum qui reprehenderet habuerunt, nec quod olim a Petro Simon Magus, audiverunt: at non ideo effugerunt, sed multo graviores pœnas, quam quæ hic debebantur, subibunt, quod nec exemplo emendati sint. Multi eadem quæ Core ausi sunt, nec eadem quæ Core passi, at post majori suo malo patientur[4]. Multi Pharaonis impietatem imitati, non etiam, sicut ille, sunt demersi, at gehennæ æquor eos manet. Neque enim qui fratres fatuos vocant, jam puniti sunt: illic enim in eos servata animadversio est. Quare ne putate Dei sententias solum verba esse atque voces: nam eam ob rem ex iis quasdam in opus eduxit, ut in Sapphira, Charmi, Aarone, aliisque multis[5], ut qui ejus verbis non credunt, rerum confirmatione

[1] I Cor. XI, 30-32. — [2] Matth. XXV, 41. — [3] Vide Act. VIII. — [4] Num. XVI. — [5] Josuë. VII, et Num. III, passim.

deterriti, desistant sibi ipsi imponere velut pœnas non daturi; et intelligant Dei benignitatem eo pertinere, ut sceleratis spatium donet, non ut omnino non vindicet in eos qui in vitiis permaneant. Poteram equidem et pluribus ostendere, quantum sibi ignem contrahant, qui virginitatis laudem nihili faciant : sed et sanis hæc sufficiunt, rebelles et insanos nec multo iis plura ab insania retrahant. Itaque ea disputatione supersedentes, ad sanos sermonem omnem convertamus, iterum ad beatum Paulum reversi. « De quibus autem mihi scripsistis, inquit, bonum est homini mulierem non tangere [1]. » Pudeat nunc utrosque, et qui matrimonium improbant, et qui plus æquo extollunt : utrisque enim beatus Paulus cum his verbis, tum iis quæ consequuntur, silentium imponit.

CAPUT XXV.

Infirmis necessarium esse matrimonium.

Bonum est matrimonium : quippe quod et virum retinet in officio temperantiæ, neque in libidines provolutum interire sinit. Quare ne id accusa : habet enim ingens commodum, Christi membra scorti membra fieri non permittens, nec sacrum templum profanari et impurum fieri [2]. Bonum est, inquam, quoniam labentem sustinet atque erigit. Sed quid hoc attinet ad eum qui stat, et qui ejus opem non desiderat? Nam hic nec utile, nec necessarium est, sed ad virtutem etiam impedimentum, non solum quod multos præbeat obices, sed etiam quod majorem partem laudis detrahat.

[1] I Cor. VII, 1. — [2] Id. VI, 15.

CAPUT XXVI.

Qui virgo agere possit ac matrimonium contrahat, summum sibi damnum facere.

Etenim qui armis eum instruit, qui nudus pugnare potest et vincere, adeo non juvat, ut extrema etiam afficiat injuria, admiratione eum et illustri corona defraudans. Nam nec hominis virtutem omnem patitur elucere, nec ejus tropæum percelebre reddi. In matrimonio vero gravior etiam jactura est; neque enim solum vulgi commendatione, sed præmiis etiam virgini repositis privat. Eapropter bonum esset homini mulierem non tangere. Cur igitur tangere permittis? propter fornicationem, inquit. Vereor te ad virginitatis fastigium sustollere, ne in fornicationis barathrum decidas. Nondum ea pennarum levitate præditus es, ut te ad id cacumen efferre possim. At ipsi certamen arripuerunt, atque ad virginitatis laudem prosilierunt. Quid igitur trepidas, beate Paule, ac formidas? Quod hi fortasse rem ignorantes hac alacritate sint : me usus ac periclitatio ejus pugnæ, etiam ad cæteris consulendum timidiorem reddit.

CAPUT XXVII.

Magnam esse virginitatem et magnorum conciliatricem bonorum.

Novi rei contentionem, novi certaminum hujusmodi vio-

lentiam, novi belli gravitatem. Pervicaci quodam et forti animo opus est, atque a libidinum sensu averso. Nam per carbones sic ingrediendum est, ut non uraris, et ita per mucrones eundum, ut non saucieris : ea est enim libidinis vis, quæ ignis atque ferri : quod nisi animus ita comparatus sit, ut nec ad ejus dolores moveatur protinus se perdet. Itaque opus est nobis adamantina mente, oculo insomni, tolerantia summa, muris firmis, antemuralibus ac repagulis, custodibus pervigilibus ac prævalidis, atque imprimis cœlesti favore. Nam « Nisi Dominus urbem custodiat, frustra vigilant, qui custodiunt eam[1]. » At quo pacto eum favorem eliciemus? Si nostra omnia conferamus, sana consilia, summam jejunii ac vigiliarum contentionem, legis accuratam observationem, mandatorum custodiam, et quod caput est, si in nobis fiduciam non collocemus : nam etsi magna quædam præstemus, illud apud nos perpetuo dicamus necesse est, « Nisi Dominus » ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam[2]. Nec enim nobis lucta est adversus sanguinem » et carnem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi rectores tenebrarum hujus sæculi, » adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus[3] : » ac nocte dieque cogitationes nobis armatæ stent oportet, et impudentibus libidinibus formidini sint. Quippe si minimum remittant, astans diabolus ignem manibus tenet, vibraturus ac Dei templum concrematurus. Ergo opus est undique muniamur : est enim nobis pugna cum naturæ necessitate, Angelorum conversationis æmulatio, cum incorporeis Virtutibus cursus : terra atque cinis Cœlicolis æquari nititur, mortalitas cum immortalitate certamen init. Et quisquam, sodes, matrimonium ac voluptatem cum re tanta conferre ausit? An non id valde stolidum

[1] Psal. CXXVI, 1. — [2] Ibid. — [3] Ephes. VI, 12.

est? Itaque Paulus, qui hæc omnia sciret, dicebat, « Suam » quisque uxorem habeat[1] : » ideo detrectabat, ideo eis non audebat de virginitate primum disserere; sed in disputatione de matrimonio versatur, paulatim eos a matrimonio retrahere volens, et brevem de continentia sermonem longiori illi intermiscet, aures admonitionis severitate feriri minime passus. Nam qui usquequaque e rebus arduis orationem texit, et molestus est auditori, et plerumque animum cogit, dictorum gravitatem non ferentem, resilire. At qui eam variat, ac facilia plura quam difficilia immiscet, cum difficultatis sensum eripit, tum reficiendo auditorem, ita eum magis inducit et conciliat : quod quidem et beatus Paulus fecit. Eo enim dicto, « Bonum est homini mulierem non tangere; » protinus ad matrimonium se recepit, ut suam quisque uxorem haberet dicens. Atque contentus id beatum prædicasse : nam, « Bonum, inquit, est homini mulierem non tangere : » de matrimonio et consulit et præcipit, addita etiam causa : ait enim, « Propter fornicationem : » atque matrimonii concessionem reprehendere videtur; sed revera expositis matrimonii causis, tacite continentiæ laudem amplificat : non id apertis verbis declarans, sed auditorum conscientiæ relinquens. Nam qui se moneri intelligat ut matrimonium contrahat, non quod matrimonium potissima quædam virtus sit, sed quod se Paulus tantæ libidinis damnet, ut citra matrimonium ab ea se continere nequeat, erubescens ac pudefactus, protinus virginitatem asciscere, atque a se tantam infamiam depellere nitetur.

[1] 1 Cor. VII, 2.

CAPUT XXVIII.

Quæ de matrimonio dicantur, cohortationem esse ad virginitatem.

Quid vero addit insuper? « Uxori vir debitam benevolen» tiam reddat : itidemque uxor viro : » quod apertius explanans, subdit : « Uxor sui corporis domina non est, sed » vir : itidemque vir sui corporis dominus non est sed » uxor [1]. » Et hæc dici pro matrimonio videntur : revera autem ea, tanquam hamum assueta esca obvolutum, in discipulorum aures immittit, eos per sermonem de matrimonio, a matrimonio retrahere volens. Qui enim audiat, post matrimonium non jam se suum fore, sed uxoris arbitrio subjectum iri, nec mora, acerbissima servitute expedire se conabitur : vel potius nec jugum subire : cum qui semel subierit, ei porro serviendum sit, quandiu id uxori videatur. Quod autem hic non ex conjectura de Pauli sententia loquar, promptum est ex discipulis cognoscere. Nam nec ii grave ac molestum esse matrimonium prius arbitrati sunt, quam a Domino se in eam necessitatem conclusos, in quam et a Paulo tum Corinthii viderunt. Illud enim, « Qui uxorem suam dimiserit excepta fornica» tionis causa, facit eam mœchari [2] : » Et hoc, « Vir sui cor» poris dominus non est [3], » dissimilibus verbis, sed eodem sensu concepta sunt. Quin si quis hoc Pauli accuratius animadvertat, tyrannidem auget magis, dnrioremque servitutem reddit. Nam Dominus ei non permittit eam domo exigere. Paulus ei etiam sui corporis dominio erepto, omne

[1] 1 Cor. VII, 3, 4. — [2] Matth. V, 31. — [3] 1 Cor. VII, 4.

ejus jus in uxorem confert, eique cum emptitio famulo gravius subjicit. Huic enim licet interdum solidam libertatem adipisci, siquidem possit aliquando auctus pecunia hero pretium numerare : at vir, quamvis omnium difficillimam uxorem nactus sit, servitutem ferre cogitur, nec qua eo dominatu se absolvat, inire viam potest.

CAPUT XXIX.

Illud, Ne defraudate alter alterum, *ejus esse qui ad virginitatem instiget.*

Itaque cum dixisset, « Uxor sui corporis domina non » est, » addit, « Ne defraudate alter alterum, nisi si quid ex » consensu, ad tempus, ut precibus et jejunio vacetis : » rursumque eodem convenite[1]. » Multos hic eorum qui virginitatem sunt amplexi, in tanta Pauli indulgentia, erubescere ac verecundari existimo. At ne timete, neu imperite quidquam admittite. Nam et hæc videntur esse conjugibus indulgentis : sed si quis ea accurate scrutetur, ejusdem cum superioribus sententiæ comperiet : alioqui si ea leviter tractamus, propositam causam mutando, pronubæ potius quam Apostoli verba videbuntur. Sin consilium omne evolvamus, etiam hanc cohortationem dignam apostolica gravitate inveniemus. Quid est enim cur in hac disputatione prolixior est? annon id satis erat, ut cum superioribus verbis graviter repræsentasset, cohortationem illic sisteret? Nam quid his, « Ne defraudate alter alterum, » nisi si quid ex consensu, ad tempus; » plus dicitur quam illis, « Uxori vir debitam benevolentiam reddat : » et, « Vir

[1] 1 Cor. VII, 5.

» sui corporis dominus non est ? » Nihil sane : sed quod illic breviter et obscure dictum est, hic pluribus illustrat. Atque id facit sanctum Dei Samuëlem imitatus. Ut enim ille accuratissime regni leges populo recenset, non ut eas suscipiant, sed ne suscipiant : agique institutio quædam videtur, cum revera intempestivæ eorum cupiditatis dehortatio sit : ad eumdem modum et Paulus matrimonii tyrannidem frequentius et apertius inculcat, eos his verbis volens inde revocare. Itaque ei sententiæ, « Uxor sui cor» poris domina non est, » addit, « Ne defraudate alter alte» rum, nisi si quid ex consensu, ut jejunio et precibus va» cetis. » Vides ut nec opinato et sine molestia, eos qui in matrimonio degerent, ad continentiæ studium inducat ? Nam principio rem laudavit dicens, « Bonum est homini » mulierem non tangere : » hic adhibet etiam cohortationem his verbis, « Ne defraudetis alter alterum, nisi si quid » ex consensu. » Et cur quod constitutum volebat hortabundus, non imperabundus proponit ? neque enim dixit, Defraudate alter alterum, dummodo ex consensu : sed quid ? « Ne defraudate alter alterum, nisi si quid ex con» sensu. » Quia hic sermo levior est, doctoris sententiam demonstrans, quæ rigide id non exigat, cum maxime summa benevolentia persolvatur. Neque eo solo auditorem solatur, sed etiam quod asperum brevibus verbis complexus, prius ad jucunda revertatur, quam auditorem dolor attingat : in iisque magis moretur.

CAPUT XXX.

Cur si honoratum matrimonium est, jejunantes hortetur Paulus congressu abstinere.

Atque illud etiam quæstione dignum est, cur, si quidem honorabile est matrimonium, et torus immaculatus, ei precum ac jejunii tempore locum habere non permittat? Quod perabsurdum esset Judæos, quibus omnia corporea constituebantur, qui duas conjuges habere, et aliis ejectis alias asciscere sinebantur, tantam in hac re operam ponere, ut divina oracula audituri, etiam legitimo coïtu abstinerent : idque non unum aut alterum diem, sed etiam plures[1] : nos autem tanta affectos gratia, qui spiritualia accepimus, defunctos, cum Christo consepultos, adoptione auctos, ad eam dignitatem evectos, post tot tantaque bona ne infantium quidem illorum studium consequi. Quod si quis iterum quærere persistat, cur Moyses ipse Judæos ab eo coïtu abducat, id habeat responsum : Et si honorabile matrimonium sit, at eo solum pertingere, ut utentem non inquinet, sanctos vero præstare, non illud posse, sed virginitatem. Ne vero putes ea Mosen solum atque Paulum edixisse, audi quid Joël dicat : « Sanctificate jejunium, » prædicate curationem, cogite cœtum, seniores congre- » gate. » Sed quæris, ubinam uxore abstinendum dicat? » Egrediatur, inquit, sponsus de cubili suo, et sponsa de » thalamo suo[2]. » Id enim Mosaïco etiam majus est præcepto. Nam si sponsum ac sponsam libidine ardentes, juventa prurientes, cupiditate infrenes, jejunii et precum

[1] Exod. xix. — [2] Joël. ii, 15, 16

tempore coïre nefas est, quanto magis cæteros eam congrediendi necessitatem non habentes? Qui enim ut decet comprecetur ac jejunet, ei necesse sit, omne humanarum rerum studium, omnem curam et negotium abjicere, ac se undique colligentem, Deum adire. Quare et jejunium bonum est : quippe quod recisis animi curis, ac negligentia, quæ mentem circumfluat, repressa, cogitationem omnem ad se convertat. Id quod et Paulus innuens, a congressu arcet, et verbis utitur admodum opportunis. Non enim ait, Ne inquinemini : sed, « Ut jejunio et precibus » vacetis : » velut coïtu cum uxore non ad fœditatem, sed ad occupationem nos cogente.

CAPUT XXXI.

Qui precationibus rite operam dare velint, necessario Paulum a concubitu avocasse.

Nam cum nunc post tot præsidia, impedire nos precum tempore diabolus conetur, ecquid non molietur mentis oculis huc illuc jactando animum nactus diffluentem, atque uxoris studio emollitum? Quod ne pateremur, neve cum potissimum id agimus, ut Deum nobis propitium comparemus, tum prece adeo futili eum irritaremus, jubet tum a coïtu puros esse.

CAPUT XXXII.

Qui segniter precentur, non modo Deum non propitiare, sed etiam irritare.

Etenim si qui reges adeunt : et quid reges dico? imovero infimos magistratus : et servi heros alloquentes, seu id agant injuria ab aliis affecti, seu beneficium ipsi postulantes, seu iram in se excitatam sopire curantes, et oculis et mente omni ad eos conversa, ita colloquium habent : sin minimum torpeant, non solum pro quibus supplicabunt non perficient, sed malo etiam accepto discedent. Si qui hominum furorem lenire volunt, tantopere laborant : quid nobis miseris fiet, qui omnium principem Deum adeo negligenter adimus, maxime cum longe majori simus iræ obnoxii? Neque enim herum servus, aut regem subditus tam graviter irritat atque nos Deum in dies. Atque id significans Christus, peccata in alium, centum denarios[1]; in Deum, decem millia talenta nominabat. Quare cum eum, sedandæ tantæ iræ, ejusque, quem quotidie oppugnemus propitiandi causa, precibus adimus, merito nos ab ea voluptate arcet : quasi dicat, De anima nobis agitur, charissimi, de summa rerum periculum est : tremendum, horrendum, formidandum est. Herum adimus terribilem, multoties a nobis læsum, multa habentem quæ nobiscum expostulet. Non hoc tempus est amplexuum, non voluptatum, sed lacrymarum, acerborum gemituum, prostrationis, accuratæ confessionis, diligentis supplicationis frequentium precum : quandoquidem bene cum eo agatur, qui

[1] Matth. XVIII, 34.

vel tanto studio, iram eam leniat, non quia durus ac crudelis sit Dominus noster; est enim admodum lenis et humanus, sed scelerum nostrorum magnitudo etsi benignum, clementem, atque misericordem, facile nobis ignoscere non sinit : itaque ait, « Ut jejunio et precibus vacetis. » Quid igitur est hac servitute acerbius? Volo in virtute gradum facere, in cœlum evolare jejunio atque precibus assidue intentus, animi sordes abstergere. Quod si illa in id institutum non consentiat, lasciviæ ejus servire cogor. Ob id enim initio monebat, « Bonum est homini mulierem » non tangere, » et Discipuli etiam Domino dicebant : « Si » ea est viri cum uxore causa, non expedit matrimonium » contrahere[1] : » quippe cogitantes necesse esse alterutram in partem damnum admitti, eaque cogitatione in angustum deducti, eam vocem emiserunt.

CAPUT XXXIII.

Eadem iterum repetere, eorum esse qui Christum imitentur.

Quare etiam Paulus id assidue repetit, ut in eam cogitationem Corinthios inducat : « Suam quisque uxorem ha» beat : Uxori vir debitam benevolentiam reddat : Uxor » sui corporis domina non est : Ne defraudate alter alte» rum : Eodem convenite. » Nam nec Beati illi id ad primam vocem tum senserunt, sed postquam id secundo audierunt, tum vero præcepti necessitatem intellexerunt. Etenim Christus, qui et in monte considens, et rursum post alia multa, de eo disseruisset, ita eos ad continentiæ

[1] Matth. XIX, 10.

studium incitavit[1]. Adeo eadem assidue repetita, plus habent efficaciæ. Itaque et hic, discipulus magistrum imitatus, crebro idem usurpat, neque usquam permissionem meram prodit, sed cum causa, propter fornicationem inquiens, et tentationes satanicas, atque incontinentiam, præter expectationem virginitatis laudem in disputatione de matrimonio texens.

CAPUT XXXIV.

Virginitatem admirandam esse, et multis coronis dignam.

Nam si in matrimonio degentes diutius abjungere veretur, ne quem diabolus aditum inveniat, quibus coronis dignæ sint, quæ neque ab initio eo solatio opus habuerunt, et ad extremum invictæ permanserunt? Ut ne dicam, nec diaboli machinas utrisque ex æquo admoveri. Nam illis, opinor, nec molestus est, qui quidem sciat perfugium iis proximum esse, statimque si quem vehementiorem impetum sentiunt, in portum se recipere licere : neque enim iis permittit beatus Paulus longius navigare, sed defessos redire jubet, sinens eodem rursum convenire. At virgo assidue navigare, et sine portu æquor permetiri cogitur : atque etsi gravissima tempestas consurgat, ne sic quidem ei fas est navem subducere ac quiescere. Igitur quasi qui mare infestant, ubi civitas aut navale, aut portus sit, navigantes non invadunt : id enim est temere periclitari : sin navigium in alto offendant, auxilii destitutionem audaciæ incitamentum nacti, omnia

[1] Matth. v, 27-32.

movent atque versant, neque prius desistunt, quam aut eos demergant, aut id ipsi patiantur : ita et acer hic pirata virgini graves fluctus, ingentem tempestatem, ac procellas intolerabiles, omnia susquedeque miscens, ut vi atque impetu navem subvertat : audivit enim virgini non concedi « Eodem convenire, » sed ei necesse esse perpetuo adversus spiritualia nequitiæ luctari ac confligere[1], donec tandem in tranquillum portum evadat. Etenim Paulus virgini tanquam forti militi muris excluso portas aperiri non permittit, quamvis et valde effero hoste, et vel eo crudeliore, quod adversario induciarum potestas nulla sit. Nec vero diabolus solum, sed ipse etiam libidinis stimulus cælibes urget acrius : idque omnibus palam est. Nam quorum habemus usum, eorum cupiditate haud facile tangimur, securitate animo segni esse permittente. Atque idem nobis confirmat et proverbium populare, sed imprimis verum : Quod in potestate, inquit, promptum sit; id ad cupiditatem haud sane efficax est. Sin ab iis prohibeamur, quæ pridem tenebamus, contra accidit, et quæ propter facultatem a nobis contemnuntur, ea nobis e manibus amissa, vehementius desiderium excitant. Itaque primum hac ratione major est apud conjuges tranquillitas : deinde, quod si flamma iis altius quandoque eluctetur, eam protinus succedens congressus reprimit. At virgo non habens unde ignem extinguat, eum sublimem atque alte grassantem cernens, cum extinguere non possit, id unum agit ; ne cum igne conflictans uratur. An vero quidquam magis insolens est, quam solidum intus gestare rogum, nec aduri? quam flamma in animi penetrali ultro citroque commeante, intactam mentem conservare? Nemo enim eam sinit carbones eos foras ejicere : sed quod Proverbiorum auctor in natura corporis desperatum dicit,

[1] Ephes. VI, 12.

id illa necesse habet in animo sustinere. Quid vero dicit? « Ambulabit quis super carbones, nec ejus pedes adurentur? » ecce autem hæc ambulat, ac perfert cruciatum: « At ignem in sinu ligabit, et non ejus urentur vestimenta[1]? » at hæc non vestibus, sed intus ignem continens efferum atque resonantem, flammam sustinet ac tegit. Et adhuc quisquam, sodes, matrimonium cum virginitate conferre, an vel obtueri ausit? At non permittit beatus Paulus, qui ingens utriusque rei discrimen ponit: nam illa quæ sunt Domini, hæc quæ sunt mundi curat. Collectis igitur in unum conjugibus, et in virginis gratiam, audi quid illis exprobret. « Eodem enim, inquit, » convenite, ne vos tentet Satanas. » Ac volens ostendere totum ejus tentationi non deberi, sed nostræ etiam ignaviæ plurimum, principaliorem causam addit, inquiens, « Propter vestram intemperantiam. » Quis non id audiens erubescat? quis non intemperantiæ notam effugere moliatur? neque enim cohortatio hæc ad omnes pertinet, sed ad valde demissos. Quod si, inquit, tam es servus voluptatum, si tam mollis, ut semper in venerem effusus atque inhians sis, congredere sane cum uxore. Non est igitur permissio hæc probantis ac commendantis, sed irridentis ac improbantis. Nam ni voluptuosorum mentem egregie tangere voluisset, intemperantiæ vocem non adhibuisset, quæ et vehemens est, et ingens vituperium continet. Cur enim non dixit, Propter vestram imbecillitatem? quod ea vox magis ignoscentis esset, illa intemperantiæ, summam ignaviam notantis. Igitur intemperantiæ est, non posse a fornicatione abstinere, nisi uxori semper hæreas, ac coïtu fruare. Quid mihi hic dicent, qui virginitatem supervacaneam statuunt? nam hæc quo contensior est, eo majorem habet laudem: at matrimonium, ubi eo plus sa-

[1] Prov. vi, 27, 28.

tis utare : tum maxime laudis omnis expers est. Id enim, inquit, dico, secundum indulgentiam, non secundum præceptum : jam ubi est indulgentia, laudi nullus est locus. At enim et de virginibus disserens ait, « Præceptum Do- » mini non habeo. » Num igitur rem exæquat? minime gentium : nam de virgine sententiam dicit : hic consensum præbet. Ac neutrum præcipit, non eadem de causa : sed hic, ne qui ab intemperantia se sustollere vellet, prohiberetur, velut præcepti necessitate obstrictus ; illic, ne qui ad virginitatem attingere nequivisset, damnaretur, ceu in præceptum contumax. Non præcipio, inquit, virginem esse : vereor enim rei difficultatem. Non præcipio congredi frequenter cum uxore : nolo enim incontinentiæ legislator esse. Dixi, « Convenite, » ut vetem in præceps ferri, non ut sublimius studium impediam. Non ergo id præcipue vult, ut assidue uxore utamur, sed nimirum id segniorum intemperantia sanxit. Nam si Pauli voluntatem scire vis, audi quæ sit : « Volo, inquit, omnes homines » sic esse, ut ego sum, continentes[1]. » Igitur qui velis omnes continentes esse, neminem vis esse conjugem. Non equidem : at non propterea volentes veto et insimulo, sed cum optem ac percupiam omnes sic esse ut ego sum, tum illud propter fornicationem etiam concedo : ideoque in principio dicebam, « Bonum est homini mulierem non » tangere : » quia id præoptarem.

[1] 1 Cor. VII, 7.

CAPUT XXXV.

Necessario Paulum continentiæ exemplum se proposuisse.

Sed quare hic sui meminit, inquiens, « Volo omnes » homines sic esse ut ego sum ? » quod si non addidisset, sui sane mentionem effugisset. Cur igitur adjecit, « Ut ego » sum ? » non quo se extolleret : nam hic ille est, qui cum prædicationis laboribus Apostolis præstaret, indignum se vel Apostoli nomine existimat. Cum enim dixisset, « Ego » sum minimus Apostolorum, » velut majus quiddam quam pro dignitate sua elocutus, statim se castigat, addens, « Qui non sum dignus vocari Apostolus[1]. » Cur igitur hic cohortationi sese proponit? Non temere id quidem, aut sine causa, sed qui sciret discipulos tum maxime ad præstantium rerum studium incitari, si præceptorum habeant exempla. Itaque ut qui operibus vacuus, verbis solum philosophatur, haud sane auditori prodest : ita qui consilium a se primo perfectum habet exhibendum, vel hac imprimis ratione auditorem inducit. Præterea purum se ab invidia atque fastu ostendit, qui excellens hoc et præcipuum, cum discipulis commune esse velit, neque iis præstare curet, sed in omnibus eos sibi exæquare. Habeo et tertiam causam dicere. Quamnam? Videbatur res difficilis esse, nec multis facilis : itaque volens eam facilem declarare, eum, qui id opus absolvisset, in medium adducit, ne admodum laboriosum crederent, sed ducem intuentes et ipsi animis aucti eamdem viam inirent. Idem et

[1] 1 Cor. xv, 9.

alibi facit. Nam Galatas alloquens, iisque legis timorem eximere studens, quo ad antiquam consuetudinem ferebantur, pleraque ad eam pertinentia servantes, quid dicit? « Estote » sicut ego, quia et ego sicut vos[1], » ac quod ait, ejusmodi est: Nihil sit, inquit, quod dicatis, me resipiscentem nunc jam e gentibus, metus ex legis violatione ignarum, suaviter hæc omnia vobis philosophari: et ego enim ut vos aliquando servitutem hanc servivi, subjectus legis jussis, præceptorum observationes executus: sed postquam apparuit gratia, totum me ab illa ad hanc contuli. Nec jam ea res est transgressio, cum in alius viri manum convenerimus[2]. Quare non est quod quisquam dicat, alia facere me, alia monere, aut securitate mihi quæsita, vos in periculum dare. Nam si periculum ageretur, non me equidem prodidissem, non salutem meam neglexissem. Igitur ut illic se exemplum proponens, metum solvit; ita et hic se in medium adducto sollicitudine liberat.

CAPUT XXXVI.

Virginitatem modestiæ causa ab Apostolo donum appellari.

Sed habet, inquit, proprium quisque donum, alius quidem sic, alius vero sic. Vide hic mihi apostolicæ humilitatis signum nusquam deperditum, sed ubique serio elucens: Dei donum appellat suam virtutem[3], et in quo multum desudavit, id omne Domino tribuit. Et quid mirum si id in continentia facit, cum de prædicatione etiam disserens, pro quo mille labores, perpetuas afflictiones,

[1] Galat. IV, 12. — [2] Jerem. III, 1. — [3] 1 Cor. VII, 7.

inenarrabiles ærumnas, quotidianam necem suscepisset, idem usurpet? Quid ergo de eo dicit? «Plus illis omnibus »laboravi : non ego autem, sed gratia Dei mecum[1]. » Non partim suum, partim Dei censet, sed totum Dei. Hoc grati servi est, nihil proprium ducere, sed omnia heri, nihil suum putare, sed omnia Domini. Atque idem facit alibi. Nam cum dixisset : « Habentes donationes secundum gra»tiam, quæ data est nobis, differentes[2]; » in orationis progressu magisteria, liberalitatem, ac largitiones in iis numerat : quæ virtutes, non dona esse, facile omnes intelligunt. Hæc autem ideo disserui, ne dicentem audiens : « Proprium » quisque donum habet, » concidas, ac tecum sermocinere : Opera mea hic nihil opus est, id donum Paulus nominavit. Nam modestiæ causa, non qui continentiam donis accensere vellet, ita loquitur. Neque enim et secum et cum Christo pugnat : non cum Christo dicente : « Sunt eunuchi, » qui se ipsos propter regnum cœleste castrarunt, » atque addente : «Qui potest capere, capiat[3]. » Non secum, qui viduitatem amplexas, sed in eo proposito persistere nolentes, damnet. Nam si donum est, cur eis comminaris, dicens : « Damnationem habent, quia primam fidem irritam » fecerunt[4] ? » Nusquam enim Christus dotes non habentes punivit, sed ubique vitam rectam non exhibentes, adeoque quod potissimum requirit, vita est optima, et actiones irreprehensæ. Donorum autem distributio posita est non in accipientis optione, sed in donantis arbitrio. Itaque prodigia patrantes Christus adeo non laudat, ut etiam Discipulos ea re gloriantes, ab eo gaudio removeat, monens ne gauderent dæmonia sibi subjici[5]. Nam qui beati prædicantur ubique, misericordes sunt, humiles, mites, animo puri, pacifici, qui hæc omnia atque iis similia præstant[6].

[1] 1 Cor. xv, 10. — [2] Rom. xii, 6. — [3] Matth. xix, 12. — [4] 1 Tim. v, 12. — [5] Luc. x, 20. — [6] Matth. v, 3-12.

Quin ipse etiam Paulus præclara sua facinora recensens, in iis et continentiæ meminit : iis enim verbis, « In multa » patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angus- » tiis, in plagis, in carceribus, in laboribus, in seditionibus, » in vigiliis, in jejuniis, » addit, « In castitate[1] : » minime id facturus, si donum esset. Cur autem et mordet eam non habentes, intemperantes eos vocans? cur qui virginem suam non elocat, rectius facit? cur beatior vidua si sic manserit? Num quod jam dixi : Non prodigiorum, sed, actionum beatitudines sunt, quemadmodum et pœnæ. Quo pacto, inquam, eadem cohortans perseverat, si id in nobis non est, nec post divinum favorem operam etiam nostram desiderat? Ei enim sententiæ : « Volo omnes ho- » mines sic esse, ut ego sum, continentes, » iterum subdit, « Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis, si sic » permaneant, ut ego[2], » iterum se proponit eadem de causa. Nam qui exemplum haberent proximum et tanquam domesticum, facilius in virginitatis labores erant ausuri. Quod si et supra inquiens : « Volo omnes sic esse, ut ego » sum, » et hic, « Bonum est, si sic permaneant, ut ego, » neutro loco causam adjecit, ne mirare : neque enim id ex arrogantia facit, sed ratus satis esse causæ sententiam suam, qua ductus rem perfecisset.

CAPUT XXXVII.

Multas esse molestias in secundis nuptiis.

Quod si quis rationes etiam postulat, primum mihi omnium mortalium existimationem, tum quæ hic usuveniant,

[1] 2 Cor. vi, 4-6. — [2] 1 Cor. vii, 7.

indaget. Nam cum legumlatores nec matrimonia ea castigent, et permittant etiam ac concedant, multa et a multis cum domi, tum in foro in eos jactantur dicteria, reprehensiones, maledicta : quippe eos æque ac perjuros vulgo, ut sic dixerim, declinant, neque aut amicos habere, aut cum iis pacta conventa firmare, neque invicem quidquam audent credere. Etenim cum eos vident tantæ consuetudinis, amicitiæ, familiaritatis, ac societatis memoriam tam facile ex animo deponere, ea iis cogitatio quemdam quasi torporem offundit, ut non temere eos candide admittant, ceu leves atque versatiles. Neque ob hæc solum eos aversantur, sed etiam propter rerum gestarum insuavitatem. Quid enim, quæso, injucundius est, quam post gravem luctum, ploratus, lacrymas, sordidam comam, pullum amictum, subito plausus, tori nuptiales, strepitus a priori diversus, velut actoribus in scena ludentibus, ac nunc hoc, nunc illud repræsentantibus? Nam et illic eumdem videre est interdum regem, interdum omnium pauperrimum : et hic, qui pridem ad tumulum volutabatur, repente prodit sponsus : qui comam vellebat, rursum eodem capite coronam gestat : dejectus ac mœrens, et qui sæpe plorans apud eos qui se consolarentur defunctæ laudes usurpavit, ac vitam sibi vitalem negavit, iisque qui se a lamentis abducerent, succensuit, plerumque inter eos ipsos iterum comitur ac renidet, et oculis pridem lacrymantibus, iisdem ridens eos intuetur, ac quo ore cuncta hæc paulo ante abjurabat, eo nunc abblanditur ac salutat omnes. Omnium vero tristissimum est, bellum liberis creatum, filiabus domestica leæna : nam id omnino est noverca. Hinc quotidianum dissidium atque pugna : hinc inusitata et insolens adversus innoxiam concertatio. Nam vivi et invident et invidentur : cum mortuis etiam hostes reconciliantur. At non hic, sed pulverem atque cinerem

invidia petit : odium in defossam ingens, contumeliæ, convicia, accusationes ei, quæ in terram dissoluta sit, implacabiles inimicitiæ cum ea quæ nihil læserit. Quid amentia hac et barbarie fœdius? Injuria a defuncta non affecta : quid dico injuria affecta? imovero ejus laboribus fruens, ac bonis gaudens, cum ea velut cum umbra belligerandi finem nullum facit : et eam quæ se nihil læserit, sæpe etiam sibi nec conspectam, mille in dies maledictis lacessit : atque eam quæ non existit, in prole ejus ulciscitur : ac contra eam virum armat, ubi ipsa nihil perficit. Atque hæc tamen hominibus facilia atque tolerabilia sunt visa, modo ne libidinis tyrannidem ferre cogerentur. At non virgo ad hunc conflictum trepidavit, nec prælium declinavit, quod vulgo adeo intolerabile videatur, sed fortiter resistens, naturæ insultum sustinuit. Quis igitur eam pro merito suspiciat, quando alii etiam alteris nuptiis opus habent, ne urantur : hæc neque unis contractis, perpetuo sancta et illæsa est? Propter hæc, et imprimis propter repositos viduitati in cœlis thesauros qui loquentem in se Christum haberet, dicebat : « Bonum est illis si sic permaneant sicut » et ego. » Non potuisti ad summum gradum conscendere? at proximo ne excidas. Hoc solo virgo tibi præstet, quod illam libido ne semel quidem expugnavit : te prius superatam, perpetuo sub jugo tenere nequiverit : ac tu quidem victa vicisti, illa victoriam clade puram habet, ac tecum exitu conjuncta, principio solum superat.

CAPUT XXXVIII.

Cur conjugibus magna solatia, virgini nulla concedat.

Igitur conjuges admodum commode tractat, qui nec altero volente eos mutua consuetudine defraudet, nec defraudationem ex consensu longius producat. Quin alteras etiam nuptias permittit, si velint, ne urantur. At virginibus nullum hujusmodi solatium præbet : sed illos tantisper recreatos iterum dimittit : hanc nec minimum respirantem, sed assiduae pugnantem, sinit perpetuo stare, ac cupiditatibus impeti, nec vel tantillis indiciis frui. Cur enim non huic etiam dixit, « Si se non continet, nubat ? » Quod nec athletæ dicat quisquam, postquam disjecto amictu atque unctus in stadium processit, seque pulvere conspersit : Abi, fuge adversarium ; sed jam porro necessum sit duorum alterum, aut coronatum, aut dejectum, et infamem discedere. Nam in ludo ac palæstra, ubi cum familiaribus exercitium sit, et cum amicis velut cum adversariis manus conseruntur, liberum est et suscipere laborem et non suscipere. At qui jam nomen dedit, coacto frequenti populo, præsente agonotheta, sedentibus spectatoribus, adducto atque objecto adversario, ei certaminum lex facultatem eripit. Ad eumdem modum et virgini dum consultat prius, nubendum sit necne, tutum est matrimonium : at ubi elegit ac conscripta est, se in stadium dedit. Ecquis igitur indictis spectaculis, Christo agonotheta, Angelis superne spectantibus, furente diabolo ac fremente, ad luctamque complicato, et medio comprehenso, in medium prosiliens edicere ausit, hostem

fuge, laboribus supersede, comprehensionem omitte, ne dejicias ac prosternas adversarium, sed ei victoriam cedas? Et quid virgines dico? cum nec viduas iis verbis affari fas sit, sed illorum loco his terrificis, « Cum luxu» riatæ fuerint in Christo, nubere volunt, damnationem habentes, quia primam fidem irritam fecerunt[1]. »

CAPUT XXXIX.

Cui viduæ, cui virgini nubere permittat Paulus.

Atenim cum dicat, « Non nuptis et viduis dico, bonum » est illis si sic permaneant, ut ego. Quod si non se conti» nent nubant : » et rursum, « Quod si dormierit vir ejus, » liberata est : cui vult nubat, tantum in Domino[2]. » Quare eam cui liberum facit, iterum castigat, et quod in Domino esse matrimonium dixit, idem ceu illegitimum damnat? Ne vereare : non idem, sed aliud. Nam ut inquiens, « Si nupsit virgo, non peccavit, » non de ea loquitur, quæ matrimonio renuntiavit : evidens est enim eam piaculum commisisse, et quidem infandum : sed de ea quæ et expers matrimonii sit, et nondum hoc aut illud elegerit, sed tanquam in meditullio harum cogitationum consistat : ita et viduam hic, quæ virum solum non habeat, neque adhuc optione sua obstricta teneatur, sed liberum habeat alterutrum eligere : illic, cui integrum non sit cum alio sponso societatem coïre, sed in continentiæ certamen descenderit. Potest namque et vidua esse, et viduarum dignitati non accenseri, si id nondum susceperit. Itaque inquit, « Vidua eligâtur non minor annis sexaginta, quæ

[1] 1 Tim. v, 11. — [2] 1 Cor. vii, 28-39.

» unius viri uxor fuerit[1] : » Nam quæ vidua mera sit, ei, si velit, nubere permittit : at quæ perpetuo vidua agere Deo promisit, atque interim nubit, eam vehementer damnat, quæ ictum cum Deo pactum conculcet. Non ergo his, sed illis dicit, « Quod si non se continent, nu» bant. Melius est enim nubere, quam uri[2]. » Vides nusquam per se suspici matrimonium, sed propter fornicationem, tentationes, atque intemperantiam? Nam supra hæc omnia recenset : hic vero quod eos conviciis male mulclasset, rursum gratiosioribus verbis eamdem rem appellat, incendium et ardorem nominans. Quanquam neque hic omisit quin auditorem feriret : non enim dixit : Sin libidinis vim ullam sentiunt : Sin transversi aguntur : Sin non possunt : nihil ejusmodi, quod eorum est qui aliquid dignum venia patiuntur. Sed quid? « Si se non continent : » quod eorum est, qui propter ignaviam laborare nolunt. Id enim significat eos, quibus res in manibus esset, detrectando laborem eam non perficere. At ne sic quidem eos punit, ac suppliciis addicit, sed laude solum privat, atque in verborum tantum vituperio vehementiam adhibet, liberorum procreationem, plausibilem hanc et speciosam matrimonii causam nusquam memorans, sed ardorem, intemperantiam, fornicationem, ac tentationem satanicam, eaque ne evenirent, rem permittens. Et quid tum postea? inquit : nam quandiu id a supplicio liberat, quamvis vituperationem, ac convicia facile feremus, dum deliciari, atque assidue libidine frui liceat. Quid vero, bone vir, si nec deliciari licet, convicium-ne solum percipiemus? Sed quomodo, inquit, deliciari non licet, cum dicat Paulus, « Quod si se non continent, nubant? » Audi porro quæ iis hæreant. Audivisti satius esse matrimonium contrahere quam ardere. Quod jucundum est probas;

[1] 1 Tim. v, 9. — [2] 1 Cor. vii, 9.

permissionem laudas, Apostolum de indulgentia suspicis: at hic ne consiste, et quæ consequuntur æque admitte, ejusdem enim est utrumque præceptum. Quid igitur subdit? « Conjugibus autem præcipio, non ego, sed Domi- » nus, uxor a viro ne divortium faciat: sin divortium » fecerit, maneat innupta aut viro reconcilietur. » Item, « Vir uxorem ne repudiet[1]. »

CAPUT XL.

Magnam esse et indeclinabilem ex conjugio servitutem.

Quid autem si vir comis est, uxor improba, maledica, loquax, et quod commune omnium vitium est, sumptuosa, aliisque malis pluribus referta? quomodo miser ille quotidianam hanc molestiam, superbiam, impudentiam feret? Quid inquam, si contra hæc modesta et sedata est, ille ferox, superbus, iracundus, animis ei partim opibus, partim potentia auctis, qui liberam eodem loco habeat quo servam, nihilo in eam quam in famulas æquior? quo pacto eam necessitatem vimque patietur? Quid denique si ab ea plane alienus semper maneat? Fer, inquit, omnem hanc servitutem, futura demum libera, cum obierit: eo autem vivo: duorum alterum necesse est, aut eum omni studio lenire, ac frugi reddere, aut si id desperatum est, acerrimum quoddam bellum, atque efferum prælium fortiter sustinere. Ac supra dicebat, « Ne defraudate alter al- » terum, nisi si quid ex consensu: » hic diremptam, vel invitam se porro jubet continere: « Maneat, inquit, in- » nupta, aut viro reconcilietur[2]. » Vides-ne eam inter ge-

[1] I Cor. VII, 10-12. — [2] Ibid. 11.

mina bella deprehensam? nam aut libidinis vim ferre cogitur, aut si id nolit, assentandum est injurio, eique se ad quælibet præbendum, seu plagis afficere, velit, seu conviciis vexare, seu vernarum ludibrio exponere, seu aliud quid ejusmodi : multæ enim viris ulciscendarum uxorum viæ adinventæ sunt. Quæ si non perferat, agenda infructuosa continentia est : infructuosa, inquam, quæ nihil promissionis adjunctum habeat. Neque enim sanctimoniæ studio suscepta est, sed propter dissidium cum viro : nam, « Maneat, inquit, innupta, aut viro reconci» lietur. » At quid si nolet in gratiam redire? Habes alterum effugium, atque evasionem. Quamnam? ejus mortem expecta. Ut enim virgini, cui perenne vivens atque im mortalis sponsus sit, nubere nunquam licet : sic maritatæ tum demum, cum vir obierit. Nam si fas esset, eo etiam vivo, ab eo ad alium, iterumque ab illo ad alium transire, quid matrimonio opus esset, viris promiscue altero alterius uxore utentibus, atque cum omnibus coëuntibus? Quo pacto autem non et studium erga contubernales periret, hodie illo, cras alio, ac rursum alio cum eorum uxore consuescentibus? Merito id Dominus adulterium vocavit.

CAPUT XLI.

Cur Judæis concesserit Deus repudii libellum offerre.

Cur igitur id Judæis permisit? ne inter se confligerent ne cognato sanguine ædes suas complerent. Cedo enim, utrum præstabat, invisam domo exigi, an intra parietes jugulari? quod fecissent, si non eis ejicere licuisset. Ita-

que inquit, « Si invisam habes, dimitte. » At mansuetos, et quibus nec irasci permittat, alloquens, ait : Sin divortium fecerit, cœlebs maneto. Vides necessitatem, inevitabilem servitutem, et vinculum, quod utrumque constringit? Vere enim vinculum matrimonium est, non solum propter sollicitudinum turbam ac quotidianas molestias, sed etiam quod conjuges quovis servo gravius invicem subjici cogat. « Vir, inquit, uxori dominetur. At quis ejus dominii usus est : nam vicissim eum servum efficit ejus cui imperet, nova quadam et inaudita excogitata compensatione servitutis : ac quasi fugitivorum pedes et seorsim vincti, et rursum inter se exigua quadam catena bicipiti, utrinque pedicis affixa, constricti, haud sane libere ingredi queant, quod alter alterum consequi cogantur : ad eumdem modum et conjugum mentes, cum privatas curas habent, tum alia necessitate etiam ex mutua colligatione tenentur, quæ eos omni catena arctius stringat, et utrique libertatem eripiat, quod uni imperium omne non tradiderit, sed ejus potestatem in utrumque dispertitus sit. Ubi sunt igitur qui parati sunt voluptatis solatii causa omnem condemnationem pati? neque enim parum de voluptate decedit, interdum mutuis odiis ac dissidiis in longum tempus durantibus. Quin ea quoque servitus, ut alterius improbitas alteri vel invito ferenda sit, satis est, ut delicias omnes obliteret. Itaque Beatus ille libidinis impotentiam primum asperis illis verbis repressit, propter fornicationem, intemperantiam, et ardores. Sed cum videret vulgo eam condemnationem a multis flocci fieri, quod ad deterrendum efficacius esset addit. Quamobrem Discipuli coacti sunt dicere, « Non expedit nubere [2]. » Id autem est, conjugem nullum sui esse juris. Neque id hortabundus et tanquam consulens profert, sed præcipiens ac mandans.

[1] Gen. III, 16. — [2] Matth. XIX, 10.

Nam matrimonium contrahere aut non contrahere penes nos est : quæ matrimonium consequuntur, non item, sed velimus nolimus ferenda servitus est. Quid ita? quod non inscii eam primum suscepimus, sed vel probe ejus jura atque leges tenentes, sponte sub jugum nos subjecimus. Ac postea de iis locutus, qui infideles uxores haberent, omnesque matrimonii leges accurate persecutus, interjecta de servis disputatione, atque iis, quod abunde solatio esset, monitis ingenuitatem spiritualem ea servitute non imminui, pergit ad sermonem de virginitate, quem pridem parturiebat ac serere satagebat, nunc enitens : etsi eum nec de matrimonio disserens, sustinuit silentio præterire. Nam breviter ille quidem et obiter, sed tamen ei quoque exhortationi eum intexuit : atque ea pulcherrima ratione aures nostras et ingenium tanquam præparans ac præmolliens, orationi facilem aditum molitur post exhortationem ad servos. Nam « Pretio, inquit, empti estis : Nolite fieri servi hominum [1] : » Domini nobis beneficio in memoriam revocato, omniumque mentibus eo erectis, in cœlumque sublatis, de virginitate disputationem demum inserit his verbis : « De virginibus autem Domini præceptum non habeo, sed consilium do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis [2]. » At, qui de fidelis cum infideli conjugio præceptum item non haberet, magna auctoritate ita sancit : « Cæteris autem ego scribo, non Dominus : si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam [3]. » Cur non igitur et de virginibus itidem sciscis? Quia hoc Christus palam constituit, vetans eam rem præcepti necessitate definiri. Illud namque, « Qui potest capere, capiat, » liberam auditori optionem condonantis est. Itaque de continentia disserens, « Volo, inquit, omnes homines

[1] I Cor. VII, 23. — [2] Ibid. 25. — [3] Ibid. 12.

» sic esse, ut ego sum, continentes[1], » et rursum, « Innuptis » autem ac viduis dico, Bonum est illis, si sic permaneant, » ut ego. » At non in sermone de virginitate usquam se in exemplum adducit : ideoque admodum modeste atque caute locuitur, qui nec ipse ea perfunctus esset. « Præcep» tum, inquit, non habeo. » Primum proponens optionem benevolum reddit auditorem, ita consilium subjicit. Quoniam enim virginitatis nomen prolatum, protinus ingentem laborem declarat, ideo non statim ad cohortationem se contulit, sed auditorem prius optione deliniens, ejusque ingenium cicur ac tractabile reddens, ita demum proponit. Audisti virginitatem, nomen multi laboris ac sudoris : ne metue : non præceptum agitur, aut jussi necessitas, sed eos qui se volentes atque libenter amplectantur, illa suis bonis remuneratur, eorum capiti, splendidam ac floream coronam imponens, qui recusent, seque asciscere nolint, nec punit, nec invitos cogit. Neque eo solum orationem gratam nec molestam reddidit, sed etiam quod beneficium hoc non suum, sed Christi esse dicat. Non enim ait, De virginibus non præcipio, sed, « Præceptum non habeo : » quasi diceret, Si humanis rationibus motus ipse hæc cohortarer, non fidendum esset : at cum id Deo visum sit, certum est pignus libertatis. Mihi quidem ea imperandi facultas est erepta : sed si audire vultis velut conservum, « Consilium do, inquit, » tanquam misericordiam consecutus a Domino ut sim fide» lis. » Atque hoc loco Pauli summum artificium ac prudentia miranda est, quemadmodum inter duo necessaria, eaque contraria, interceptus, tum ut se commendaret, quo consilium plausibile esset, tum ut nihil de se magnum prædicaret, quippe ejus virtutis exsors, brevibus verbis utrumque consecutus sit. Nam qui dicat, « Tanquam mi-

[1] 1 Cor. VII, 7.

» sericordiam consecutus, » quodam modo se commendat : qui se potiori nomine non commendet, vicissim se extenuat ac deprimit.

CAPUT XLII.

De Pauli humilitate.

Non enim ait, Consilium do, ut cui creditum sit Evangelium, ut delectus gentium præco, ut cui in vos magisterium commissum sit, ut doctor atque dux. Sed quid? « Tanquam misericordiam consecutus : eoque quod minus esset, proposito : nam minus est fidelem duntaxat esse, quam fidelium magistrum, aliamque rursum extenuationem meditatur. Quamnam? Non ait, ut fidelis effectus, sed, « Tanquam misericordiam consecutus, ut sim » fidelis. Ne apostolatum solum, prædicationem, et magisterium, Dei munificentiæ putate : nam ipsum etiam credere mihi ejus misericordia concessum est : non enim inquit, quod dignus essem, fidem accepi; sed quod misericordiam sim consecutus. Misericordia autem gratiæ est, non ex merito. Itaque nisi multum misericors esset Deus, non tantum Apostolus, sed ne fidelis quidem unquam effici potuissem. Vides-ne servi gratum animum atque contritum, ut nihil sibi cæteris plus arroget, quin id etiam quod sibi cum discipulis commune esset, fidem, suum esse neget, sed Dei misericordiæ et gratiæ? idem his verbis significans ac si diceret : Ne dedignamini consilium a me recipere; neque enim me Deus misericordia sua dedignatus est : et alioqui consilium agitur, non præceptum : etenim consulo, non sancio. Porro quæ cuique occurrant utilia,

in medium proferre ac proponere, nulla lex prohibet maxime ubi id auditorum rogatu fiat : quod quidem et vobis accidit. « Arbitror igitur, inquit, hoc bonum esse. » Vides rursum modestam orationem, ab omnique auctoritate alienam. Atqui in hanc sententiam disserere interim licebat : Quoniam Dominus virginitatem non præcepit, ideo neque ego : consulo tamen ac cohortor ad ejus studium, qui Apostolus vester sim, quemadmodum et infra eos alloquens ait, « Si aliis non sum Apostolus, at certe » vobis sum [1]. » At hic nihil ejusmodi refert, sed admodum verecunde verba facit, ejus vice, consulo, « Sen» tentiam do, » inquiens; ejus autem vice, prout doctor, « Tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim » fidelis : » quasique ne hæc quidem satis essent ad orationem extenuandam consilium exorsus, auctoritatem iterum minuit, qui non statuat solum, sed addat etiam rationem. « Arbitror, inquit, hoc bonum esse, propter in» stantem necessitatem [2]. » Atenim de continentia disserens, neque, « Arbitror, » posuit, ullam plane rationem; sed illud modo, « Bonum est illis, si permaneant, sicut et » ego : » hic, « Arbitror hoc bonum esse. » Id autem facit, non qui de eo dubitaret : nihil minus : sed qui totum auditorum judicio permittere vellet : nam consiliarius is est, o n qui de iis quæ profert statuat, sed qui totum in audiorum arbitrio positum relinquat.

[1] 1 Cor. IX, 2. — [2] Id. VII, 26.

CAPUT XLIII.

Quam instantem necessitatem Paulus nominet.

Sed quæ est, quam hic memorat, necessitas? ea ne, quæ a natura prodit? minime. Primum enim si hanc vellet, ejus commemoratione contrarium atque cogitabat efficeret. Etenim qui matrimonium contrahere volunt, hanc susquedeque jactant. Secundo eam « Instantem » non vocaret : non enim nunc primum, sed jam olim mortalium generi insita est, atque erat illa quidem ante vehementior et indomita, sed Christi adventu, auctaque jam virtute, superatu facilis est affectu. Itaque ei non de hac sermo est, sed aliam quamdam innuit, multiplicem et variam. Quænam ea est? Humanarum rerum conversio. Tanta enim est confusio, tanta tyrannis, ac circumstantium rerum turba, ut in multis sæpenumero conjugi vel invito errandum peccandumque sit.

CAPUT XLIV.

Facilius esse virginem quam conjugem regnum consequi.

Etenim olim non is erat nobis virtutis propositus modus, sed et injuriam ulcisci, et convicium reddere, et pecunias procurare licebat, et sancte jurare, et oculum pro oculo eruere, et inimicos odisse; neque aut deliciis indulgere aut irasci, aut uxorem aliam ejicere, aliam as-

ciscere interdictum erat. Neque id solum, sed duas etiam conjuges simul habere lex sinebat, eratque tum hac in re, tum in aliis omnibus summa ejus facilitas. At postquam Christus prodiit, via longe facta est angustior, non solum quod incomparabilis ea et ingens omnium quæ dixi licentia nobis e manibus erepta sit; sed etiam quod uxor, quæ nos multa interdum vel invitos designare inducat atque cogat, domi perpetuo sit habenda, aut si ejicere velis adulterii crimen sit subeundum. Neque hoc tantum nomine virtus ea nobis difficilis est, sed quod licet conjux intolerabilibus moribus sit, curarum tamen quæ nos propter eam ejusque liberos circumfundat turba, nec minimum in cœlum suspicere patiatur, animos nostros quasi quidam vortex undique torquens ac demergens. Nam ecce cupit vir privatam et otiosam vitam degere : sed conspectis circumstantibus liberis, atque conjuge, grandi sumptu egente, vel invitus se in civilium rerum æstum conjicit. Eo autem illapsum dici non potest quanta illi peccare necesse sit, irascenti, juranti, convicianti, ulciscenti, simulanti, multa ad gratiam, multa ad simultatem facienti. Quî enim potest, qui in tantis fluctibus versetur, atque inde gloriam captet, non graves scelerum sordes contrahere? Jam si quis domestica rimetur, eadem atque etiam majori difficultate plena inveniet propter uxorem : multa enim hac de multis curet necesse est, quibus seorsim agenti viro nihil opus esset. Atque hæc quidem, si proba atque commoda sit uxor : sin pervicax, acerba, difficilis, non jam id necessitas modo, sed pœna ac supplicium vocandum erit. Quî poterit ergo iter ad cœlum conficere, quod solutis ac pernicibus pedibus, animo accincto et probe expedito indiget, ea negotiorum mole imposita, tot pedicis constrictus, catena hac, uxoris, inquam, improbitate, deorsum assidue detractus?

CAPUT LXV.

Qui supervacuas difficultates excogitent, eos nullum ejus rei præmium manere.

At quod est hoc sapiens vulgi responsum, cum ad eos hæc omnia recensemus? Itaque, inquit, majori præmio dignus erit, qui, hac imposita necessitate, recte se gerat. Quid ita, bone vir, et quamobrem? Quod majorem, inquit, laborem propter matrimonium subeat. Et quis eum tantum onus suscipere coëgit? nam si quidem matrimonium ineundo, præceptum impleret, ac non ineundo, in legem delinqueret, haberet id probabilitatem. Sin autem, cui liberum esset matrimonii jugum non subire, ultro, cogente nullo, se in eas difficultates inducere voluit, quo gravius sibi virtutis certamen redderetur, nihil hoc ad agonothetam, qui id unum jusserit, cum diabolo bellum conficere, atque adversum vitia victoriam quærere. Sive autem quis matrimonio devinctus ac deliciis vacans, deque multis sollicitus sit; sive exercitus, et afflictus, neque aliud præterea curans, id nihil pensi habet. Victoriæ quidem modum, atque ad tropæum ferentem viam, eam prædicat, quæ rebus omnibus humanis soluta sit ac libera. Quia autem tu cum uxore, ac liberis, negotiisque ista comitantibus bellum gerere ac confligere vis, quasi paria præstiturus atque ii, qui ab his omnibus expediti sunt, ideoque majori admirationi futurus, nunc fortasse nos magnæ superbiæ insimules, si te ad idem ad quod illi cacumen attingere non posse dicamus. Sed præmiorum demum tempus probe te tum docebit, multo præstare secu-

ritatem inani ambitioni, satiusque esse Christo, quam futilibus suis inventis credere. Etenim Christus negat ad virtutem nobis sufficere, suis omnibus renuntiare, nisi etiam nosmetipsos oderimus: tu his omnibus permixtus, ais posse superare. Sed ut dicebam, probe tum intelliges, quantum ad virtutem impedimentum sit uxor, atque uxoriæ curæ.

CAPUT XLVI.

Cur adjutrix vocata uxor quæ impedimento est ad perfectam vitam.

Et quî, inquit, adjumentum eam vocat, quæ impediat? nam «Faciamus, ait, ei adjutorem similem ipsi.» Ego vero abs te insuper quæram, quo pacto adjutrix est, quæ virum ea securitate spoliavit, atque admirabili illo in paradiso domicilio exturbatum, in præsentis vitæ turbas conjecit? hæc enim sunt non adjumentum præstantis, sed insidiantis. «A muliere, inquit ille, initium peccati, »et propter illam morimur omnes.» Et beatus Paulus, «Adam, ait, non est deceptus, at mulier decepta in præ»varicatione fuit.» Quomodo igitur adjutrix est quæ virum sub mortem subjecit? quomodo adjutrix, per quam Dei filii, adeoque omnes tum terram incolentes, cum feris, volucribus, cunctisque reliquis animantibus, diluvio deleti sunt? Nonne ea justum Jobum perdidisset, nisi is admodum se virum præbuisset? Nonne hæc Sampsonem perdidit? Nonne ea perfecit ut universum Hebræorum genus Beelphegori initiaretur, ac cognatorum manibus trucidaretur? Quis potissimum Achaabum diabolo

prodidit, atque ante eum Salomonem, post tam insignem sapientiam ac celebritatem? Nonne hodieque viris suis auctores sunt multa in Deum admittendi? Nonne idcirco sapiens ille scriptum reliquit, « Parva est quævis pravitas » præ mulieris pravitate? Quomodo igitur, inquit, dixit Deus, « Faciamus ei adjutorem similem ipsi? » neque enim mentitur Deus. Neque id equidem unquam dixerim : minime gentium : sed quæ ea de causa facta est, in dignitate sua persistere noluit : quemadmodum nec ejus vir. Nam et cum ad imaginem et similitudinem suam Deus fabricatus est, nam, ait, « Faciamus hominem ad imaginem » et ad similitudinem nostram, » ut et dixit, « Faciamus » ei adjutorem. » Sed qui utroque præditus esset, utrumque protinus amisit : nam nec similitudinem conservavit : qui absurdæ cupiditati se dediderit, ac dolo captus, voluptatem minime fregerit : et quod erat in eo ad imaginem Dei, etiam nolenti deinceps ereptum est : neque enim Deus parva imperii parte eum mulctavit, et eum qui omnibus terribilis esset velut herus, ceu ingratum servum, qui dominum offendisset, conservis despicabilem effecit. Nam initio etiam feris omnibus terrori erat : omnes quippe Deus ad illum adduxit, neque ulla eum lædere ac invadere est ausa : videbat quippe in eo relucentem imaginem regiam. Quas ubi notas peccato deformavit, eum Deus imperio dejecit. Igitur licet, omnibus, quæ in terra sint, adeo non imperet, ut quædam etiam horreat ac formidet, Dei sententiam illam mendacii non arguit, « Et dominentur » animantibus terræ[1] : » neque enim ejus qui dedit, sed qui accepit vitio ea potestas præcisa est : ita nec insidiæ quæ ab uxoribus struuntur, hoc dictum labefactant, « Fa» ciamus ei adjutorem similem ipsi[2] : » nam ad hoc comparata est, sed in eo non permansit. Quin illud præterea

[1] Gen. I, 26 — [2] Id. II, 18.

afferri etiam posset, eam ad præsentis vitæ statum, liberorum procreationem, atque insitam id natura libidinem adjumentum præstare. Sed cum et vitæ hujus, et sobolis procreandæ, et libidinis deinceps tempus non sit, quid mihi ejus hanc in partem adjutricem frustra memoras? Nam quæ ad minima solum usui sit, eam si ad magna sociam adhibeat, non modo nihil proficiet, sed etiam curis impedietur.

CAPUT XLVII.

Quomodo virum adjuvet uxor in spiritualibus.

Quid igitur, inquit, ad Paulum dicemus, cujus hæc verba sunt? « Qui scis, mulier, si virum salvum facies[1]? » quique ejus adjumentum etiam in spiritualibus necessarium censet? Et ego id confiteor, non enim eam ab omni spirituali adjumento excludo: minime vero. Sed id eam præstare dico, non cum exercet ea, quæ matrimonii sunt, sed cum muliebri sexu prædita, ad beatorum virorum virtutem evadit. Neque enim compta, delicata, pecuniarios reditus a viro flagitans, prodiga, sumptuosa, eum eripere queat; sed cum his rebus omnibus sublimior, apostolicam in se vitam exprimit, summam probitatem, et modestiam, et pecuniarum contemptum, et tolerantiam demonstrans: ita eum demum expugnare poterit cum dicet: « Alimenta atque tegumenta habentes, iis contenti sumus[2]. » Cum hæc rebus ipsis meditatur, ac corporalem mortem irridens, vitam hanc præsentem nihil esse dicit: Cum omnem vitæ hujus gloriam secundum Prophetam fœni florem existimat[3].

[1] 1 Cor. VII, 16. — [2] 1 Tim. VI, 8. — [3] Isaï. XL, 7.

Non igitur quæ muliebriter cum viro consuescat, sic virum servare poterit, sed dum evangelicam vitam præstabit : hoc enim multæ etiam citra matrimonium fecerunt. Nam Priscilla, inquit, ascitum Apollo per omnem veritatis viam deduxit[2]. Quod si nunc non licet, at possunt interim erga mulieres idem studium præstare, eumdemque fructum facere : nam quod jam dixi, neque illa quoniam conjux est, virum trahit. Alioqui nihil vetaret, neminem ex iis qui uxorem fidelem habeant, infidelem manere, siquidem consuetudo ac convictus rem effectam daret. At non ita res se habet; sed si multam philosophiam, atque patientiam exhibeat, si conjugii calamitates derideat, atque id unum assidue negotium ducat, id vero est quod ejus, cum quo habitat, animum salvum præstet. Sin persistat muliebria postulare, ei nocet magis quam prodest. Jamvero vel sic rem imprimis difficilem esse, audi quid dicat, « Quî scis enim, mulier, si virum salvum facies ? » quo interrogandi genere uti solemus in iis quæ insolenter accidant. Quid vero post illa dicit ? « Alligatus es uxori ? » noli quærere solutionem : solutus es ab uxore ? noli quæ» rere uxorem. » Vides, ut assiduas transitiones faciat, et frequens brevi intervallo utriusque cohortationis velut temperamentum ? Nam ut de matrimonio disputationi de continentia sermonem interposuit, auditorem interim excitans : ita et hic tractationem de matrimonio vicissim inserit, eum recreans. Exorsus a virginitate, antequam de ea aliquid dixisset, statim ad matrimonium recurrit. Illud enim, « Præceptum non habeo ; » matrimonium permittentis et introducentis est. Tum ubi ad virginitatem ventum est, dictumque, « Arbitror hoc bonum esse, » cum videret ejus nomen assidue usurpatum delicatis auribus multam acerbitatem afferre, non identidem id repetit,

[1] Act. xviii.

quin explicata satis gravi causa ad ejus labores solandos, id est, instanti necessitate, ne sic quidem ausus est virginitatem iterum nominare. Sed quid? « Bonum est homini » sic esse. » Neque eam sententiam prosequitur, sed ea interrupta et incisa, priusquam gravis videretur, de matrimonio rursum disserit his verbis : « Alligatus es uxori? » noli quærere solutionem[1]. » Nam ni id esset, nisi id hic solatium parare cogitaret, ineptum esset virginitatem consulentem de matrimonio philosophari. Deinde iterum ad virginitatem transit : ac ne nunc quidem proprio nomine appellat. Sed quid? « Solutus es ab uxore? noli quærere » uxorem. » Atenim ne vereare : non id censet atque sancit. Prope est enim rursum de matrimonio sermo, terrorem eum solvens his verbis : « Quod si duxeris, non » peccasti[2]. » At nec jam concide, nam iterum te ad virginitatem trahit. Atque id est quod vult, docens, qui matrimonium ineant, eos multam in carne tribulationem sustinere. Ut enim optimi quique medici et benigni, amarum medicamentum, aut sectionem, aut ustulationem, aut simile aliquid adhibituri, non continuo totum peragunt, sed data interim ægro respiratione, ita semper quod reliquum est addunt : ad eumdem modum et beatus Paulus virginitatis consilium non sine intermissione et perpetuo ac consequenter pertexuit, sed de matrimonio sententiis id assidue interrumpens, atque ita molestiæ illius sensum eripiens, blandam ac plausibilem orationem reddidit. Ob id igitur varia sententiarum quasi miscella facta est. Sed operæ pretium porro est ipsa etiam verba indagare. « Alligatus es uxori? inquit, noli quærere solutio- » nem. » Hoc non tam consulentis est, quam vinculi tenacitatem ac firmitatem demonstrantis. Quamobrem autem non dixit, Habes uxorem? ne eam desere : cum illa con-

[1] 1 Cor. VII, 27. — [2] Ibid. 28.

junctus vivis? ne discede, sed vinculum conjugium vocavit: nimirum ut rei acerbitatem hic ostenderet. Quoniam enim ad matrimonium ceu ad facilius vulgo concurrunt, conjuges declarat nihil a vinctis differre: nam et hic quocumque alter trahat, alteri sequendum est, aut si pugnam moveat, cum eo una pereundum. Quid vero, inquit, si vir dissolutus sit, ego continens esse velim? Necesse est, ut tu illum sequaris: id enim ut vel nolens facias, jucunda matrimonii catena trahit, ad eumque cogit, qui tecum initio devinctus est. Sin obnitare ac te sejungas, et te vinculis non exolves, et in extremum supplicium conjicies.

CAPUT XLVIII.

Quæ invito viro continens sit, graviores, si is adulteret, pœnas daturam.

Etenim quæ invito viro continens est, non solum continentiæ præmiis caret, sed illius etiam adulterium gravius quam ille luet, ac plectetur. Quid ita? quod eum legitimo coïtu fraudatum, in lasciviæ barathrum deturbarit. Nam si eo nolente nec minimum id facere permittitur, qua venia digna sit, quæ eum solatio hoc perpetuo privat? Et quid, inquit, ea necessitate ac miseria durius possit accidere? Et ego idem sentio. Cur te necessitati ei subjicis? Enimvero eam rationem non post, sed ante matrimonium subductam oportebat. Itaque etiam Paulus proposita demum vinculi necessitate, de solutione sermocinatur: ei sententiæ, « Alligatus es uxori? noli quærere solutionem, » illam subdens, « Solutus es ab uxore? ne quære uxorem. » Id

autem facit, ut tute prius accurate perspecta ac cognita matrimonii vi, facilius de cælibatu orationem admittas. « Quod si duxisti, inquit, non peccasti : et si nupsit virgo, » non peccavit. » En magni illius facinoris, matrimonii scilicet, exitum, ut non reus agaris, non ut admirationi habearis : id enim est virginitatis : cæterum conjugi satis sit audire, eum non peccasse. Cur igitur, inquit, hortaris uxorem non quærere ? Quod semel devincto, solvi nefas sit, quod in eo sit ingens miseria. Hoccine solum, quæso, ex virginitate quæstus faciam, ut miserias has effugiam? Et quis virginitatem colere sustineat tantilla mercede ? Quis in tantum certamen descendere animum inducat, tantorum sudorum hoc solum præmium capturus ?

CAPUT XLIX.

Cur ab hujus vitæ jucundis ad virginitatem instiget.

Quid dicis? cum me ad pugnam cum dæmonibus provocas : « Nec enim nobis lucta est adversus sanguinem et » carnem[1] ; » cum naturæ furori obsistere jubes : cum carne et sanguine constitutam, incorporeis virtutibus paria præstare hortaris : terrena memoras bona, dicisque nos matrimonii miserias non laturas? Nam cur non sic ait? Quod si nupserit virgo, non peccavit, sed virginitatis coronis se privavit, magnis illis et arcanis bonis. Cur non præmia, quæ post certamen eas maneant, recensuit, ut in occursum prodeant sponso, ut splendidas lucernas habituræ sint, ut summa cum gloria ac fiducia regem in thalamum comitentur, ut omnium proxime ejus solio, et regiis toris

1 Ephes. vi, 12.

effulgeant? Sed de his nec levissime quidem meminit; vitæque miseriarum vacuitatem sursum deorsumque jactat. « Arbitror, inquit, id bonum esse : » ac dicere negligens, propter futura bona, ait : « Propter instantem necessitatem. » Deinde rursum eo dicto, « Quod si nupserit » virgo, non peccavit, » cœlestibus præmiis, quibus se privarit, silentio præteritis, « Tribulationem, inquit, carnis » habebunt hujusmodi. » Neque id hactenus solum, sed ad finem usque facit, et omissa ejus a futuris bonis commendatione, iterum ad eamdem causam confugit, « Tempus » breve est, inquit, » ejusque loco : Volo vos in cœlo resplendere, et nuptis multo illustriores haberi, rursum hæret inquiens : « Volo autem vos sine sollicitudine esse. » Neque id hic solum facit, sed etiam quo loco ei de injuriis ferendis sermo est, eamdem consilii viam iniit. Nam cum dixisset : « Si esurit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum » da illi[1], » qui rem tantam imperaret, contraque naturæ necessitatem niti juberet, ac cum rogo tam intolerabili decertare, ubi ad mercedem ventum est, de cœlo ac cœlestibus silentium : tantum ejus, a quo læsus sis, damno remunerationem definit. « Id enim faciens, inquit, carbo- » nes ignis in ejus caput congeris[2]. » Quid igitur eo solatii genere usus est? Non inscitia neque ignarus quemadmodum alliciendus atque inducendus sit auditor, sed quod maxime omnium mortalium hac virtute præditus esset, persuadendi, inquam. Unde id apparet? Ex iis quæ disserit. Qui, et quomodo? Corinthiis loquebatur; prius enim hoc de virginitate expediemus; Corinthiis, inquam, apud quos statuerat nihil scire, nisi Jesum Christum, et eum crucifixum : quos ut spirituales alloqui non potuerat, et quod carnales essent adhuc, lacte aluerat : quibus etiam cum hæc scriberet, hæc vitio dabat : « Sed nec nunc quidem

[1] Rom. XII, 20. — [2] Prov. XXV, 22.

» potestis : adhuc enim carnales estis, et secundum homi-» nem ambulatis[1]. » Ideo a rebus terrenis, aspectabilibus, ac sensibilibus, eos et ad virginitatem instigat, et a matrimonio abducit : quod probe sciret, dejectos atque pronos, et in terram adhuc inclinatos, terrenis rebus magis cieri ac pellici. Quid est enim, quæso, quod homines quidem rustici ac pingues, tum parvis, tum magnis in rebus secure Deum et jurant et pejerant : in capite vero filiorum jurare nunquam animum inducant ? cumque et perjurium, et supplicium hoc illud longe gravius sit, tamen hoc quam illo jurejurando magis continentur. Atque ad pauperes juvandos non perinde sermonibus de regno excitantur, etsi frequenter audiant, atque spe consequendi in præsenti vita sibi aut liberis boni. Itaque tum maxime in his adjumentis ambitiosi fiunt, ubi ex diuturno morbo convaluerint, ubi periculum effugerint, ubi magistratum aliquem et imperium nacti sint : planeque multo plures iis, quæ ante pedes sint, magis incitari deprehendas. Hæc namque et in secundis vehementius extimulant, et in adversis terrent acrius, quod horum sensum propinquiorem habeant. Quare et cum Corinthiis sic disseruit, et Romanos a rebus præsentibus ad injuriæ patientiam exercuit. Anima enim infirma lacessita, non tam facile iræ venenum remittit, si de regno audiat, atque in spem veniat remotam, quam si ejus qui injuriam dederit, ultionem expectet. Itaque volens injuriarum recordationis radicem convellere, atque iram amovere, quod efficacius erat ad eum, qui læsus esset, solandum, profert, non ut eum repositis in futuro tempore præmiis fraudaret, sed ut quoquo modo in philosophiæ viam induceret atque ad reconciliationem ostium aperiret. Nam in omni præclara functione initium facere difficillimum est; post ingressum ea non æque est laboriosa. At

[1] 1 Cor. III, 3.

non Dominus noster Jesus Christus idem facit, nec cum de virginitate, nec cum de injuriis ferendis disputat; sed illic cœleste regnum proponit. « Sunt enim, inquit, eunu-» chi, qui se ipsos propter regnum cœlorum castrarunt[1]. » Cum pro hostibus precari monet, nec detrimenti eorum qui læserint, nec igneorum carbonum meminit, sed ea omnia pusillanimis ac miseris dicenda mittens, ipse eos majoribus præmiis invitat. Quibusnam? « Ut similes sitis, » inquit, patris vestri, qui in cœlis est[2]. » Vide quantum præmium : nam auditores erant Petrus, Jacobus, Joannes, cæteraque Apostolorum turba : itaque eos spiritualibus præmiis allicit. Atque idem et Paulus fecisset, si cum ejusmodi tractasset. Sed qui cum Corinthiis ageret, adhuc rudius affectis, jam inde eis laborum fructum proponit, quo virtutis negotium promptius inirent. Neque aliam ob causam Deus Judæis, omissa cœlestis regni pollicitatione, terrena bona largiebatur, et pro sceleribus non gehennam, sed ævi hujus calamitates pestem, famem, morbos, bella, exilium, reliquaque similia comminabatur; his enim carnaliores magis continentur, ac perterrefiunt; de iis vero quæ aspectum fugiant, nec præsto sint, minus anguntur. Quare Paulus in iis magis hæret, quæ eorum tarditatem potissimum ferirent. Præterea illud quoque ostendere volebat, cæterarum virtutum quasdam hic nos multis laboribus exercere, fructum omnem in futurum tempus condere : virginitatem vero, etiam dum colitur, non levem nobis compensationem reddere, quæ nos tot ærumnis atque curis liberet. Atque insuper et tertium quiddam præstitit. Quidnam? Ne res impossibilis crederetur, sed vel imprimis facilis. Id autem efficit, inesse in matrimonio plus difficultatum, facile demonstrans : quasi diceret : Ærumnosa tibi ac laboriosa res videtur? Equidem vero

[1] Matth. XIX, 12. — [2] Id. V, 45.

propterea persequendam censeo, quod adeo levis sit, ut negotiorum multo minus quam matrimonium præbeat. Nam cum vobis parcam, inquit; nec velim miserias habere, optarem vos matrimonium non contrahere. Quam miseriam? dicat fortasse quispiam : imovero grandem oblectationem ac delicias habere inveniemus. Atque imprimis summa cum licentia cupiditatem explere, nec cogi naturæ impetum ferre, non minimum facit ad facilitatem. Insuperque reliqua omnis vita a mœrore ac squallore libera, hilaritatis, risus, gaudii plena est. Etenim et opiparis mensis, et delicatis vestibus, et molli toro, et perpetuis balneis, et unguentis, et vino unguento nihilo deteriori, aliaque multa ac varia impensa corpus curantes, inde summas ei delicias comparant.

CAPUT L.

Deliciæ perinde in Veteri atque in Nova Lege prohibitæ.

At vero neque hæc dicent, et matrimonium coïtus solum licentiam, non etiam deliciarum præstare solet : id beatus Paulus testatur his verbis, « Quæ autem in deliciis » est, vivens mortua est[1]. » Quæ si de viduis effatus est, audi quid de nuptis itidem dicat : « Mulieres habitu mo» desto, cum omni verecundia et sobrietate ornantes se, » non cincinnis, aut auro, aut margaritis, aut sumptuoso » vestitu, sed ut fœminas decet, pietatem recte factis pro» fitentes[2]. » Neque hic solum, sed alibi quoque in eo valde requens est nihil plane harum rerum magnopere expe-

[1] Tim. v, 6. — [2] a. , 9, 10.

tendum nobis esse. Et quid Paulum dico? qui cum et summæ accurationis tempus esset, et ingens spiritus gratia, hæc dicebat. Amos enim, qui infantes Judæos alloquebatur: qua tempestate deliciæ, luxus, omniaque, ut sic dicam, supervacanea permissa erant, audi ut deliciis addictos serio tangat. « Væ qui ad diem malum confluunt, » qui falsa sabbata frequentant atque tractant: qui in lectis » cubantes eburneis, luxuriantur in suis cubilibus, et ovi- » lium hœdos, et ex medio bovilium lactentes vitulos co- » medunt: qui ad organorum sonum plaudunt, fugitiva pro » statis habentes, vinum defæcatum bibentes, et primariis » unguentis delibuti[1]. »

CAPUT LI.

Licet deliciari permissum esset, matrimonii tamen molestias satis esse quæ eam voluptatem extinguant.

Itaque quod dicebam imprimis, nec deliciari licet. Quin ut nihil horum vetitum esset, sed omnia concessa, at sunt alia ad mœstitiam ac dolorem his æqualia, imo tanto et plura et majora, ut illorum nec minimum quidem sensum capiamus, sed omnis ex iis voluptas facessat.

[1] Amos. VI, 1-6.

CAPUT LII.

Quantum malum sit zelotypia.

Si enim quis natura sit ad zelotypiam propensus, aut ex causa ulla minime vera eo malo corripiatur, ecquid anima hujusmodi miserabilius sit? Si bellum atque tempestatem cum his ædibus comparemus, accuratam hujusce rei cônsequemur imaginem : omnia tristitiæ, suspicionis, rixarum, turbæ plena sunt. Nam qui hac insania ictus sit, ei nihilo melius est, quam dæmoniacis ac mente captis. Adeo assidue exilit, resilit, in omnes stomachatur, in præsentes, seu servus, seu natus, seu quisquis alius sit, immerentes licet, irascitur. Voluptas prorsus fugatur, mœrore, luctu, insuavitate omnia referta sunt. Seu domi maneat, seu in forum prodeat, seu iter adornet, ubique malo tangitur, animum ei quovis stimulo acrius pungente ac vexante, nec quiescere sinente : neque enim hic morbus tristitiam solum, sed etiam intolerabilem furorem parere solet. Atque hæc vel singula satis sint quæ hoc morbo captum conficiant : sin autem simul conjuncta oppugnent, eum assidue prementia, nec minimum ei respirandi tempus tribuentia, qua non morte id acerbius sit? Nam seu extremam egestatem, seu insanabilem morbum, seu ignem, seu ferrum nomines, nihil par dixeris : id soli experti probe sciunt. Nulla est enim dicendi tanta vis, quæ mali gravitatem consequatur. Etenim cum omnium charissimam, et pro qua lubens vel vitam impendat, suspectam habere semper cogitur, quid est omnino quod solari eum possit? Seu namque somnum inire, seu cibum potumque capere

necessum sit, mensam letalibus venenis potius quam eduliis instructam credet : in lecto nec vel momento quiescet, sed tanquam subjectis prunis æstuabit ac jactabitur : neque aut amicorum congressus, aut negotiorum cura, aut periculorum metus, aut ingens voluptas, aut aliud quidquam ab eo æstu hominem abducere potest, sed procella hæc omnibus et jucundis et tristibus potentius animum possidet. Hæc cum perspexisset Salomon dicebat : « Durus » sicut infernus zelus[1] : » et rursum : « Plenus enim zeli ejus » viri furor, non parcet in die judicii, nec redemptione » ulla inimicitias componet, nec quantisvis donis placabi» tur[2]. » Is est enim morbi hujus furor, ut nec sumpto de eo qui læserit supplicio, dolorem missum faciat. Itaque multi adultero sublato, iram atque mœrorem tollere non potuerunt. Sunt et qui cæsis suis conjugibus, æque imo magis eo rogo exarserint. Ac vir quidem in his malis degit, etiam cum nihil verum sit. Cæterum misera illa et ærumnosa vel viro gravius excruciatur. Nam cum eum, qui ærumnarum omnium solatium esse debeat, et unde præsidium expectandum sit, efferum, atque omnium in se inimicissime affectum cernit, quo jam se vertat ? ad quem confugiat ? unde malorum auxilium petat, portu ei præstructo, et innumerabilibus scopulis referto ? Tum et servi et ancillæ in eam viro contumeliosiores sunt. Est enim genus hoc hominum, cum alioqui suspiciosum et ingratum, tum licentiæ plus nacti, interque se adversos heros conspicientes, ex eorum bello non levem improbitatis suæ ansam capiunt. Nam tum iis quidquid lubet, summa impunitate fingere atque comminisci licet, et suspicionem calumniis suis confirmatiorem reddere. Animus enim semel hoc pestilenti morbo occupatus, facile cuncta credit, et aure omnibus ex æquo aperta, sycophantas a non syco-

[1] Cant, VI, 8. — [2] Prov. VI, 34.

phantis discernere non sustinet, sed ii potius vera dicere videntur, qui suspicionem augent, quam qui tollere conantur. Itaque fugitivi illi, eorumque uxores, nihilo minus ei quam contubernalis timendi et horrendi sunt, suumque illis locum cedat, in illorumque ordinem transeat oportet. Et quando sine lacrymis agere poterit? quam noctem? quem diem? quod festum? quando citra gemitum, ejulatum, lamenta? Minæ, contumeliæ, convicia perpetuo, tum a viro temere saucio, tum ab impuris famulis: custodiæ unæ atque alteræ: omnia terroris ac trepidationis plena. Neque enim exitus solum et ingressus, sed et verba et obtutus, et suspiria accurate atque curiose explorantur, et vel saxis rigidiorem silentio cuncta ferre, ac thalamo perpetuo affixam esse vincto durius necesse est; vel loqui, suspirare, egredi volentem, omnium causam dicere apud corruptos eos judices, famulas inquam, et servorum turbam. Igitur si placet cum his malis et opes ingentes, et splendidas mensas, et servorum gregem, generis splendorem, potentiæ magnitudinem, gloriam summam, majorum claritatem confer: eorum quæ vitam hanc studio desiderabilem efficiant, nihil prætermitte: sed omnia diligenter collecta, dolori huic oppone: sane voluptatem quæ ex iis manat, nec apparentem quidem cernes, atque ita profligatam, ut scintilla in vastum æquor illapsa extinguitur. Et hæc quidem ubi vir zelotypia fuerit affectus. Sin ad uxorem ægritudo ea pervadat; neque enim id raro evenire solet; cum illo quam cum hac melius agetur: sed in hanc miseram rursum major dolorum pars redundabit. Neque enim fas est iisdem armis in suspectum uti. Nam quis uxorem ferat jubentem domi assidue manere? quis e servis herum observare ausit, quin continuo ad barathrum abripiatur? Itaque nec his machinamentis solari se possit, nec iram verbis efferre: sed vir semel fortasse iterumque viti-

litigantem patietur : sin criminari persistat, statim docebit, præstare ea silentio ferre, ac tabescere. Atque hæc quidem si suspicio sit. Porro si malum hoc verum sit, jam uxorem nemo e læsi manibus eripiat, quin leges opitulantes nactus, omnium sibi charissimam in judicium adductam trucidet : cæterum vir legum pœnas effugit, sublimi ac divinæ sententiæ servatus. Verum id ad miseræ consolationem non sufficit; sed necesse est longam quamdam ac miserandam mortem subire, per incantamenta atque veneficia, quæ adulteræ mulieres præparant : pleræque etiam nec insidiis in eas quas lacessant opus habuerunt, sed illæ mœroris vehementia prius extinctæ, ipsas præverterunt. Ita ut quantumvis viri omnes ad matrimonium confluerent, fœminis id non sit persequendum. Nam nec inesse in se tantam libidinis impotentiam possunt dicere, et dolorum qui ex eo impendeant, plus capiunt : quod quidem jam est a nobis demonstratum. Quid igitur, inquit, id in omni matrimonio est? Nec vero abest ab omni : cæterum ab omni virginitate longe atque procul est. Ac nupta licet in malum non incidat, at in mali metum incidet : neque enim potest, cui cum viro consuescendum sit, non una cum consuetudine mala omnia secum putare ac metuere. Virgo autem non solum a molestiis, sed etiam a suspicione libera est. At hoc non est in omni matrimonio. Non equidem id dico, sed quamvis id non insit, alia insunt multa, ac licet illa effugias, omnia plane effugere non possis. Sed velut in sentibus, quæ vestimentis adhæreant, qui sepem transcendit, ad unam evellendam conversus, aliis pluribus tenetur : ita et in re uxoria, qui hoc perrumpit, illo rursum læditur; qui vero illud evaserit, aliud offendit : nec facile matrimonium invenias omni molestia solutum.

CAPUT LIII.

Conjugium divitum expetendum non esse, imo pauperum connubio molestius esse.

Verum, si videtur, infaustis dimissis, quod in eo ter beatum existimetur, et multi, adeoque omnes optent consequi, id nunc in medium productum inquiramus. Quidnam id est? Qui pauper, humilis, abjectus sis, ex ampla ac potenti et locuplete domo uxorem ducere. At hoc, quod expetendum videtur, non minoribus, quam illud, quod perosum est, calamitatibus obnoxium deprehendemus. Est enim alioqui cum hominum genus insolentissimum, tum in iis mulieres, eo quidem magis, quo impotentiores sunt. Quare et morbo hoc facilius capiuntur. Si vero superbiæ graves etiam causas habeant, nihil est quod eas in officio contineat. Sed quasi flamma materiam nacta, ita immane quantum se sustollunt, ordinem invertunt, summa infimis mutant. Nam virum uxor capitis locum tenere non sinit, sed qua est contumacia atque fastu, de eo gradu dejectum, in suum, id est, ad subjectionem, compellit, ipsaque fit caput ac dux. Et quid ea absurditate gravius esse potest? ut nihil dicam, convicia, contumelias, insuavitatem, quæ omnium sunt durissima.

CAPUT LIV.

Quantumvis subjectam uxorem opulentam habeas, ingens incommodum esse.

Jam si quis dicat; nam equidem multos dicere audivi, cum ejusmodi sermones incidunt; tantum dives et nummosa sit, nullo negotio ejus fastus deprimetur ac dejicietur. Si quis, inquam, hæc dicat, næ ille primum ignorat valde id difficile esse; deinde ut contingat, non parum affert detrimenti. Etenim vi, et timentem ac coactam viro subjici, gravius atque injucundius est, quam vel summa auctoritate ei imperare. Quid ita? Quod ea vis amicitiam omnem ac voluptatem expellat. Amicitiæ autem atque studii vicem terrore ac necessitate subeunte, quanti jam illud fuerit matrimonium æstimandum.

CAPUT LV.

Intolerabile malum esse ditiori viro nubere.

Atque hæc quidem si uxor opulenta sit. Sin contingat, ea nihil habente, virum divitem esse, famula erit pro conjuge, et quæ ingenua est, serva efficietur, ac se digna libertate e manibus amissa, emptitiis nihilo præstabit; sed quantumvis vir lasciviat, quantumvis ferociat, quantumvis meretricum manum in ejus torum asciscat, omnia pati ac benigne accipere necessum erit, aut domo cedere.

Neque id solum est molestiæ, sed etiam quod viro sic affecto, nec servis, nec ancillis libere mandare poterit, sed velut in alienis degens, iisque quæ ad se non pertineant utens, et hero potius quam viro convivens, ita omnia et agere et pati cogitur. Quod si æqualis conditionis uxorem ducas, subjectionis rursum legem æqualitas ea pessumdabit, cum facultatum modus postulet, ut ea cum viro æquetur. Quid igitur tot ubique difficultatibus agas? Neque enim mihi si quæ usquam pauca matrimonia hæc effugerunt, ea in medium profer: nam ex iis quæ assidue contingant, non quæ insolentia sint, res describendæ sunt. Hæc namque in virginitate difficile est evenire, imo ea accidere nequeunt: in matrimonio difficile est non evenire.

CAPUT LVI.

Nuptæ gravem doloris necessitatem impositam esse.

Quod si in iis quæ jucunda videantur, tantum oritur miseriarum et calamitatum, quid de iis quæ haud dubie acerba sunt, dicendum erit? Neque enim cum sola moritura sit, unam solum mortem expavescit, nec quæ unam habeat animam, de una sollicita est, sed et viro et liberis timet, eorumque conjugibus atque soboli, ac quo radix in plures ramos effunditur, tanto ei et curarum plus accedit. Horum singulis seu nummorum jactura, seu corporis valetudo, seu aliud aliquid accidat ingratum, ei macerare se ac lugere necesse erit nihilominus, quam iis, qui hæc patiuntur. Ac si quidem omnes ante eam decedant, intolerabilis erit luctus: sin aliis superstitibus alii immatura

morte rapiantur, ne sic quidem solatium purum invenias. Nam de vivis metus assidue animum conciens, dolore de mortuis haud sane levior est : quin, si mirum quiddam dicere fas sit, etiam gravior. Nam defunctorum mœrorem tempus mitigat : de vivis sollicitudinem perpetuo manere oportet, aut morte sola extingui. Quod si nec propriis malis sufficimus, quam vitam agemus, aliorum calamitates lugere coacti ? Multæ sæpe claris majoribus ortæ, admodum delicate educatæ, viro cuipiam præpotenti elocatæ, repente priusquam iis rebus beentur, periculo aliquo tanquam procella ac turbine ingruenti, et ipsæ demersæ, naufragii malorum participes fiunt, et quæ innuptæ mille bonis fruebantur, nuptæ in extremam calamitatem decidunt. At non hæc, inquit, omnibus, aut semper evenire solent. Neque vero ab omnibus remota sunt : nam equidem quoque idem repetam : sed cum partim usui venerunt, tum quibus usui non venissent, eos sui metu cruciarunt : cæterum virgo et experimento et metu omni sublimior est.

CAPUT LVII.

De molestiis quæ cum omni matrimonio conjunctæ sint.

Sed enim si placet, his omissis, quæ natura matrimonio tributa sint, neque a quoquam volente nolente vitari possint, in præsentia perlustremus. Quænam ea sunt ? dolores partus, infantes. Imovero altius orationem repetamus, et quæ matrimonium antecedant, quantum fas est cognoscamus : nam accurate soli experti callent. Adest sponsaliorum tempus : itaque protinus cura anceps atque va-

ria, quem virum captura sit, an obscurum, an infamem, an pervicacem, an fallacem et arrogantem, an audacem, an zelotypum, an trivialem quempiam, an bardum, an improbum, an durum, an imbellem. Hæc enim omnia nuptas consequi non est necesse, vereri omnia ac timere necesse est: quippe cum nondum certum sit quem sit sortitura, sed adhuc spe tanquam e sublimi imminente, animus omnia pavet, ac formidat, neque horum quidquam est quod non cogitet. Sin dicat aliquis, eam expectantem contraria lætari etiam posse: sciat, non tam nos bonorum spem solari, quam malorum metum angere. Nam bona demum cum certo sperantur, voluptatem pariunt; mala, ubi vel suspicio sit, extemplo mentem confundunt ac perturbant. Ut enim mancipia de futuris heris incerta, animo quiescere non possunt: ita et virginum mens, ex quo facta sponsio est, fluctuantis navigii similis est, parentibus in dies alios retinentibus, alios exigentibus. Nam heri victorem procum, hodie gratia vincit alius, et hunc rursum exturbat alius. Quin plerumque in ipso matrimonii tanquam limine, qui sponsus speretur, vacuis manibus discedit, puella a parentibus insperato cuipiam tradita. Nec fœminæ solum, sed etiam viri acerbas curas habent. In hos namque perquirere facile est: illius vero quæ assidue intus conclusa teneatur, mores atque formam quo pacto exploraveris? Atque hæc quidem sponsalium tempore. At ubi jam præsto est matrimonii tempus, crescit sollicitudo, ac voluptate major metus est, ne ex eo ipso vespere ingrata, et multo expectatione deterior videatur. Etenim initio laudatam, post contemni, ferendum est: At cum a curriculi carceribus, ut ita dicam, fastidio esse videtur, quando suspici poterit? Neque hic mihi illud commemora, Quid vero si lepida sit? nam nec sic quidem cura hac soluta et libera est. Multæ enim corporis venus-

tate admodum conspicuæ, viros suos capere nequiverunt, sed ii, aliis longe se inferioribus addicti ipsas reliquerunt. Jam ea etiam cura expedita, alia rursum molestia succedit, in dotis pensione; socero, quasi gratis numeret, haud sane comiter reddente, et sponso, qui totum nancisci studeat, cum verecundia exigere coacto, et nova nupta solutionis dilatione pudefacta, virum quovis improbo debitore magis reverente? quæ mitto in præsentia. Atenim hac soluta cura, continuo sterilitatis metus ingruit: præterea autem et prolium frequentiæ anxietas: neque adhuc horum quoquam explorato, utramque in partem jam inde ab initio turbantur. Quod si brevi uterum gestet, rursum cum terrore lætitia: nihil est enim matrimonii bonorum, vacuum terrore: terror, inquam, ne abortu incidente, et quod conceptum est, intereat, et gravida in extremum discrimen veniat. Sin multum temporis intersit, uxor hiscere non audet, quasi sit arbitra ipsa patiendi. Partus autem momento impendente, alvum tanto jam tempore afflictatam, dolores disrumpunt ac divellunt: qui vel soli omnem matrimonii voluptatem offuscent. Quin et aliæ deinceps curæ eam sollicitant. Etenim misera et ærumnosa puella, etsi vehementissime iis cruciatibus distenta, nihilo his minus formidat, ne pro perfecto et integro, vitiosus atque mutilus infans prodeat, ne pro mare fœmina: neque enim hæc eas sollicitudo levius tum, quam dolores, exercet: quæ non modo in quibus noxam committant, sed etiam in quibus absint a culpa, in his non minus quam in illis viros metuant: in eaque tempestate salutis suæ studio omisso, ne quid viro accidat ingratum, verentur. Jam edito in auras infante, ac primam vocem effato, aliæ rursum curæ exipiunt, incolumitatis atque educationis. Si indole est liberali, et ad virtutem comparata, iterum in metu parentes, ne quid

sinistrum patiatur, ne immatura morte obeat, ne in vitium aliquod degeneret : nam non solum ex improbis probi, sed etiam ex probis improbi ac flagitiosi fiunt. Quorum si quid eveniat invisum, intolerabilius malum est, quam si hæc ab initio contigissent. Sin omnia in eo præclara, stabilia permaneant, at mutationis timor assidue præsto est, parentum animos versans, magnamque voluptatis partem detruncans. At non omnibus maritis contingit liberos habere. Itaque mihi aliam rursum inquietudinis causam narras. Quare si et susceptis liberis ac non susceptis, et probis ac flagitiosis, variis doloribus atque curis continentur, unde jam porro suavissimam conjugum vitam vocabimus? Jam si conjugati concordes vitam exigant, formido erit ne irruens mors voluptatem dissipet : imovero non formido erit, neque id malum metuendum duntaxat fuerit, sed omnino necessitas erit aliquando in actum prodire : nemo enim potuit utrumque uno die extinctum ostendere. Quod si non contingat, quod superest necessitas erit vel morte acerbiorem vitam sustinere, seu diu cum ea consuevit, seu parum. Nam ille quo magis periculum fecit, eo majorem habet dolorem, longa consuetudine intolerabile dissidium reddente : hic priusquam amorem gustaverit, ac expleverit, fervente adhuc desiderio, ea spoliatus, idipsum vehementius luget : atque ex contrariis causis, eadem uterque miseria tenetur. Quid jam dicam, quæ interim incidunt, separationes, diuturnas peregrinationes angores, iis conjunctos; morbos? Quid hoc ad matrimonium? inquit. Certe multæ sæpe ejus opera ægritudinem contraxerunt. Injuria enim affectæ et irritatæ partim ira, partim mœrore, gravem febrim concitarunt. Ac quamvis eo præsente nihil ejusmodi patiantur, sed facili perpetuo utantur, peregrinationibus in ea mala rursum coguntur. Sed hæc omnia missa facia-

mus, nec matrimonium culpemus : at non hoc æque crimen effugere possit. Quodnam? Quod sanum ægro nihilo melius affectum dimittat, sed ad partem decumbenti inquietudinem compellat.

CAPUT LVIII.

Matrimonium licet omnes miserias effugiat, nihil magnum habere.

Vis-ne hæc etiam cuncta dimittamus, ac quæ fieri nequeant supponamus, et matrimonium demus omnia simul bona complexum? prolem numerosam, scitos liberos, opes, matremfamilias frugi, formosam, strenuam consensionem, longævam senectutem; addo et generis claritatem, et potentiæ magnitudinem : nec vel commune hoc naturæ malum eos sollicitet, harum rerum conversionis formido: sed omnis mœroris, omnis metus ac curarum causa proscripta sit, neque aut alia ulla vis, aut mors immatura matrimonium dirimat, sed eam quoque omnes eodem die obeant, aut quod eo longe fortunatius videtur, liberi hæredes supersint, parentem utrumque in extrema senectute simul præmittant : quem tandem finem consequentur? et quo demum ex hac tanta voluptate accepto emolumento, eo discedent? Nam multos liberos reliquisse, uxorem venustam cum deliciis, cæterisque omnibus quæ jam percensui, tractasse, ad senectam longam evasisse, ecquid nobis ad tribunal illud præsidii afferre possit, in veris æternisque rebus? Nihil. Itaque umbra sunt hæc atque somnium : quippe cum in perennibus illis sæculis, quæ tum nos excipient, nihil ex his fructus, nihil solatii

14.

sperandum sit, qui his potitus est, eodem loco est habendus quo expertes. Neque enim si quis in mille annis noctem unam suave somnium vidit, plus quiddam habere dicendus est, quam qui ejus visi expers fuerit. Imovero. nec quantum volebam locutus sum. Nam nec quantum veris distant somnia, tantum hæc ab illis absunt, sed multo amplius : nec quod in mille annis una nox est, tantumdem hoc, ad futurum sæculum est, sed hic rursum etiam plus interest discriminis. At virginitas non est ejusmodi : quin facto grandi quæstu discedit. Sed rem omnem a capite disquiramus.

CAPUT LIX.

Virginitatem facilem esse.

Non necesse habet in sponsum inquirere, nec fucum timet. Deus est enim, non homo; Dominus, non conservus : ac sponsorum hoc discrimen est. Vide autem et quibus rebus despondeantur. Non mancipia, non terræ jugera, non tot ac totidem auri talenta, sed cœli et cœlestia bona, sponsæ hujus dotalia sunt. Præterea conjux mortem trepidat, Cum propter alia, tum quod se a contubernali disjungat. Virgo et mortem desiderat, et vita gravatur, sponsum præsens præsentem intueri, eaque gloria frui properans.

CAPUT LX.

Virginitatem nullius egere quod in nobis positum non sit.

Nec vero ei, ut in matrimonio, in inopia degere quidquam fraudi esse potest, quin potius quod ultro sustineat, sponso id eam reddit chariorem : nec sordide natam esse, nec corporis venustate non excellere, neque aliud quidquam simile. Et quid autem hæc commemoro? Nam et si nec libera sit, neque id quidem ejus sponsalibus derogat, sed sufficit animum pulchrum præstare, ut vel primas consequatur. Non hic zelotypia timenda est, non alterius fœminæ, ut clariori viro conjugatæ, invidia dolendum. Neque enim ei quisquam similis atque par est, nec vero parvo intervallo proximus. At in matrimonio quantumvis prædivitem, et præpotentem virum mulier nacta sit, aliam tamen reperiet multo majori nuptam. Non parum autem minorum præstantiæ voluptatem, majorum præcellentia minuit. Verum ingens auri, vestium, mensæ, aliarumque rerum copiæ luxus, animum inescabit et alliciet? et quot mulieres iis potiuntur? quandoquidem major hominum pars in inopia, ærumnis, ac laboribus degit. Quod si aliquæ iis potiuntur, admodum sunt paucæ, et quas facile sit numerare, eæque ipsæ præter Dei sententiam faciunt : nulli enim fas est in iis deliciari : quod et superius ostendimus.

CAPUT LXI.

Aurum gerere metus quam voluptatis plus habere.

Sed age disputandi iterum causa et has delicias concessas ponamus, neque aut Prophetam, aut Paulum luxuriosas mulieres odisse : quorsum auri vim? nempe nihil nisi invidia est, cura et metus haud vulgaris. Nam et eo in capsulam conjecto, ac nocte ingruente, curis anguntur, et eo indutæ, atque interdiu, atque imo etiam magis, sollicitantur. Etenim et in balneis et in templis præsto sunt fœminæ quæ id compilent : ac citra eas quoque, aurigeræ a turba pressæ et impulsæ, nec sentiunt quidem auri sibi aliquid elapsum. Itaque multæ non hæc solum, sed multo etiam pretiosiora monilia, e rarissimis gemmis adornata, revulsa ac delapsa perdiderunt.

CAPUT LXII.

Aurea ornamenta et formæ nocere, et augere deformitatem.

Age vero neque hic terror sit, sed hæc etiam cura exempta sit : quid refert? Vidit quispiam, inquit, ac miratus est. At non iis ornatam, sed ornamenta, illam sæpe vel ob ea criminatus est, quasi præter dignitatem iis ornatam. Nam si formosa sit, naturæ pulchritudinem perdit : siquidem ingens ille mundus eam nudam apparere non permit-

tit, magnam ejus partem auferens : sin tetra ac deformis, vel eo turpiorem se exhibet : deformitas enim ubique sola apparens, quantacumque est, apparet tantum : quod si gemmarum splendor, aut alterius cujusquam materiæ pulchritudo admoveatur, fœditatis plus etiam contrahit. Nam et corporis atrorem multo atriorem imminens margaritæ lumen, et tanquam in tenebris micans, repræsentat, et oris pravitatem vestium diversi colores longe tetriorem demonstrant : qui vultus formam a spectatoribus seorsim censeri non sinant, sed cum illo arte quæsito eximioque decore collatam, unde fit, ut magis superari videatur. Aurum enim passim vestibus inspersum, atque varii operis diversitas, omnisque reliquus ornatus, est quasi quidam pugil bono habitu ac robustus, qui scabrum quemdam et turpem ac strigosum adversarium repulerit : ad eumdem modum ornatus ille, vultus splendore erepto atque detracto, omnium in se oculis conversis, illam magis ridiculam, se imprimis suspiciendum præbet.

CAPUT LXIII.

Quis virginitatis mundus, et quæ pulchritudo.

At non ejusmodi est virginitatis ornatus, neque indutam defraudat : qui nec corporalis sit, sed animi totus. Itaque seu deformis sit, protinus deformitatem mutat, adhibito incomparabili ornatu : seu venusta et nitida, illustriorem reddit. Siquidem non gemmæ et aurum, non vestium luxus, non colorum flores varii atque sumptuosi, non alia id genus res caduca, animos ornat, sed eorum loco jejunia, sancta pervigilia, comitas, modestia, paupertas, fortitudo,

humilitas, tolerantia, omnium plane vitæ hujus rerum despectus. Nam et oculus ei tam pulcher atque lepidus est, ut pro hominibus incorporeas virtutes, earumque dominum habeat amatorem : tam purgatus ac perspicax, ut pro corporea incorpoream pulchritudinem videre possit : tam suavis ac serenus, ut nec adversum assidue lacessentes ac molestos efferetur et insurgat, sed eos etiam blande atque comiter inspectet. Jamvero ea est modestia, ut vel impudici quique, si in eam accurate intueantur, pudefiant et erubescant, ac furorem suum remittant. Ac velut ancilla honestæ matrifamilias serviens, ipsa quoque velit nolit ejusmodi sit oportet : ita et corpus animæ tam philosophæ, ad ejus nutum omnes motus suos dirigat oportet. Nam et oculus, et lingua, et habitus, et ingressus, et omnino omnia ad internam disciplinam conformantur, quasique unguentum pretiosum, quantumvis in vas inclusum, aëre fragrantia sua tanquam delibuto, non intraneos solum et proximos, sed extraneos etiam omnes voluptate replet : ita et virginis animæ fragrantia sensus circumfluens, intus positam virtutem ostendit, et aureis modestiæ frenis omnibus injectis, equos singulos in summa concinnitate tuetur : neque aut linguam sinit absonum aliquid et incompositum effari, aut oculum vel impudenter ac suspiciose spectare, aut aures indecens aliquod carmen admittere. Quin et pedum ei cura est, ne dissolutus atque mollis, sed simplex et inaffectatus sit incessus · omnique vestium ornatu abjecto, vultum quoque assidue monet, ne risu diffluat : imo ut nec leviter rideat, sed grave semper et austerum supercilium repræsentet, ad lacrymas perpetuo parata, ad risum nunquam.

CAPUT LXIV.

Quæ propter Christum patimur, ea licet tristia sint voluptatem habete.

Atque hic cum lacrymas audis, nihil tetricum finge: habent enim eæ lacrymæ tantam voluptatem, quantam nec hujus mundi risus. Sin diffidis, audi dicentem Lucam: Verberatos Apostolos lætos ex concilio discessisse[1]. At non ea est verberum natura: non enim voluptatem ac lætitiam, sed dolores laboremque afferre solent. Sane non ea est verberum natura, sed christiana fides ea est, ut ipsi etiam rerum naturæ imperet. Quod si verbera voluptatem pariebant propter Christum[2], quid mirum si et lacrymæ idem præstent propter eumdem? Itaque quam angustam et ærumnosam viam dixit[3], eam rursum et jugum suave, et onus leve appellat: nam rei quidem hæc natura est, sed studio atque spe eorum qui perfunguntur, admodum fit levis. Quare alacriores etiam videas, qui arctam et ærumnosam viam sint amplexi, quam qui latam atque spatiosam. iter facere: non quod non affligentur, sed quod afflictationibus sublimiores, nihil ab iis ejusmodi patiantur, quæ solent alii pati. Habet enim æque et hæc vita afflictationes: sed quæ si cum illis matrimonii conferantur, nec afflictationes quidem sint dicendæ.

[1] Act. v, 40. — [2] Matth. vii, 13. — [3] Id. xi, 30.

CAPUT LXV.

Labores virginitatis minores doloribus partus, qui conjugium comitantur.

Quid enim, quæso, tale per omnem vitam virgo sustinet, quale pene in annos conjux, doloribus partus ac lamentis cruciata? Nam tanta est ejus cruciatus vehementia, ut sacræ Litteræ, cum exilium, famem, pestem, et intolerabilia mala designare volunt, ea omnia dolores partus nominent. Deus quoque id supplicii ac maledictionis vice mulieri irrogavit, non parere inquam, sed sic parere, cum ærumnis et doloribus. « Cum dolore enim, inquit, » paries filios[1]. » At virgo iis diris ac dolore excelsior est: nam qui legis diras antiquavit, et has una etiam sustulit.

CAPUT LXVI.

Jucundius esse pedibus ire quam mulis circumvehi.

Sed mulis in foro circumvehi jucundum est. Imo id inanis tantum fastus est, voluptate omni carens: atque ut nec tenebræ quam lux, nec conclusum quam solutum esse, nec multis quam nullo egere, melius est: sic huic quoque suis pedibus non utenti nihilo melius est Omitto enim molestias quas hinc sustinere est necesse Nam nec

[1] Gen. III, 16.

cum vult, ei domo prodire licet, sed plerumque cum, ut inde exeat, magna aliqua utilitas efflagitat, domi manere cogitur, velut mendici qui pedibus mutili, non habent quo vehantur. Quod si vir mulos alii usui mandaverit, simultas, contentio, pertinax silentium : sin ipsa futuri ignara idem fecerit, omisso viro, in se iram vertit, assidue ea se injuria consumens. Et quanto satius erat pedibus utentem; nam ea causa nobis eos Deus fabricatus est; nihil horum malorum subire, quam mollitie hac, in tantam miseriæ ac mœroris necessitatem se inducere? Neque enim hæ solæ causæ eas domi continent : sed seu uterque, seu alter forte mulus pedibus dolet, idem contingit : et cum in pascua dimittuntur : fit autem id quotannis, atque in multos dies : rursum tanquam vinctæ domi manendum est, et nec negotio quidem necessario vocante, ædibus prodeundum. Quod si quis dicat, eam a salutantium turba expeditam esse, non coactam notorum oculis patere ac pudefieri; is valde ignorare mihi videtur, quæ muliebri naturæ pudorem et adimant et afferant : siquidem non conspici aut latere id efficit, sed illud, petulantia intus animum possidens; hoc, modestia atque verecundia. Itaque multæ ea custodia solutæ, ac per mediam turbam in foro gradientes, non solum in se accusatores non concitarunt, sed multos etiam modestiæ admiratores habuerunt : quæ et habitu, et ingressu, et vestium neglectu, luculentum tanquam radium internæ probitatis emitterent : nec paucæ intus desidentes sinistram sibi opinionem contraxerunt. Potest enim quæ conclusa sit, etiam magis quam quæ prodeant, volentibus egregie petulantem se et impudentem exhibere.

CAPUT LXVII.

Molestum esse multas famulas habere.

Sed forsan ancillarum grex jucundus est. Hac quidem voluptate nihil pejus, tantum habere curarum : nam et ægritudine cujusque, et morte turbari atque angi est necesse. Ac sunt hæc forte tolerabilia, necnon quæ his etiam graviora sunt, quotidie curis distendi, segnitiem castigando, nequitiam tollendo, rixas sedando, omnemque reliquam vitiositatem corrigendo : at illud certe omnium gravissimum est, quod quidem vel maxime in ejusmodi famulitii copia evenire solet, si in eo grege aliqua venusta sit : id enim omnino in ea multitudine accidere necesse est, divitibus non multas solum, sed etiam æque formosas studiose parantibus. Itaque si inter eas ulla præstans sit, seu amore sui herum capiat, seu nihil ulterius possit, quam ut admirationi sit; hera æque dolebit, quod ab ea superetur, si non amore, at corporis venustate atque admiratione. Quare si in iis quæ apud eos illustria ac præclara habeantur, tantum inest ærumnarum, quid de acerbis dicendum ?

CAPUT LXVIII.

De tranquillitate quæ virginitati inest.

At non virgo horum quidquam patitur, quin et domun-

cula turbis libera est, et clamor omnis profligatus: quasique in tranquillo quodam portu, omnia intus silentium possidet, et vel silentio major animum serenitas: quippe nihil humanum tractantem, sed assidue cum Deo colloquentem, atque in eum fixe contuentem. Et quis eam voluptatem metiatur? quæ oratio mentis sic affectæ lætitiam repræsentet? Equidem nulla, sed ii soli qui in Deo delicias ponant, earum magnitudinem sciunt, et quanto omnem comparationem vincant agnoscunt. At ingens argenti vis undique conspicua, valde oculos oblectat. Et quanto præclarius est in cœlum suspicere, atque inde majorem longe voluptatem capere? Nam quanto aurum stanno et plumbo, tanto cœlum auro, argento, atque omni materia illustrius ac splendidius est: quin contemplatio hæc curis vacua est, illa admodum sollicita, quod quidem vel maxime concupiscentiam cohibet. At non vis in cœlum spectare? licet depositum in foro argentum cernere. « Ad verecun- » diam vestram dico[1], » ut cum beato Paulo loquar: quoniam pecuniarum amore tam estis stupidi. Atque hic quid dicam nescio. Valde enim me scrupulus quidam suspendit, nec video, cur omne pene hominum genus, cum facile ac jucunde oblectari liceat, id nec in voluptate quidem ponant: in sollicitudine, distractione, atque curis potissimum gaudeant. Nam cur non eos æque depositum in foro argentum, ac domesticum oblectat, quod quidem et probatius sit, et animum angore omni liberum dimittat? Quoniam, inquit, illud meum non est, hoc meum est. Avaritia igitur jucunda est, non argenti natura: quod si esset, inde etiam æque oblectari oportebat. Sin dicas, usus gratia, multo præstat vitrum: atque id divites ipsi confirmant, qui ex ea materia pocula ut plurimum parant. Quod si fastu quodam etiam ex argento fabricari

[1] 1 Cor. VI, 5.

cogantur, prius vitro interius constituto, ita argento exterius obducunt: ostendentes illud ad potum suavius et commodius esse, hoc ad fastum solum et inanem ostentationem. Quid est autem hoc, Meum et non meum? Nam equidem cum verba hæc accuratius expendo, voces tantum esse mihi videntur. Multi enim illud dominium suum refugiens, nec vivi retinere potuerunt; et quibus ad finem usque permansit, ii volentes nolentes mortis tempore ejus potestate exciderunt. Nec solum in argento et auro, sed in balneis quoque, hortis, ædibus, meum et non meum, verba solum mera deprehendas. Nam usus omnibus communis est: tantum qui domini videantur, hoc plus habent quam qui non sint, eorum inquam curam. Hi enim fruuntur tantum; illi adhibito grandi studio tantumdem consequuntur, quantum hi citra studium.

CAPUT LXIX.

Sumptuosas mensas magnæ insuavitatis plenas esse.

Quod si quis summas delicias miretur: puta, concisarum carnium multitudinem, inutilem vini sumptum, exquisita condimenta, structorum seu mensariorum et pistorum artificia, parasitorum et convivarum turbam: sciat, divites in his nihilo meliori esse loco quam coquos. Nam ut hi dominos, sic illi hospites verentur, ne quid eorum quæ operose et sumptuose iis apparata sint, reprehendant et carpant. Atque hac in parte coquis exæquantur: in alia etiam superant. Neque enim solum accusatores, sed æmulos etiam timent: siquidem multis sæpe ex ejusmodi conviviis invidia creata est, nec ante destitit, quam eos in

capitis periculum adduxit. At helluari sæpe suave est. Apagesis : quando ex hoc luxu et gravedo, et ventris obesitas, et spiritus obstructio, et oculorum obscuritas, et vertigo, et caligo ; aliaque his etiam fœdiora mala pullulant. Atque utinam ea immoderatio ac jactura quotidianis tantum doloribus circumscripta sit : nunc morbi fere incurabiles ex his mensis originem trahunt, nam et podagra, et tabes, et sacer morbus, et paralysis, multaque his etiam graviora, corpus aggressa, ad extremum spiritum infestant. Quibus malis quæ par explicari voluptas possit ? quæ non vitæ durities ad eorum effugium iucunda sit ?

CAPUT LXX.

Sobrietatem deliciis et utiliorem et suaviorem esse.

At ejusmodi non est frugalitas, sed ab his infaustis procul remota, sanitatis atque valetudinis causa. Quod si quis voluptatem etiam requirat, in ea, quam in luxu, majorem inveniet : ac primum ex eo quod homo valeat, neque horum malorum quoquam exagitetur, quorum vel singula seorsim satis sint quæ voluptatem extinguant, et tanquam a fundamentis evertant. Deinde ex cibis ipsis. Quo pacto ? Voluptatem efficit appetitus : appetitum non saturitas ac satietas, sed egestas et inopia parit. Ea autem non in divitum, sed in pauperum cœnis assidue præsto est, epulis, quovis structore et coquo gratius, mel instillans. Siquidem divites nec esurientes cibum capiunt, nec sitientes bibunt, et antequam vehemens somni necessitas eis ingruat, consopiuntur : hi eorum prius indigi, ita demum ea percipiunt : quod quidem voluptatem auget maxime.

Cur enim et Salomon servi somnum dulcem confirmat his verbis : « Dulcis est servo somnus, sive multum sive parum » comederit[1]? » an propter mollem torum? at humi, aut super cespite ut plurimum dormiunt. An propter libertatem? at nec temporis momentum habent liberum. An propter otium? at laboribus et ærumnis assidue affliclantur. Quid est igitur quod somnum dulcem reddat, nisi ad necessitatem prius compulsos, ita eum denique inire? Cæterum divitibus nisi ebriis nox ingruat, pervigilandum est, et in mollibus stragulis jacentes, æstuandum ac dolendum.

CAPUT LXXI.

Animam etiam lædi deliciis.

Poteram et aliunde deliciarum insuavitatem, incommoda, fœditatem ostendere, morbos, quibus animam imbuant, corporalibus longe et plures et graviores percensens. Etenim molles, effœminatos, audaces, arrogantes, lascivos, injurios, impudicos, iracundos, crudeles, illiberales, avaros, sordidos, ad cuncta utilia ac necessaria ineptos præstat : quibus diversa omnia frugalitas efficit. Sed jam alio mihi properat oratio. Itaque hoc uno addito, rursum apostolica verba retractemus. Quod si quæ expetenda videantur, tot malis referta, tantas et animo et corpori morborum pruinas accersunt, quo loco acerba sint habenda? magistratuum terror, populorum motus, sycophantarum et æmulorum insidiæ : quæ imprimis divites

[1] Eccle. v, 11.

circumstant. Quibus malis mulieres sane etiam vehementius angi est necesse, quod eas vicissitudines impotentius ferant.

CAPUT LXXII.

Delicias cum aliis malis vitæ commutationem afferre.

Et quid mulieres dico, cum vel viri misere iis capiantur: nam qui frugaliter vivit, commutationem nullam horret: qui frigidam illam ac dissolutam vitam exigit, cum si qua incidens calamitas atque vis inopiæ tradat, utpote qui rudis et inexercitatus sit, ante moriatur, quam vices eas perferat. Itaque beatus Paulus ait, « Tribulationem carnis habebunt hujusmodi, ego autem vobis parco : » ac post addit, « Tempus breve est [1]. »

CAPUT LXXIII.

Non esse tempus hoc matrimonii tempus.

Et quid hoc ad matrimonium? dicat quispiam. Valde sane ad ipsum pertinet : si enim vita hac conclusum est, et in futuro nec ducunt nec ducuntur, atque hoc præsens tempus ad finem decurrit, quasique pro foribus resurrectio est, non jam tempus est matrimonii ac pecuniarum, sed egestatis, et id genus reliquæ philosophiæ quæ illic nobis profutura sit. Nam quemadmodum virgo quandiu domi

[1] 1 Cor. VII, 29.

manet apud matrem, magnam puerilium omnium curam suscipit, et arcula in penum deposita, eorum quæ illic condita sint et clavem ipsa possidet, et arbitrium omne tenet, de levium illorum et futilium custodia æque sollicita, ac qui grandem familiam administrant : cum autem sponsalia adsunt, paternas ædes dimittere coacta, tum vero iis nugis et minutiis liberata, domus gubernationem, opes, et mancipium numerosum, viri cultum, aliaque his majora procuret necesse est : ita et nobis adultis atque ætate virili, terrenis omnibus, vere puerilibus ludicris, omissis, de cœlo, cœlestisque vitæ splendore et gloria cogitandum est : desponsi enim sumus et nos sponso, eum a nobis amorem flagitanti, ut non solum terrestribus et levibus his ac futilibus, sed etiam vita propter eum, si opus sit, cedamus. Quare cum illuc discedendum sit, exilem hanc curam a nobis propulsemus : nam nec in regnum ex inopi domo transferendi, de fictilibus, lignis, utensilibus, et reliqua domestica tenuitate laboraremus. Itaque nec jam terrena curemus, tempore nos jam ad cœlum vocante : ut et beatus Paulus Romanis scribens ait, « Nunc enim pro» pior est nostra salus, quam cum credidimus : nox præ» cessit, dies autem appropinquavit [1] ; » et rursum, « Tem» pus breve est [2], » ut qui uxores habent, perinde sint ac si non haberent. Quorsum igitur matrimonium, eo non usuris, sed perinde ac si non haberent futuris? quorsum opes? quorsum prædia? quorsum vitæ præsidia, quorum usus caducus porro atque intempestivus sit? Nam si apud nos qui judiciis sistendi sunt, scelerum causam dicturi, capitali die instante, non uxoris tantum, sed etiam cibi et potus, atque omni posthabita cura, defensionem solum cogitant : multo magis nobis, non terreno cuidam foro, sed cœlesti tribunali sistendis, et dictorum, gestorum,

[1] Rom. XIII, 11, 12. — [2] 1 Cor VII, 29.

cogitatorum rationem reddituris, ab omnibus abstinendum est, et gaudio et tristitia rerum præsentium, ac circa terribilem illam diem unice metuendum. « Si quis enim, » inquit, venit ad me, nec suum patrem, et matrem, et » uxorem, et filios, et fratres, et sorores, insuper et ani- » mam suam odit, non potest meus esse discipulus. Et qui » non portat crucem suam, et me sequitur, non potest » meus esse discipulus[1]. » Tu vero segnis uxoris cupiditati, risui, mollitiei, deliciis vacas? « Dominus prope est, nihil » solliciti sitis : » Tu de pecuniis curas ac sollicitus es? Cœleste regnum instat. Tu ædes, luxum, et reliquam voluptatem dispicis? Præterit figura hujus mundi[2]. Quid te de mundi rebus non perennibus, sed caducis, perennium ac stabilium oblitus, crucias? Non jam matrimonium, non dolores partus, non voluptas et coïtus, non divitiarum copia, non prædiorum studium, non cibus, non tegumenta, non agricultura ac navigatio, non artes et ædificia, non urbes, non ædes, sed alius quidam status atque vita consequetur : hæc paulo post cuncta interibunt. Id enim est, « Præterit figura hujus mundi. » Quid igitur velut in omnia sæcula hic mansuri, ita in earum rerum studio, a quibus sæpe ante vesperam desciscendum sit, summa ope nitimur? Quid laboriosam vitam deligimus, Christo ad otiosam nos vocante? « Volo enim, inquit, vos sine solli- » citudine esse. Qui sine uxore est, Domini res curat[3]. »

[1] Luc. xiv, 26, 27. — [2] 1 Cor. vii, 31. — [3] Ibid 32.

CAPUT LXXIV.

Cur cum velit nos sine sollicitudine esse jubeat esse sollicitos.

Quomodo igitur nos sine sollicitudine esse vis, quos in aliam iterum curam conjicias? Quia hoc, nec curare quidem est, quemadmodum nec afflictari propter Christum afflictari non mututa quidem rerum natura, sed eorum qui ea cum voluptate patiantur studio, vel rerum naturam vincente. Nam qui ea curet, quibus non longum tempus fruiturus sit, imo sæpe nec minimum, curare merito dicetur: qui vero curis majorem fructum capturus sit, omni ratione inter eos qui sine sollicitudine sunt numerabitur. Præterea autem utriusque curæ tantam est discrimen, ut hæc cum illa comparata, nec cura quidem habeatur: adeo illa et levior est, et multis partibus facilior. Quæ nos omnia superius ostendimus. « Qui sine uxore est, sollicitus est » quæ Domini sunt; qui autem cum uxore est, sollicitus est » quæ sunt mundi. » At hic abit, ille manet. Annon igitur vel hoc solum sufficiat ad virginitatis dignitatem commonstrandam? quanto enim Deus mundo præstat, tanto hæc illa potior cura est. Cur ergo matrimonium permittit, quod et curis nos obstringat, et a spiritualibus abducat? Ideo enim, inquit, dixi, Ut qui uxores habent, perinde sint ac si non haberent, ut qui jam vincti sunt, aut post vinciendi sunt, alio quopiam modo vinculum relaxent. Nam quoniam haud fas est semel circumjectum rumpere, tolerabilius redde. Siquidem licet si velimus, supervacua omnia recidere, nec nostra ipsorum ignavia alia nobis addere iis curis, quas res ac natura pariat, majora.

CAPUT LXXV.

Quid sit habentem uxorem non habere.

Quod si quis etiam clarius intelligere vult, quid sit, Uxorem habentem perinde esse ac si non haberet, is mihi non habentes, atque crucifixos cogitet, quomodo degant. Quomodo igitur degunt? Non necesse habent ancillarum gregem coëmere, non aurum ac monilia, non ædes magnificas et amplas, non tot ac tot terræ jugera : sed iis omnibus detractis, amictum unum atque victum procurant : licet autem uxorem habenti ad eam se philosophiam reducere. Nam quod supra ait, « Ne defraudate alter alterum, » de coïtu solo dictum est. In eo enim invicem obsequi jubet, neque alterutrum sui dominum esse sinit. In reliquo philosophiæ exercitio, vestitu, victu, atque aliis omnibus, alter alteri non est obnoxius, sed et viris fas est uxore invita delicias omnes, ac circumfluentem curarum turbam amoliri : et uxori vicissim non est necesse, si nolit, comi, inanem gloriam captare, supervacua curare. Nec injuria : nam cupiditas quidem illa naturalis est : itaque ei et nonnihil condonatum est, nec potest alter alterum nolentem defraudare : hæc vero deliciarum, supervacui cultus, inutilis curæ, non a natura proficiscitur, sed ex ignavia et insigni nequitia manat. Quare neque in his, ut in illis, conjuges invicem teneri cogit. Hoc igitur est, Uxorem habentes perinde esse ac si non haberent, supervacuas illas propter uxorum fucum ac mollitiem curas non admittere, sed tantum curarum auctarium suscipere, quantum par sit unius capitis additamento, atque

ejus philosophice ac tenuiter vitam instituentis. Id enim se velle, corollario hoc significat, « Et qui flent tanquam » non flentes, » et qui in prædiis gaudent, ac si non gauderent : nam nec qui non gaudent, prædia curabunt; nec qui non flent, aut inopiam horrere, aut frugalitatem aversari poterunt. Hoc vero est uxorem habere, nec habere, mundo uti, nec abuti, « Qui cum uxore est, sollicitus est » quæ sunt mundi [1]. » Itaque cum et hic et illic curetur, atque hic etiam temere et frustra, imo et moleste et misere : nam « Tribulationem, inquit, carnis habebunt hu» jusmodi : » illic, quod ingens bonum sit : cur non illam potius asciscimus curam, quæ non solum tot ac tantas remunerationes habeat, sed hac, natura etiam, levior sit? Quid enim curat innupta? an opes, an vernas, an œconomos, an agros, an reliqua? an coquis, textoribus, cætero servitio instat? Minime gentium : quin nihil horum vel cogitat, sed unum id laborat, ut animam suam tantum ædificet, et templum illud sanctum non cincinnis, aut auro, aut margaritis, non intritis aut pigmentis, non id genus molestiis et ærumnis, sed animi atque corporis sanctimonia exornet. « At nupta, inquit, curat ut viro pla» ceat. » Admodum sapienter ad ipsarum rerum examen non descendit, neque ea commemoravit, quæ, ut viris placeant, et corpore et animo patiuntur : illud torquentes, oblinentes, atque allis malis mulctantes : hunc illiberalitate, adulatione, simulatione, simultate, ineptis et inutilibus curis implentes. Sed uno verbo hæc omnia subindicans, recogitanda auditorum conscientiæ reliquit : atque ita virginitatis præstantiam declarans, ad cœlumque eam tollens, rursum sermonem ad matrimonii permissionem confert : ubique sollicitus, ne id quisquam præceptum esse arbitraretur. Quamobrem nec superioribus cohortationi-

[1] 1 Cor. VII, 33.

bus contentus, cum dixisset, « Domini præceptum non » habeo : et, Si nupsit virgo, non peccavit : » iterum hic ait, « Non ut laqueum vobis injiciam. »

CAPUT LXXVI.

Non virginitatem, sed nostram inertiam esse laqueum.

In quo merito hoc alicui scrupulum moveat, quo pacto qui rem supra vinculorum solationem vocet, et ad utilitatem nostram eam consulere dicat, ne miserias habeamus, ut sine sollicitudine simus, et quod nobis parceret : atque iis omnibus ejus levitatem ac facilitatem notet, hic dicat, « Non ut laqueum vobis injiciam ? » Quid igitur est ? Non virginitatem : Apage : sed vi et coactione bonum hoc amplecti, id laqueum vocat. Nam ita se res habet : Quidquid compulsus et invitus suscipias, quantumvis leve sit, difficillimum redditur, et vel reste gravius mentem strangulat. Ideo ait, « Non ut laqueum vobis injiciam. » Id est, Virginitatis bona omnia proposui et explicui atque interim post hæc omnia optionem vobis permitto, non, invitos ad virtutem traho : neque enim vos afflictare volens, hæc consului, sed ne honesta assiduitas humanis rebus frangatur. Videsis autem mihi et hic Pauli prudentiam, ut deprecationibus, rursum exhortationem addat, ac permittens consulat. Nam qui dicit, « Non cogo, sed hortor : » ac subjicit, Propter honestatem et assiduitatem, virginitatis admirabilitatem atque fructum, qui ex ea ad divinam vitam manat, ostendit. Neque enim potest quæ humanis curis implicetur, et huc illuc distrahatur, assidua esse, studio omni atque otio in multa distributo, in virum,

ac familiæ curam, aliaque cuncta quæ matrimonium attraheret solet.

CAPUT LXXVII.

Quæ de terrenis rebus sollicita sit viginem non esse.

Quid vero, inquit, si et virgo de multis laboret, atque humana curet? Apage: qui virginum choro eam exemeris. Siquidem ad virginem præstandam haud satis est non nupsisse, sed animi quoque castitate opus est. Castitatem autem intelligo, non fœda ac flagitiosa solum libidine, ornatu, curiositate vacare, sed vitæ etiam curis solutam esse ac liberam: quod ni sit, quorsum corporis castitatem? Nam ut milite, qui abjectis armis in popinis occupetur, nihil turpius: ita nec virgine vitæ curis obstricta, quidquam inhonestius. Etenim quinque illæ et lucernas habebant, et virginitatem exercuerant[1]: quorum nihil eis profuit, sed clausis foribus, exclusæ perierunt: quippe ob id præstans est virginitas, quod omnem supervacuæ curæ ansam præcidat, otium omne atque studium divinis operibus consecrans. Quod nisi habeat, matrimonio longe deterior est, spinas in animo circumferens, et legitimum ac cœleste semen suffocans.

[1] Matth. xxv.

CAPUT LXXVIII.

Cur non acriter eum carpat, qui in virgine sua indecorum se esse putat.

« Si quis autem, ait, turpem se videri existimat super » virgine sua, quod sit superadulta, atque ita faciendum » est, quod volet faciat, non peccat : nubant[1]. » Ita-ne, quod volet faciat ? nec falsam existimationem corrigis, sed nubere permittis ? Cur enim non dixisti, Quod si quis in virgine sua indecorum esse putat, miser et infelix est, rem tam admirandam infamem arbitratus ? Cur non consuluisti, opinione ea dimissa, filiam a matrimonio arcere ? Quia, inquiet, animæ illæ admodum infirmæ et humi repentes erant, illæque sic affectæ statim ad virginitatis sermones adduci non poterant. Nam qui ad mundi res tam est attonitus, et hujus vitæ laudator, ut post tantam exhortationem, quod cælo dignum est et angelici instituti affine, probro habuisset, consilium eo inducens quî tulisset ? Et quid mirum si id in re concessa Paulus fecit, qui idem in vetita et illegitima faciat ? Exempli causa : ciborum delectum habere, et alios probare, alios rejicere, judaïcæ imbecillitatis erat : quidam tamen apud Romanos ea imbecillitate laborabant : quos adeo non incessit vehementer, ut aliud quiddem majus etiam faciat : omissis enim iis qui peccassent, qui eos prohibere vellent objurgat, his verbis, « Tu autem quid judicas fratrem tuum[2] ? » At non, Colossensibus scribens, idem facit, sed magna auctoritate et eos carpit, et philosophatur, dicens :

[1] 1 Cor. VII, 36. — [2] Rom. XIV, 10.

« Nemo ergo vos judicet in cibo atque potu[1]. » Et rursum : « Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis » mundi, quid tanquam viventes in mundo decernitis? Ne » tangito, neu gustato, neu attrectato : quæ omnia usu » pereunt[2]. » Cur igitur id facit? Quod hi confirmati essent : Romani adhuc magna indulgentia opus haberent, et expectaret ille, dum fides in eorum prius animis constabiliretur : veritus ne ante tempus et æquo citius zizania revellere aggressus[3], cum iis sanæ doctrinæ stirpes una etiam revelleret. Itaque nec acriter incessit, nec irreprehensos dimittit, sed clam et nec opinantes in aliis castigandis perstringit. Nam qui dicat, « Suo domino stat, aut » cadit, ille increpanti silentium imponere videtur, sed revera increpati illius animum vellicat : ostendens iis rebus duci, non stabilium esse, et firmiter consistentium, sed qui adhuc titubent, quibusque, ni stent, periculum sit ne cadant. Eamdem legem et hic servat, propter insignem imbecillitatem eorum quibus pudendum esset : neque enim aperte eum petit, sed laudando eo qui suam virginem servet, egregie verberat. Nam quid ait? « Sed qui » stat firmus in corde suo : » quod ad distinctionem dictum est ejus, qui leviter et facile jactetur, neque adhuc firmus gradiatur, nec viriliter stet. Deinde quia sciebat orationem eam satis esse, ut ejus animum pungeret, vide ut eam rursum obnubat, causam haud sane reprehensione dignam afferendo. Eo enim dicto, « Sed qui stat firmus » in corde suo, addit, non habens necessitatem, potes- » tatem autem habens. » Atqui consequens erat ut diceret, Sed qui constans est, neque id indecorum esse putat. Verum id acerbius erat. Itaque aliud substituit, eum consolans, atque ad hanc potius causam venire passus. Siquidem minus indignum est coactum, quam dedecori

[1] Coloss. II, 16. — [2] Ibid. 20, 21. — [3] Matth. XIII.

habentem id vetare. Nam illud imbecilli et miseri animi est ; hoc etiam depravati, nec rerum naturam recte discernere scientis. Sed nondum hæc dicendi erat locus : etenim nec necessitate incumbente fas esse eam, quæ virgo degere instituerit, arcere, sed adversus omnia, quæ præclarum hoc studium impediant, fortiter nitendum esse, audi quid Christus censeat : « Qui patrem aut matrem amat supra me, non est me dignus[1] : » quippe ubi quid Deo acceptum persequimur, quisquis prohibet, seu pater, seu mater, seu quicumque sit, hostis atque inimicus est habendus. Sed hæc Paulus, qui auditorum imperfectionem adhuc sustineret, scribit, inquiens : « Sed qui stat » firmus non habens necessitatem. » Neque hic stetit, etsi, « Non habens necessitatem, » et, « Potestatem habens, » idem sint : sed sententiæ prolixitate, ac permissionum assiduitate, fractam et exilem mentem solatur : postea et alteram addens causam, « Qui in corde suo statuit : » neque enim sufficit liberum esse, neque hinc solum fit obnoxius, sed ubi eligat atque statuat, tum vero recte facit : deinde ne propter ingentem indulgentiam nihil interesse crederes, iterum discrimen edit, timide ille quidem, sed edit tamen his verbis ? « Itaque et qui matrimonio jungit, » bene facit, et qui non jungit, melius facit[2] : » cæterum quanto hoc melius sit, hic non explicat, eadem de causa : quod si scire vis, audi dicentem Christum, « Nec ducunt, » nec ducuntur, sed sunt sicut Angeli in cœlo[3]. » Vidisti discrimen, quo virginitas mortalem repente attollit, modo vera sit virginitas.

[1] Matth. x, 37. — [2] 1 Cor. vii, 38. — [3] Matth. xxii, 30.

CAPUT LXXIX.

Nulla re inferiorem fuisse Angelis Eliam et qui ejus similes, idque virginitatis beneficio.

Etenim qua re, ab Angelis differebant Elias, Eliseus, Joannes, germani hi virginitatis amatores? Nulla nisi quod mortali natura erant obstricti : cætera si quis accurate inquirat, nihilo iis deterius affectos inveniet, atque hoc ipsum, quo inferiores videbantur, valde ad laudem facit. Nam in terra degentes, ac mortalis naturæ necessitati subjectos, ad eam virtutem evadere potuisse, vide quantæ fortitudinis, quantæ philosophiæ erat. At virginitatem eos tales comparasse, hinc perspicuum est. Si enim conjuges atque liberos habuissent, non tam facile deserta habitassent, nec ædes, et reliquum vitæ apparatum neglexissent. Nunc iis omnibus omnibus vinculis soluti, in terra velut in cœlo degentes agebant, non parietibus, non tecto, non toro, non mensa, non alio id genus ullo indigentes : quin cœlum pro tecto, humum pro toro, solitudinem pro mensa habebant, ac quæ res aliis famis causa videatur, deserti sterilitas, ea sanctis illis abundantiam præstabat : siquidem nec vitibus, nec pratis, nec frugibus, nec messe opus habebant, sed uberem ac dulcem potum fontes, stagna et fluvii suppeditabant. Mensam uni Angelus paravit inauditam, insolentem, humana consuetudine majorem. « Unus enim, inquit, panis ad » quadraginta dierum inediam suffecit[1]. » Alterum spiritus gratia sæpe mirifice pavit ; neque eum solum,

[1] 3 Reg. XIX, 8.

sed alios etiam ejus causa. Cæterum Joannes plus quam Propheta, quo nullus in fœminarum natis major surrexit[1], nec humani cibi indiguit : qui non frumento, vino, oleo, sed locustis sylvestrique melle corporis vitam sustentaret. En terrestres Angelos : en virginitatis vim : efficiebat ut homines carne atque sanguine coagmentati, humi gradientes, mortalis naturæ necessitati obnoxii, tanquam incorporei, tanquam cœlum jam adepti, tanquam immortalitatem consecuti, cuncta præstarent.

CAPUT LXXX.

Quid sit honestas et assiduitas decora.

Quippe erant iis cuncta supervacua, non hæc solum quæ vere supervacua sunt, deliciæ, opes, potentia, gloria, et reliqua somniorum istorum series, sed etiam quæ necessaria videntur, ædes, urbes, artificia. Hoc est « Honestas et decora assiduitas, » hoc virginitatis virtus. Nam mirum quidem et multis coronis dignum est, libidinum insaniam frangere, ac furentem naturam coërcere : sed tum vere mirum, cum ejusmodi etiam vita accedit : seorsim autem et per se exile est, neque eo præditos servare potest. Atque hic nobis testes sint, quotquot hodieque virginitatem exercent, quæ tantum absunt ab Elia, et Eliseo, et Joanne, quantum terra a cœlo. Ut enim, si « Honestatem et decoram assiduitatem » eripias, virginitatis nervos succideris : ita si eam cum vita quam optima conjungas, radicem ac fontem bonorum tenes. Nam quemadmodum radicem terra pinguis ac fertilis, sic vita

[1] Matth. XI, 11.

quam optima virginitatis fructus nutrire novit : imo et radix et fructus virginitatis, vita crucifixa est. Hæc generosos illos ad mirabilem cursum inunxit, vinculis omnibus recisis, liberis ac pernicibus pedibus, tanquam alatos, in cœlum evolaturos dimittens. Ubi enim nec uxoris studium, nec liberorum cura sit, perfacilis est egestas. Egestas autem nos cœlo vicinos præstat, non terroribus solum, et curis ac periculis, sed reliquis etiam omnibus molestiis liberans.

CAPUT LXXXI.

Quantum bonum sit egestas.

Nam qui nihil habet, ceu omnia tenens, omnia contemnit, et magna libertate adversus magistratus, primates, atque ipsum diademate ornatum utitur. Qui opes contemnit, sensim progressus, facile mortem etiam contemnet : atque his excelsior, omnes intrepide alloquetur, neminem pavens ac formidans. Atqui opibus occupetur, non opum tantum mancipium est, sed etiam gloriæ, honoris, præsentis vitæ, atque ut semel dicam, omnium quæ ad vitam pertinent. Itaque avaritiam Paulus malorum omnium radicem dixit[1]. Verum et hanc radicem virginitas potis est exsiccare, et aliam optimam nobis indere, unde bona omnia pullulent, libertas, fiducia, fortitudo, zelus ardens, cœlestium fervens amor, terrestrium omnium despectus. Ita « Honestas et decora assiduitas paratur. »

[1] 1 Tim. VI, 10.

CAPUT LXXXII.

Contra eos qui dicunt optare virgines in Abrahami sinum venire.

Sed quæ est hæc multorum sapiens oratio? Patriarcha, inquit, Abraham et uxorem habuit, et liberos et opes, et greges, et armenta : ac postea omnia Joannes tum Baptista, tum Evangelista, uterque virgo, et Paulus atque Petrus continentia illustres, in ejus sinum venire optant. Et quis autem tibi id dixit, bone vir? quis Propheta? quis Evangelista? Ipse, inquit, Christus. Nam centurionem videns summa fiducia præditum, ait : « Multi ab Oriente » et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et » Isaac, et Jacob[1]. » Quin Lazarus cum eo tum delicians a divite videtur. Quid hoc ad Paulum? quid ad Petrum? quid ad Joannem : neque enim aut Lazarus, Paulus ac Joannes erat, aut multi illi ab Oriente et Occidente, Apostolorum chorus erant. Itaque hæc vobis cassa et inanis est oratio. Quod si Apostolorum præmia plane audire vis, ea distributuri sententiam accipe : « Sedebitis super thro- » nos duodecim, judicantes duodecim tribus Israël[2]. » Nusquam hic aut Abraham, aut ejus natus, aut nepos, aut qui eos acceperit sinus : sed dignitas longe hac sublimior. Nam hi illorum posteros judicaturi sedebunt. Neque hic duntaxat evidens discrimen est, sed quod quæ Abrahamus est adeptus, multi nanciscentur. « Multi enim, » inquit, ab Oriente et Occidente venient, et recumbent » cum Abraham, et Isaac, et Jacob : » thronos autem il-

[1] Matth. VIII, 11. — [2] Id. XIX, 28.

los, nisi sanctorum horum chorus, occupabit nemo. Et adhuc greges, armenta, matrimonia, liberos commemoratis? Quid igitur, inquit, si virginum multi post graves sudores eo venire optant? Ego vero majus etiam quiddam dicam, virginum multos nec eos quidem sinus nec minora consecuturos, sed in gehennam discessuros : atque id virgines ostendunt thalamo exclusæ. Ergo hinc virginitati par est matrimonium : imo hæc etiam deterior. Exemplum quippe tuum illo deteriorem facit. Nam si Abraham conjugatus in requie et deliciis est, virgines in gehenna, id ex oratione vestra conjectandum relinquitur. Sed non ita est, inquam : quin adeo matrimonio deterior non est, ut longe etiam præstantior sit. Quomodo? Quod nec Abraham matrimonium talem præstitit, nec miseras illas virginitas perdidit; sed et Patriarcham reliqua animæ virtus illustrem reddidit, et has reliqua vitæ nequitia igni tradidit. Siquidem ille in matrimonio degens, virginitatis bonis perfungi studuit, « Honestate, inquam, et decora assiduitate : » hæ virginitatem amplexæ, in vitæ procellas et matrimonii negotia reciderunt. Quid igitur, inquit, et nunc vetat maritum, ac liberis, opibus, cæterisque omnibus instructum, « Decoram assiduitatem » tueri? Primum quod nemo nunc par est Abrahamo, sed nec parvo intervallo proximus. Nam ille, qui et opes et uxorem haberet, etiam magis quam qui inopiam profiteantur, pecunias contempsit, et voluptatem fortius quam virgines cohibuit. Hi enim quotidie libidinibus ardent; ille adeo eam flammam extinxerat, neque ulla cupiditate obstrictus tenebatur, ut non solum pellice abstineret, sed etiam domo eam pelleret, quo litis ac dissidii occasionem omnem tolleret. Quod equidem nunc haud facile reperire est.

CAPUT LXXXIII.

Non eumdem virtutis modum nobis et antiquis propositum esse.

Præterea autem, quod initio dicebam, et nunc repetam, non eumdem a nobis atque ab illis virtutis modum exigi. Siquidem nunc perfectum esse non licet, nisi omnibus venditis[1], nisi omnibus valere jussis, non opibus tantum et ædibus, sed anima etiam sua. Tum nondum tantæ accurationis specimen erat. Quid igitur? inquit, accuratius nunc quam Patriarcha vivimus? Deberemus certe, atque id jubemur, sed non præstamus : ideoque longe a Justo relinquimur. Nam quin majora nobis certamina proposita sint, nulli dubium est. Itaque Noë laudans Scriptura, non simpliciter id facit, sed cum additamento quodam, nam ait, « Noë justus, perfectus in generatione sua, Deo placuit[2] : » non simpliciter perfectus, sed in generatione sua. Multi enim sunt perfectionis modi, aliis atque aliis temporibus definiti : ac quod aliquando perfectum fuit, temporis progressu fit imperfectum. Verbi gratia : Aliquando perfectus erat qui legem exequebatur : nam hæc qui faciat, inquit, per ea victurus est[3] : at Christus exortus perfectum hoc imperfectum ostendit. « Nisi enim, inquit, » abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum[4]. » Tum homicidium solum atrox videbatur : nunc vel ira duntaxat ac convicium ad gehennam rapere queat. Tum adulterium solum plectebatur : nunc vel flagitiosis oculis mulierem

[1] Matth. XIX. — [2] Gen. VI, 9. — [3] Levit. XVIII, 5. — [4] Matth. V, 20.

aspicere, non abest a supplicio. Tum perjurium solum a malo erat: nunc vel jurare. « Nam quod præter hæc est, » inquit, a malo est[1]. » Ab iis nihil amplius requirebatur, quam amare eos qui se amarent: nunc magnum hoc et præclarum, tam est imperfectum, ut eo perfuncti, nihilo publicanis præstemus.

CAPUT LXXXIV.

Merito eorumdem recte factorum non idem præmium nobis et antiquis propositum esse.

Cur igitur non idem præmium iisdem recte factis et nostris et antiquorum, propositum est, sed majorem virtutem exhibeamus necesse est, si eadem quæ illi consequemur? Quia nunc ingens Spiritus gratia effusa est, et magnum adventus Christi munus: adultos quippe pro infantibus reddidit. Itaque quemadmodum nos a pueris nostris puberibus majorem virtutem postulamus, et quæ in prima ætate facientes laudabamus, eadem si viri effecti præstent non æque admiramur, sed alia multo iis graviora edere jubemus: ita et ab humana natura Deus primo quoque tempore eximia quædam facinora non exigebat, ut quæ puerilius affecta esset: at ubi Prophetas Apostolos audivit, Spiritus gratiam consecuta est, virtutis ei magnitudinem auxit. Nec injuria. Nam et mercedem ampliorem, et præmia multo illustriora nunc proposuit: non enim amplius terra ac terrena, sed cœlum, et quæ intelligentiam superent, bona, perfunctos expectant. Annon igitur absurdum sit, adultos adhuc in eadem infantia persistere? Nam

1 Matth. v, 37.

humana tum natura adversum se factionibus divisa erat, bello ardens internecino. Atque id describens Paulus, ait, « Aliam video legem in membris meis repugnantem legi » mentis meæ, et captivantem me legi peccati, quæ lex est » in membris meis[1]. » At nunc hæc non sunt. « Nam quod » impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, » Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati » damnavit peccatum in carne[2]. » De iisque gratias agens Paulus dicebat : « Infelix ego homo, quis me liberabit de » corpore mortis hujus? Ago Deo gratias per Jesum Christum[3]. » Itaque merito punimur, soluti tandumdem currere, quantum impediti, nolentes. Quanquam ut tantumdem possimus, ne sic quidem pœna solvimur: Nam qui alta pace fruatur, longe majus et illustrius tropæum erigere par est, quam qui admodum bello premantur. Quod si in opibus, deliciis, conjugum studio, negotiorum cura assidue versamur, ecquando viri evademus, spiritu vivemus, Domini res curabimus? an postquam hinc migratum erit? at non id laborum ac certaminis, sed præmiorum et pœnarum tempus erit. Tum nec virgini oleum in lucernis non habenti[3], ab aliia sumere licebit, sed ea foris manebit : nec qui sordidis indutus astet, egressus mutare vestem poterit, sed ad gehennæ ignem abripietur[4] : nec si vel Abrahamum imploret, quidquam tum proficiet[5]. Quippe orta jam die propria, posito tribunali, sedente judice et manante quasi quodam ignis fluvio[6], habita actionum nostrarum quæstione, non jam flagitia eluere sinemur, sed ad supplicium iis debitum velimus nolimus trahimur modo, nullius tum precibus liberandi : sed quamvis quis pari fiducia sit cum magnis et admirandis viris, quamvis Noë, Job, Daniel sit, etiamsi pro liberis ac filiabus deprecetur[7],

[1] Rom. VII, 23. — [2] Id. VIII, 3. — [3] Id. VII, 24. — [4] Matth. XXV. — [5] Id. XXII. — [6] Dan. VII. — [7] Respicit ad Ezech, c. XIV, 14.

nihil agat, sed necesse erit peccatores immortales pœnas expendere, ut qui recte fecerunt, honorem inire. Nam neque his, neque illis finem fore Christus declaravit, ut vitam, sic supplicium æternum esse dicens : qui et dextris collaudatis, et sinistris damnatis ita subdit : « Abibunt hi in » pœnam sempiternam, justi vero in vitam sempiternam [1]. » Itaque hic serio laborandum est, et qui uxorem habeat, ei perinde agendum ac si non haberet : et qui vere non habeat, ei cum virginitate reliquæ etiam omnes virtutes exercendæ sunt, ne post ex hac vita decessum, incassum lamentemur.

[1] Matth. xxv, 46.

LIBER.

Ad viduam juniorem.

I. Gravem te quidem accepisse plagam, atque ad maxime vitalem partem jaculum superne immissum pervenisse omnes sane tibi consenserint, ac nemo ne ex iis quidem, qui valde philosophi sunt, contradixerit : verum quoniam male acceptos non in luctu, ac lacrymis omne suum tempus consumere oportet, sed vulnerum quoque curationi plurimum operæ, studiique navare, ne si despecta fuerint, majorem ipsismet lacrymis afferant plagam, atque ipso luctu vehementiorem flammam excitent; æquum profecto fuerit te eam, quæ per sermones adhibetur, consolationem non repudiare, ac lacrymarum fluvios parumper coërcentem ad breve saltem tempus iis etiam, qui te consolari aggrediuntur, te ipsam dare. Hæc enim causa est, cur et nos non in ipso luctus vigore, neque simul ac fulmen decidit, obturbaremus, sed cunctantes toto hoc intermedio tempore, ac permittentes te satiari fletu, quando jam a caligine illa paululum oculos attollere, atque aures iis, qui te consolari tentarent, præbere potuisti, tunc ipsi quoque post ancillarum sermones nostra adjungeremus. Nam cum adhuc tempestas magna est, et luctus viget, qui dolorem deponere suadet, is ejulatum magis provocat, nihil aliud lucri reportans, quam odium, multamque materiem ejusmodi oratione suppeditat igni, simulque de se, et inimici, et stulti hominis affert opinionem. Verum quando jam æstus ille desidere cœpit, ac violentiam fluctuum sedavit Deus, facile orationis vela pandemus. Nam

mediocri quidem tempestate poterit fortasse ars suum officium facere: at cum ventorum impetus invictus fertur, nihil loci est peritiæ. His adducti causis toto superiore tempore siluimus, ac vix nunc emittere vocem aggressi sumus. Audivimus enim a patruo tuo, confidendum posthac esse: nam et famulas, quæ paulo honoratiores sint, audere de his rebus prolixos inferre sermones; imo externas quoque mulieres, atque eas quæ aut genere tibi cognatæ, aut alia quavis ratione ad hoc munus obeundum sint idoneæ. Quod si illarum sermones admittis: valde confidimus, ac pro certo habemus fore, ut nostros non contemnas, sed quietem, ac tranquillitatem, quoad poteris, ipsis audiendis adhibeas. Sane muliebris sexus proclivior quodam modo ad concipiendum dolorem est; at cum præterea juventus adest, et viduitas immatura, et nullus negotiorum usus, et curarum magna moles, atque omne pristinum tempus in deliciis, hilaritate, divitiis insumptum est, multis partibus major redditur calamitas, ut nisi supernum adsit auxilium; periculum sit, ne a qualicumque irruente cogitatione dejiciatur: quod equidem vel præcipuum, ac maximum divinæ erga te curæ indicium censuerim. Nam quod tot repente concurrentibus malis non te ægritudo absorbuerit; nec de naturali mentis statu sis deturbata; non id humani alicujus auxilii fuit, sed omnipotentis illius manus, sed intelligentiæ illius, cujus non est numerus, sed prudentiæ illius, quæ investigari non potest, sed patris misericordiarum, ac Dei totius consolationis. « Ipse enim, inquit, » verberavit nos, et ipse sanabit nos, percutiet, et curabit » et sanos faciet nos [1]. » Quandiu enim tecum una vivebat beatus ille vir; capiebas quidem fructus honoris, curæ, studii, capiebas autem, quales ex homine capere par erat. Quoniam vero illum ad se vocavit Deus; ipse nunc illius

[1] Osee. x, 2.

loco se tibi substituit : neque hoc meum est, sed beati prophetæ Davidis, qui ita inquit : « Pupillum et viduam » suscipiet[1] ; » et alibi ipsum vocat patrem pupillorum, et judicem viduarum[2], omninoque hoc hominum genus magnæ ipsi curæ esse videbis.

II. Cæterum ne hoc nomen assidue usurpatum animum tibi dejiciat, ac rationem perturbet reputanti in ipso ætatis flore illud te subiisse, de hoc mihi primum disserendum proposui, atque ostendendum, non calamitatis nomen esse nomen viduitatis, sed honoris, et honoris quidem maximi. Neque enim tu mihi vulgi depravatam opinionem in testimonium afferas, sed beati Pauli, vel potius Christi decretum, ac legem. Quæ enim ille loquebatur, hæc per ipsum pronuntiabat Christus, quemadmodum et ipse dixit : « An » experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christi[3] ? » Quid igitur inquit : « Vidua eligatur non minus sexaginta » annorum, » et rursus, « Adolescentiores autem viduas de » vita[4], » utroque hoc præcepto rei nobis magnitudinem indicans. Nam de episcopis quidem præcipiens nullibi numerum annorum statuit, hic autem magnam adhibet accurationem. Quid ita? non quod viduitas sacerdotio major sit, sed quoniam majorem ipsæ, quam illi laborem sustinent, multis undique negotiis illas circumvenientibus publicis, et privatis. Etenim quemadmodum civitas mœnibus non circumdata, patet exposita omnibus, quicumque diripere eam voluerint; ita et puella in viduitate ætatem degens multos habet, qui undique insidientur, non solum eos, qui pecuniis animum adjecerunt, sed etiam qui pudicitiam ipsius violare student. Neque vero has tantum, sed etiam alias labendi occasiones in ipsam incurrere inveniemus. Nam et domesticorum contemptus, et res neglectæ,

[1] Psal. CXL, 9. — [2] Id. LXVII, 6. — [3] 2 Cor. XIII, 3. — [4] 1 Tim. V, 9 et 11.

et pristinæ dignitatis amissio, æqualium prosperitas, sæpe autem, et deliciarum cupiditas eo ipsas adduxerunt, ut secundis se nuptiis illigarent. Nec vero desunt, quæ legitimo quidem matrimonio viris se jungere minime velint, sed occulte, et clam. Id autem propterea faciunt, ut encomia viduitatis lucrentur. Ita non ignominiæ, sed admirationis, atque honoris plena res ipsa apud homines est, non modo fideles, verumetiam infideles ipsos. Nam et ego aliquando cum essem junior, doctori meo, erat autem ille omnium hominum maxime superstitiosus, animadverti matrem meam in multis magnam excitasse admirationem. Nam cum eos, qui sibi assidebant, more suo interrogasset, quis ac cujus ego essem; ac responsum esset, me viduæ mulieris esse filium; de me quæsivit ætatem matris, et viduitatis tempus. Cum primum vero audivit quadraginta annos natam esse, vigesimum vero jam annum agi, ex quo patrem meum amiserit; obstupuit plane, atque ad eos, qui aderant conversus, clara voce exclamavit: Papæ! quales mulieres apud Christianos sunt. Tanta non modo apud nos, sed etiam apud Gentiles viduitatis laus est, et admiratio. Quæ omnia considerans beatus Paulus dixit: « Vidua eligatur non minus sexaginta annorum[1]. » Neque vero ex hoc solo, quamvis gravi ætatis testimonio, continuo sinit, ut in sacrum hunc adlegatur chorum; sed alia addit ita scribens: « In operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes » lavit; si tribulationem patientibus subministravit, si omne » opus bonum subsecuta est[2]. » O diligentiam, atque accurationem in probando? Quantam a vidua requirit virtutem, et quam subtiliter omnia persequitur? hanc sane operam non sumpturus, nisi munus honestatis, ac dignitatis plenum illi commissurus fuisset. At vero cum dixisset: « Ado-

[1] 1 Tim. v, 9. — [2] Ibid. 10.

»lescentiores autem viduas devita;» causam quoque adjungit: «Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere »volunt[1].» His enim verbis illud nobis significat, mulieres, quæ viros amiserunt, in illorum locum aptari, et jungi Christo. Quo autem ostendat hanc conjunctionem esse suavem, ac lenem; vide quid dicat: «Cum enim luxuriatæ »fuerint in Christo, nubere volunt.» Quasi de viro quodam leni, ac probo loquens, quique non illis cum imperio utatur, sed libertate illas frui permittat. Nec vero hactenus orationem produxisse satis habuit; sed et aliunde rursus magnæ sibi illas curæ esse declaravit, ita scribens: «Nam »quæ in deliciis est, vivens mortua est: quæ autem vere »vidua est, et desolata, speravit in Deum, et instat obse»crationibus, et orationibus nocte ac die[2].» Et ad Corinthios scribens, inquit: «Beatior autem erit, si sic perman»serit[3].» Vides quanta viduitatis encomia: atque hæc quidem in nova lege, quando jam virginitatis decus summopere emicuit. Verumtamen neque hujus splendor viduitatis luminibus officere potuit, sed et ipsa elucet adhuc suam habens virtutem. Quotiescumque igitur inter dicendum viduitatis mentionem faciemus, ne animo concidas, nec rem turpem existimes. Nam si viduitas turpis, multo turpior virginitas. Sed non ita se res habet: absit. Quando enim eas, quæ viris adhuc superstitibus continentiam servant, omnes admiramur, et commendamus, cur non eas, quæ post virorum obitum eamdem illis benevolentiam præstant, laudibus et admiratione prosequamur? Donec igitur, quemadmodum dicebam, cum beato Therasio vivebas, cum ille tibi honorem, tuorumque commodorum studium præstitit, cujusmodi a viro expectanda erant. Nunc autem illius loco habes Dominum omnium Deum, qui cum antea tibi affuit; tum vero id nunc multo impen-

[1] 1 Tim. v, 11. — [2] Ibid. 5 et 6. — [3] 1 Cor. vii, 40.

sius, ac cumulatius faciet. Atqui providentiæ ipsius non minimum, quemadmodum antea dicebam: Indicium jam nobis dedit, in hoc curarum, atque doloris incendio incolumen te præstans, nec permittens, ut quidquam damni patereris. Qui autem tanta tempestatis vi incumbente naufragium fieri minime permisit, multo magis tranquillo jam mari custodiet animam tuam, et levem reddet viduitatem, atque ea, quæ ex ipsa oriri videntur mala.

III. Quodsi non viduitatis nomen te discruciat; sed talis viri jactura: ego etiam tibi plane assentior, in toto terrarum orbe paucos ex viris sæcularibus extitisse viri tui similes tanta humanitate, probitate, modestia, sinceritate, prudentia, pietate præditos. Verum, si quidem penitus interiisset, atque id nihilum abiisset, mœrendum, ac dolendum erat: sin autem ad quietum, placidumque delatus est portum, atque ad suum vere regem profectus est; nullus hic lacrymis sed lætitiæ locus est. Etenim hæc mors non est mors, sed migratio ac domicilii mutatio a deterioribus ad meliora, a terra ad cœlum, ab hominibus ad Angelos, et Archangelos, atque adeo ipsum Angelorum et Archangelorum Dominum. Nam hic quidem, dum in terris imperatori militabat, multa erant expectanda discrimina, multæ ab invidis insidiæ. Quo enim magis illius existimatio, et gloria augebatur; eo plures in ipsum excitabantur inimicitiæ. Illuc autem profecto nihil ejusmodi metuendum est. Quamobrem quantum luges, tam commodum, ac bonum, jussum esse ad Deum ire; tantum lætari oportet quod magna cum securitate, et gloria profectus, et a periculorum, quæ hic imminebant, tumultu liber in pace et quiete multa degat. Quam enim absurdum est fateri quidem cœlum terra longe melius esse, ac tamen eos, qui hinc eo commearunt, luctu prosequi? Nam si Beatus iste ex illorum hominum numero fuisset, qui turpiter, ac Deo

minime probati vixerunt; profecto non solum mortuus, sed etiam vivens, fletu prosequendus erat. Nunc vero, quando et ipse unus ex Dei amicis est, non solum viventi, sed etiam somnum suum dormienti gratulandum est. Audisti sane ex beato Paulo faciendum hoc esse, cum ita diceret, Longe satius est dissolvi, et esse cum Christo[1]. At forte voces illius audire cupis tuoque erga illum amore frui, et consuetudinem requiris, et gloriam, splendorem, decus, securitatem, quæ ab illo in te redundabant, atque hæc omnia periisse ægre fers, et quasi tenebras menti tuæ offundi sentis. Verum tuam quidem erga illum amicitiam æque tibi nunc, atque antea tueri licet. Talis enim est charitatis potentia: non solum præsentes, ac proximos, quique ob oculos versantur, sed eos etiam, qui longe absunt, complectitur, conglutinat, conjungit: ac neque temporis longinquitas, neque locorum intervalla, neque aliud hujus generis quidquam frangere, ac discindere animæ amicitiam potest. Quod si præsens præsentem intueri cupis; non enim me fugit id tibi esse maxime in optatis; custodi illi lectum alteri viro minime pervium, incumbe in eam curam, ut eadem in te, atque in illo vitæ probitas eluceat, ac sine dubio ad eumdem cum ipso pervenies chorum, atque una cum eo habitabis non quinque annos, quemadmodum hic, non viginti, non centum, non mille, aut bis mille, aut decem millia, aut multo plures, sed infinita sæcula. Regiones enim illas requiei deputatas non corporeæ cognationes, sed vitæ similitudo obtinebit. Nam si eadem suscepta vivendi ratio Lazarum Abrahæ ignotum in sinum illius adduxit, multosque facit ab Oriente, et Occidente cum illo recumbere: profecto te quoque una cum optimo Therasio locus quietis excipiet, si eamdem, atque ille, colere volueris vitam, tuncque ipsum non cum ea

[1] Philip. 1, 23.

corporis pulchritudine, qua præditus abiit iterum recipies, sed cum alio quodam splendore, ac venustate, quæ ipsos solis radios fulgore vincat. Etenim hoc quidem corpus, etiam si ad summum pulchritudinis gradum pervenerit, mortale tamen est. Corpora autem eorum, qui Deo placuerunt, tantam induent gloriam, quantam ne intueri quidem his oculis licet. Atque harum quidem rerum signa quædam atque obscura vestigia, et in Vetere, et in Novo Testamento nobis ostendit Deus. Nam illic quidem Mosis facies tanta fulgebat gloria, ut eam oculi Israëlitarum ferre minime possent. In Novo autem longe magis fulsit Christi facies. Quæro igitur ex te, si quis tibi pollicitus esset ei se totius orbis regnum traditurum, sed ob hanc causam jussisset viginti ipsos annos te secedere, atque iis transactis diademate, ac purpura ornatum eum tibi traditurum promisisset, teque in eodem, atque illum honoris gradu collocaturum : nonne secessionem istam æquo animo, et ea, qua decet, continentia tulisses ? nonne munus præclarum, remque omnibus votis optandam duxisses ? Patienter feras igitur et nunc, non regni terreni, sed cœlestis causa; non ut veste aurea, sed immortalitate indutum recipias et gloria, quantam eos, qui in cœlis degunt, habere consentaneum est. Quod si valde tibi intoleranda videtur temporis diuturnitas, verisimile est illum tibi interdum in somniis astare, et quæ consueverat tecum colloqui, et optatam faciem ostendere. Id te loco Epistolarum consoletur : quinimo id epistolis clarius est. In illis enim litteras tantum cernere licet : hic vero, et formam vultus, et risum tranquillum, et figuram, et incessum, et sonum audire, et amicam illam vocem agnoscere.

IV. Cæterum quoniam securitatis præterea ratio, quæ ex illo tibi aderat, te ad fletum impellit, fortasse etiam spes illæ, quæ sese ostendebant majoris dignitatis, et am-

plitudinis; audivi enim cito futurum fuisse, ut ille ad præfectorum thronum ascenderet, idque præcipue animum tuum excruciare puto; illos tibi ante oculos pone, qui cum ad majorem, quam ille, dignitatem evecti essent, miserrimum vitæ exitum sortiti sunt. Revocabo autem tibi in memoriam: Theodorum illum e Sicilia fortasse audisti (1): erat enim imprimis conspicuus. Hic et pulchritudine, et magnitudine corporis, et auctoritate apud Imperatorem omnibus præstans, qui ea poterat, quæ intimorum familiarium nemo, prosperam illam fortunam non moderate tulit, sed insidiatus Imperatori, ac deprehensus, ipse quidem valde miserabiliter obtruncatus est: ipsius autem uxor neque educatione, neque genere, neque ulla alia re nobilitati tuæ concedens, omnibus repente rebus suis spoliata, ac libertate amissa cubiculariis ancillis annumerata, ac nulla non ancilla miseriorem vitam agere coacta est, hoc uno cæteras antecellens, quod propter non comparabilem calamitatis magnitudinem, lacrymas eorum omnium, qui ipsam aspicerent, eliciebat. Fertur etiam Artemisia viro valde claro nupta, quoniam et ille tyrannidem affectavit, in eamdem incidisse paupertatem, ac præterea oculis esse capta. Nam magnitudo ægritudinis, et lacrymarum vis lumina extinxit. At nunc quidem hominibus eget, qui deducant, atque ad alienas portas adducant; ut hoc modo necessarium sibi victum comparare queat. Nec vero aliæ familiæ desunt itidem dejectæ, ac prostratæ, quas commemorarem, nisi probitatem, ac prudentiam tuam probe nossem, quæ minime ex alienis malis calamitati tuæ cupis solatium adhibere. Neque vero hæc exempla aliam ob causam commemoravi, quam ut intelligas res humanas nihil esse, vereque a Propheta esse dictum, « Omnis gloria hominis, ut flos fœni[1]. » Quo enim altius evehitur, atque

[1] Isaï. xl, 5.

emicat, eo majorem parit ruinam, neque iis solum, qui sub alieno imperio vivunt, sed etiam imperatoribus ipsis. Neque enim facile quis inveniat privatam domum æque refertam calamitatibus, ac regiæ malis redundant. Nam et orphaniæ, et viduitates immaturæ, et neces violentæ, atque iis quidem, quæ in tragœdiis narrantur, multo scelestiores, et acerbiores in hoc ipsum præcipue cadunt imperium. Atque, ut vetera omittamus, ex iis omnibus, qui ævo nostro imperarunt (fuerunt autem novem) duo soli communi morte vitam clauserunt. Reliquorum autem hic quidem a tyranno, ille vero in bello, alius domesticorum custodum insidiis, alius autem ab illo ipso, qui coronam, ac purpuram imposuerat, interfectus occubuit. Uxores vero illorum partim, ut ferunt, veneno interierunt, partim mœrore. Earum vero, quæ adhuc superstites sunt, altera quidem filium habens pupillum tremit, ac metuit, ne quis eorum, qui rerum potiuntur, metu futurorum, eum de medio tollat, altera vero vix multorum precibus ab exilio rediit, quo antea ab eo, qui rerum potiebatur, missa erat. Quod ad eorum autem qui nunc imperant uxores; altera ex pristinis calamitatibus respirans, voluptati magnum habet dolorem admistum, eo quod qui rerum potitur nimis juvenis, ac inexpertus sit, multosque habeat undique insidiantes: altera vero timore exanimata iis, qui capite damnati sunt, miseriorem vitam ducit, eo quod vir ipsius ab eo tempore, quo diadema suscepit, usque ad hodiernum diem in bello et præliis versetur, verecundiaque et probris, quibus undique afficitur, magis quam ex calamitatibus tabescat. Quod enim antea nunquam, nunc evenit, ut Barbari propriam relinquentes regionem, multa stadiorum millia regionis nostræ percurrerint, et agris incensis, captisque urbibus domum redeundi omnem cogitationem abjecerint. Ac perinde quasi choreas duce-

rent, non bellum gererent, ita nostros omnes irrident, et quemdam ex illorum regibus dixisse ferunt, mirari se impudentiam nostrorum militum, qui cum facilius quam oves soleant jugulari, adhuc victoriam sperent, neque ex sua regione velint excedere. Nam ipse quidem dixit, sese illis cædendis satietate sæpe captum esse. Quo igitur animo et imperatorem, et ipsius uxorem ista verba audientem existimas esse?

V. Et quoniam hujus belli mentio incidit, magnum mihi viduarum agmen occurrit, quarum aliæ olim ex virorum quidem dignitate plurimum splendoris acceperunt, nunc vero repente omnes nigra, ac luctuosa stola amictæ omne tempus in lacrymis ducunt. Neque illis hoc datum est, quod honorato tuo capiti. Tu enim, o admirabilis, et in lectulo jacentem vidisti honestum illum, et supremam audisti vocem, cum quibus modis res domesticæ administrandæ essent, te doceret, et testamento omnem alieni appetentibus ac sycophantis aditum obstrueret. Adde illud, quod jacenti mortuo sæpe incubuisti, et suaviata es oculos et amplexa es, ac luxisti, honestissimoque funere elatum vidisti: omnibus quæ decebat, erga illum officiis functa es, et justa persolvisti: et ad sepulcrum sæpe accedens non minimum habes tui doloris solatium. Illæ vero omnibus hujusmodi solatiis sunt destitutæ, cum omnes quidem ad bellum misissent viros suos tanquam rursus ipsos recepturæ, at pro illis tristem illorum mortis acceperint nuntium. Non enim quisquam corpora ipsorum afferens, sed verba tantum mortis genus narrantia, ad ipsas rediit. Verum sunt, quæ neque hac ipsa narratione dignæ fuerint habitæ, neque quomodo illi ceciderint, doceri potuerint, cum in magno cæsorum numero reliquis essent coacervati. Ecquid vero mirum, si multi ex ducibus hoc modo interierunt, quando et imperator ipse in vico quo-

dam cum paucis militibus conclusus, exire quidem, et sese invadentibus opponere minime ausus est, sed intus manens, accenso ab illis igne, una cum iis omnibus, quos secum habebat, combustus est; nec viris solum, sed etiam equis, et trabibus, et muris, et omnibus in unum atque eumdem cinerem abeuntibus? Atque hunc nuntium ii, qui una cum imperatore ad bellum profecti fuerant, loco imperatoris ipsius, ad uxorem reportantes redierunt. Nihil enim, nihil plane ea, quæ in mundo splendida sunt, ab iis, quæ in scena geruntur, atque a vernorum florum venustate differunt. Primum enim antequam appareant, evanescunt, deinde etiam si paululum temporis maneant, cito tamen ad interitum properant. Quid enim honore, qui a vulgo exhibetur, et gloria exilius, ac vilius? quem fructum, quam utilitatem afferunt? quonam bono exitu concluduntur? Atque utinam nihil aliud subesset mali: nunc vero præterquam quod nihil vere boni inde provenit, multas etiam molestias, multa damna assidue is ferre cogitur, qui se huic acerbissimæ dominæ subjecit. Domina enim est eorum, qui ipsam admiserunt, et quo majoribus blanditiis et assentationibus colitur a servis, eo magis sese contra ipsos erigit, et durioribus ipsos urget mandatis, eos vero, qui ipsam rejiciunt ac despiciunt, nullatenus ulcisci potest. Ita et tyranno, et fera qualibet immitior est. Nam tyrannus quidem et feræ, blanditiis sæpe mitescunt: hæc autem tunc maxime efferatur, quando ei maxime auscultaverimus, ac si dicto audientem inveniat, atque ad omnia obsequentem, nihil est præterea, quod imperare omittat. Habet vero et alteram belli sociam, quam non male fortasse quis ipsius filiam appellarit. Quando enim ipsa probe a nobis educata et aucta radices egerit, tunc arrogantiam parit, rem quæ nihilo minus quam mater animum quem ceperit, præcipitem agere potest.

VI. Hoc igitur, dic mihi, luges, quod ab hac durissima domina Deus te liberavit? quod omnibus his pestiferis morbis omnem obsepsit viam? Vivente enim adhuc tibi viro nullum in mentem tuam insultandi finem fecissent; mortuo autem, non habent unde in cogitationes tuas impetum faciant. Hoc igitur tibi posthac curandum, ac præstandum est, ut ne illarum discessum lugeas, neque acerbum illum dominatum expetas. Nam ubi illæ vehementius spirant, omnia funditus evertunt, ac prosternunt. Et quemadmodum meretrices, cum plerumque suapte natura deformes sint, ac squalidæ, frictionibus, et fucis incautos, et simplices juvenum animos illaqueant, et postquam in suam ditionem receperint, servis omnibus contumeliosius tractant: ita et hujusmodi affectiones, ambitio, et arrogantia quavis lue hominum animos magis inquinant. Hinc et multi divitias magnum bonum duxerunt: quare qui ambitionem ejecerit, neque a divitiis etiam capietur. Nam quibus licuit ob paupertatem consequi magnam gloriam, ii ditescere minime voluerunt, sed magnam auri vim sibi oblatam contempserunt. Atque hos minime ex me cognoscere necesse habes: ipsa enim longe melius, quam ego, nosti Epaminondam, Socratem, Aristidem, Diogenem, Cratem, qui suos agros in pecorum pastum reliquit. Nam alii quidem, cum non esset in promptu ditescere, exorientem sibi ex paupertate gloriam animadvertentes, facile in eam se partem dederunt. Hic autem et ea, quæ habebat, projecit. Adeo omnes hujus feræ belluæ sibi acquirendæ cupiditate insaniebant. Ne igitur queramur Deum ex hac turpi nos tyrannide, et ridicula, et multorum probrorum plena exemisse. Nomen enim solum splendidum est, res autem ipsa longe alios, atque appellatio ipsa polliceatur, amatores suos reddit, ac nemo est, qui gloriæ causa quidpiam agentem non irrideat. Ille enim solus sus-

piciendum se præbere, et gloria circumfluere poterit, qui eo minime spectat. Qui autem magnum quiddam putat gloriam a multis delatam, atque illius consequendæ causa omnia facit, et patitur, is potissimum ab ea longe aberit, ejusque expers erit; rerum vero gloriæ adversantium maxime particeps, irrisionis, criminationis, maledictorum, offensionis, odii. Neque in viris tantum id usuvenit, sed etiam in vobis mulieribus, atque multo magis. Nam quæ et figura, et incessu, et vestitu simplicem quamdam bonitatem præ se fert, et a nemine honorem aucupatur, eam omnes admirantur, suspiciunt, prædicant, omnibus bonis ominibus prosequuntur: vanæ autem gloriæ cupidam aversantur, oderunt, et veluti belluam quamdam agrestem fugiunt, sexcentas in illam execrationes, et contumelias conjicientes. Nec vero his duntaxat malis nos eripimus vulgarem gloriam contemnentes, sed et ea, quæ omnium maxima sunt, lucramur, dum præter ea, quæ dicta sunt, paulatim erudimur respirare, et aspirare ad cœlum, et terrena omnia despicere. Nam qui delato ab hominibus honore minime egere se putat, quidquid boni faciet, magna cum securitate faciet, neque aut adversis, aut secundis hujus vitæ rebus quidquam incommodi sentiet. Neque enim aut adversæ illum dejicere, atque obruere possunt, aut secundæ inflare, ac tumidum reddere, sed in rebus maxime caducis ac fluxis ipse omnis mutationis expers manet. Quod celeriter et in tuo ipsius animo eventurum spero, confestimque terrenis omnibus abjectis cœlestem te nobis vivendi rationem repræsentaturam, gloriam vero, quam nunc defles, paulo post irrisuram, et vanam, ac futilem illius personam illusuram. Quod si pristinam, qua per illum potiebaris, securitatem desideres, et bonorum custodiam, nec patere velis eorum insidiis, qui alienis calamitatibus insultant, « Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enu-

»triet[1]. Inspicite enim, inquit, in antiquas generationes, »et videte si quis speravit in Domino, et confusus est, vel »si quis invocavit illum, et despectus est, vel si quis stetit »in mandatis ejus, et derelictus est[2]. » Nam qui onus tam intolerabilis calamitatis levius reddidit, et in præsenti tranquillitate te collocavit, is et quæ imminent, propulsabit. Nam hac quidem plaga nullam te unquam graviorem posse accipere profecto nobis assentieris. Quando igitur præsens malum adeo fortiter, ac generose tulisti, idque cum te usus nondum docuisset, multo magis ex iis, quæ accidere possunt, si quid præter voluntatem nostram acciderit, quod Deus omen avertat, facile feres. Cœlum quære, et omnia quæcumque ad vitam illic degendam conducunt, ac nihil eorum, quæ hic fiant, lædere te poterit, ne ipse quidem tenebrarum imperator, dummodo ne nobis ipsi noceamus. Nam et si quis bonis spoliet, et si corpus concidat, nihil horum ad nos, modo animus nobis incolumis maneat.

VII. Omnino autem si vis pecunias ab omni periculo tutas custodire, et amplificare, ego sane et modum, et locum demonstrabo, quo nulli eorum, qui insidiari solent, fas est irruere. Quis igitur locus est? cœlum : mitte illas ad optimum illum virum, ac neque fur, neque insidiator, neque ulla alia pestis impetum facere in illas poterit. Si ibi has ipsas pecunias defoderis, magnum ex his lucrum reportabis. Omnia enim quæcumque a nobis in cœlis seruntur, longe majorem, ac meliorem proventum habent, ac plane talem, qualem consentaneum est ex iis, quæ in cœlis radices egerunt. Quod si hoc feceris, vide qualibus frueris bonis : primum quidem sempiterna vita, et iis, quæ promissa sunt diligentibus Deum, quæ neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt[3] :

[1] Psal. LIV, 23. — [2] Eccli. II, 12. — [3] I Cor. II, 9.

deinde consuetudine optimi viri tui in omne ævum: postremo a curis, timoribus, periculis, insidiis, simultate, odio, quæ hanc vitam exercent, te ipsam liberabis. Quandiu enim pecunias apud te retinebis, erunt fortasse aliqui, qui fraudibus intervertant; sin autem ad cœlum transmiseris, periculis vacuam, tutam, ac tranquillitatis plenissimam vitam vives, quippe quæ sufficientia una cum pietate frueris. Magnæ enim dementiæ est, si agri quidem emendi sint, feraciorem terram sectari, cum vero cœlum terræ loco sit propositum, cum ibi liceat prædium sibi comparare, terræ potius inhærere, seque molestiis, quæ ex hac sæpe incidunt, exponere: sæpe enim nostram frustratur spem. Quoniam vero illud graviter percellit, concutitque animum tuum, quod sæpe sperasti fore, ut is ad præfectorum dignitatem eveheretur, ideoque magistratum illi quodam modo ereptum doles, primum illud quidem fac tecum cogites, licet valde explorata esset hæc spes, attamen humanam fuisse spem, quæ sæpe fallere sit solita, ac multa hujusmodi in hac vita quotidie evenire cernimus: ut cum ea, quæ valde sperantur, minime exitum inveniant, ea, quæ neque in mentem venerunt, ad finem sæpenumero perducantur: sive ad imperia, sive ad regna, sive ad hæreditates, sive ad matrimonia, sive alio animum intendamus. Quocirca quamvis prope adesset tempus, tamen, ut in proverbio est, « Multa sunt inter calicem, et » summum labium. » Ac sane Scriptura ipsa inquit: « A » mane usque ad vesperam immutatur tempus [1]: » sic et rex, qui hodie est, cras moritur. Ac rursus quam incerti rerum exitus sint, nobis declarans hic ipse Sapiens, inquit, « Multi tyranni sederunt in solio, et insuspicabilis porta» vit diadema [2]. » Non igitur exploratissimum erat, si vixisset, ad eum dignitatis gradum perventurum. Nam incertus

[1] Eccli. XVIII, 26. — [2] Id. XI, 5.

futuri eventus, atque alia etiam erant, quæ nobis suspicionem injicerent. Unde enim manifestum erat, si vixisset, ad magistratum illum evectum iri: nullaque adversa eventura esse, verbi gratia, ut morbo correptus, aut invidia, ac malevolentia eorum, qui prosperitatem illius non ferrent, circumventus, vel aliqua alia calamitate affectus, præsenti etiam dignitate privaretur? Sed ponamus exploratum fuisse, si diutius vixisset, ad illud fastigium perventurum: at certe, quanto major dignitas, tanto majoribus periculis, curis, insidiis necessario suberat. Cæterum absint et ista, ac sine periculo summaque cum tranquillitate illud navigarit pelagus: ecquis finis, dic mihi, manebat? annon idem, qui nunc? aut potius non idem, sed alius fortasse, tristis nimirum, ac votis omnibus fugiendus? Primum quidem tardius vidisset cœlum, et ea, quæ in cœlis sunt, quod iis, qui res futuras fide, et spe præceperunt, non minimum damnum est. Deinde, quantumvis pure vixisset, attamen vitæ longitudo, ac necessitas quædam in illum magistratum incurrens, non æque integrum, et purum abire hinc permisissent, atque hoc tempore. Incertum quoque et illud, an forte multis modis immutatus, ac negligentiæ deditus, extremum emisisset halitum. Nam nunc quidem confidimus Dei gratia illum evolasse ad locum quietis, quod nullam ex iis culpis in se admiserit, quæ a regno cœlorum excludunt: tunc vero publica negotia plerumque tractans, fortasse multas ad se attraxisset sordes. Nam tot undique malis circumstantibus, rectum tenere cursum rarum admodum est; peccare autem, et per imprudentiam, et sponte, valde usitatum, ac quotidianum. Nunc vero a timore isto longe absumus, ac magnopere confidimus venturum in die illa plenum gaudii et splendoris proximum Regi, atque una cum Angelis præeuntem Christo, gloria amictum ineffa-

bili, et judicanti regi assistentem, et in præstantissimis muneribus ministrantem. Quamobrem misso jam fletu, et ejulatu eamdem vivendi rationem, imo accuratiorem tene, ut eamdem atque ille, adepta virtutem, in idem etiam cum illo tabernaculum recipiaris, ac rursus conjungi cum illo queas in sempiterna illa sæcula, non hoc matrimonii nexu, sed alio quodam longe meliore. Hic enim corpora tantum copulat, ille vero multo elegantior, jucundior, melior animam animæ jungit.

LIBER.

Quod regulares fœminæ viris cohabitare non debeant.

I. Heu me, o anima[1] ! Sic enim ego quoque nunc cum Propheta tempestive dico, et semel et iterum, ac sæpius, Heu me, o anima! quale negotium , et quanta indigens philosophia! Virginitas injuria est affecta , velum quod eam a nuptiis separabat, sublatum est, et ab impudentissimis manibus dilaceratum. Sancta sanctorum conculcata sunt , honesta et reverentiæ plena profanata , et omnibus pervia. Quæ honestior nuptis erat, adeo depressa est et humiliata, ut nuptas magis dicere beatas liceat. Semper quidem virginitas cum conjugio comparata primas partes tenuit, et omnem dignitatem : nunc autem neque in secundo ordine manere potuit, sed valde procul, et plane in ultimum concessit ordinem : et quod multo gravius, non hostes , neque inimici, sed ipsæ potissimum quæ illam colere videbantur, eam sic affecerunt, et eæ, quibus fulti adversus infideles hactenus libere loquebamur, illæ ipsæ ora nostra maxime obturant, et multa ignominia suffundunt. Inter Græcos sane quidam licet pauci ita philosophati fuerunt, ut opum essent contemptores, et iram vincerent : virginitatis certe flos nullo modo apud illos fuit, in qua semper concesserunt nobis primam dignitatem, fatentes rem supra naturam esse, et non humanam. Eapropter illis omnibus summæ admirationi fuimus : sed nunc non item, quin potius deridont, et in fabulam vertunt. Ideo diabolus ita contra hunc gregem spiravit, quoniam vidit in hac

[1] Vide D. Guillon, tom. XVIII, p. 279-294.

potissimum phalange fulgidum Christi exercitum : sicque tentavit ipsam confundere, ut posthac melius sit, ne virgines quidem esse, quæ ita rem hanc suscipiant. Causa malorum omnium, quod nomine solum tenus res consistat, et negotium totum in ore circumscriptum sit, quod scilicet minima virginitatis pars est : quæ autem plus necessaria, et ipsam magis demonstrant, neglecta sint, et nulla ratio habeatur vestium, quæ virginitatem decent, vel silentii, vel compunctionis, vel alicujus id genus. Quin temere nugantur omnia, et rident intempestive, et tumultuantur, et in deliciis magis vivunt, quam mulieres, quæ in fornice prostant, dum spectatores technis suis undique pelliciunt, et in meretricum turpitudinem se conjicere conantur, ac si cum illis concertent, deque turpitudinis gloria contendant. Unde enim, dic mihi, poterimus postea talem virginem ordine illarum et societate eximere, quando scilicet adolescentum corda in fraudem illicit, quando et ipsa idem facit, quod illæ; quando petulans est et intemperans, quando eadem venena porrigit, eadem pocula miscet, eamdemque parat cicutam? Sed non dicit : « Veni, amore involvamur : » nec dicit, « Aspersi cubile meum croco et lectum meum cinna» momo [1]. » Utinam cubile et lectum, non vestes et corpus. Illæ enim domi escam occultant, tu ubique laqueum circumfers, et expandis voluptatis alas obambulans in foro. Sed non dixisti, neque contulisti verba illa meretricia, « Veni, amore involvamur. » Non dixisti lingua, sed dixisti habitu : non locuta es ore, sed locuta es gressu : non invitasti voce, sed invitasti oculis clarius, quam voce. At postquam vocaveras, non te obtulisti? Neque sic a peccato liberaris. Est enim et hæc alia fornicationis species. Pura mansisti ab injuria corporis quidem, sed non animæ,

[1] Prov. VII, 17.

et completum est a te peccatum, etiamsi non per coïtum, sed per aspectum. Cujus enim gratia vocas prætereuntes? cur accendis ignem? Quomodo putas te puram a peccato, cum totum ipsum opus operata sis? Etenim cum adulterum feceris perfectum eum, quem tuo isto habitu cepisti, quomodo potes non esse adultera, cum opus tuum adulterium esse deprehendatur? illius insania tuum opus est. Profecto te quæ adulteros præparasti, adulterii supplicium minime posse effugere, nulli non manifestum. Tu gladium acuisti, tu dextram armasti, tu armatam dextram in miseram animam impulisti : quomodo igitur poteris ab homicidii supplicio liberari? Dic enim, quosnam habemus odio, et aversamur? quos autem puniunt legislatores et judices? num eos qui bibunt mortifera venena, an miscentes calicem, præparantes ea, arteque sua perdentes alios? Nonne bibentes quidem, utpote injuria affectos, miseramur, veneficos autem omnibus calculis condemnamus? nec sufficit eis ad excusationem dicere, Non me ipsum læsi, sed alium perdidi : sed propter hoc tanto graviorem luunt pœnam. Tu autem misera et calamitosa, miscuisti calicem hunc perniciosum, et præbuisti et dedisti pharmacum : et postquam bibit, et perditus est, defensam te putas, quia non ipsa biberis, sed alteri præbueris venena? Quanquam et vos tanto graviorem luetis pœnam, quam pharmacopolæ illi, quanto et mors gravior. Non enim corpus solum, sed et animam interimitis. Et illi quidem sæpe vel furore, vel ira hoc faciunt, vel inopia : vos autem ad nullum talem confugere prætextum potestis. Neque enim hoc facitis inimicis, vel eis qui nocuerunt, vel ob inopiam : sed ob solam vanam gloriam in alienis luditis animabus, et ex aliorum morte voluptatem propriam constituitis.

II. Sed nescio unde, ut hæc dicerem, huc sum appul-

sus, propter quod redeundum ad id unde digressus sum. Nam quasi non sufficerunt hæc in totius fœminei generis confusionem, et aliud quiddam majus excogitaverunt. Sed nemo hæc de omnibus dicta putet; non enim tam miser sum, ut simul omnia commisceam et confundam. Nam de his quæ culpis obnoxiæ et hæc dicta sunt, et quæ postea dicentur. Quasi igitur non satis damnosa essent hæc, viros sibi minime cognatos secum includunt, et omni tempore contubernales faciunt, quasi demonstraturæ et per hæc, et per ea quæ dicta sunt, quod invitæ ad virginitatem raptæ sint, et extremam vim sustinuerint, et hac ratione consolentur vim et necessitatem. Quid igitur? Annon his deteriora, cum hac contingunt, dicuntur ab amicis et familiaribus? Permittendæ-ne sunt illæ vivere et respirare, et non potius dissecandæ mediæ, vel vivæ cum illis ipsis tumulandæ? Etenim et hæc et his multo plura omnes dicunt. Cæterum et frequens, et quotidianus est cursus obstetricum ad virginum domus, quasi ad parientes, non quod obstetricentur parienti, quamvis contigit in aliquibus etiam hoc, sed quod probentur et judicentur sicut emptæ ancillæ, quænam corruptæ, vel quæ intactæ : et illa quidem facile obediit probationi : hæc vero contradixit, et hoc ipso confusa abiit, etiamsi non corrupta sit : et hæc quidem deprehensa est, illa vero non; sed hæc non minus quam illa confunditur, cum non possit digna fide ex moribus comprobari, sed opus habeat externo examinis testimonio. Quantis lacrymis hæc non sunt digna? quantis non digna mortibus? quis autem sic lapideus, et durus, ut non accendatur zelo sicut Phinees? Et ille quidem si suo tempore hanc turpitudinem vidisset, non ipsis pepercisset, sed fecisset idem quod in Madianitide olim fecit [1] : nos autem cum nobis non sit permissum arripere

[1] Num. xxv, 14.

gladium, neque lancea confodere eos qui ista perpetrant, affecti certe sumus sicut Sanctus ille, non facimus autem eadem, sed dolori aliter succurrimus, ploratibus scilicet ac lamentis. Venite ergo, dolorum ac gemituum sociæ estote, quotquot ab hac obscœnitate estis alienæ : nam calamitosæ et miseræ illæ forte in tanta sunt miseria, ut mali dolorem ullum non sentiant. Sed vos quæ hanc suscepistis vitam, dignæ factæ thalamo et sponso, lampades claras gestatis, et honesto virginitatis serto magis ornatæ, quam corona regia, lacrymas fundite nobiscum, et amare simul ejulate : nam hoc non parvum est remedium et ad curandos eos qui incurabiliter ægrotant, et ad consolationem lugentium. Hoc ipsum aliquando et sponsus vester fecit. Nam cum videret Jerusalem in extremam perditionem inductam [1], ita ut non posset jam ab infirmitate reduci, lacrymas fudit : et in Bethsaïda admonitione quidem non est usus, neque signis, miserans autem civitates solum, Væ subinde inclamavit, sicut et nos facimus in iis qui animam jam efflant. Item beatus Paulus exemplo magistri sui non cessavit per omnem vitam suam eos, qui exciderant, et qui in ruina sua manserant, et resurgere postea noluerant, deplorare tam amare, ut hac valida determinatione significaret et scriberet Romanis dicens : « Tristitia mihi est magna, et continuus dolor cordi meo. » Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fra» tribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui » sunt Israëlitæ [2]. » Vides quantam habeant verba emphasim, quantam anxietatem cordis præ se ferant? Insuper fideles claudicantes, et tempestatibus depressos sic deplorat, quasi ipse eadem mala experiretur. « Quis enim, » ait, infirmatur, et ego non infirmor ? quis scandalizatur, » et ego non uror [3] ? » Et non dicit, tristor : sed, uror, into-

[1] Luc. XIX, 15. — [2] Rom. IX, 2, 3. — [3] 2 Cor. XI, 29.

lerabilem et incredibilem dolorem per incendium enuntiare volens. Imitemur igitur etiam nos et Dominum nostrum et conservum. Nam nobis horum gemituum non parva erit merces : sicut neque vulgariter reprehenduntur a Deo, qui absque commiseratione suorum membrorum mala prætercurrunt. Et illud quidem apud patientissimum Ezechielem, hoc vero apud beatum Michæam videre licet. Ille enim dicit, cum Judæi in extremum malorum venissent, et sponte idolorum cultu se coinquinassent, imperasse Deum dari signum super facies virorum gementium, et dolentium super iis quæ fiebant. Neque enim simpliciter gemere oportet, sed et dolere: quam vis nihil unquam dixerint vel fecerint illi ad correctionem eorum quæ fiebant : sed quoniam sua intulerant solum, tantum adepti sunt honorem a misericordi Deo, ut et securitatem et gloriam multam assequerentur. Michæas autem cum aliis reprehensionibus (2), comessationis et ebrietatis, et inunctionis unguentorum, aliud adjicit crimen, nempe defectum commiserationis, sic dicens? « Neque compatiebantur super contritione Joseph[1], » et eos qui habitabant civitatem Ænan propter hoc reprehendit, iterum dicens : « Quod » non exivit ut ploraret domum contiguam[2]. » Si autem ubi Deus irascitur, reprehendit eum qui non compatitur ei qui punitur, qua venia dignus erit, qui non condolet cum eo, qui in peccatum prolapsus est ? Neque mireris, si oporteat nos simul dolere cum iis qui puniuntur, quamvis Deus puniat : neque enim Deus ipse qui punit, vult hoc facere. « Non enim voluntate volo mortem peccatoris[3], » inquit. Si igitur qui vindictam sumit, non vult vindictam sumere, multo magis nos condolere oportet iis qui puniuntur : forte hac via illos eripiemus, forte recuperabimus. Nam licet perierint, tamen curam quæ reliqua est geramus, la-

[1] Amos. VI, 6. — [2] Mich. I, 11. — [3] Ezech. XVIII, 23.

crymemur, et ploremus, non mulierum choros inducentes, sed unusquisque privatim apud semetipsum, non præsentibus illis. Si autem vultis, ipse incipiam luctuosum hoc canticum : neque enim pudet me cum Jeremia hoc facere, et Hesaïa, et Paulo, et imprimis cum Domino nostro. Incipiamus igitur sicut Christus incœpit primum, et dicamus : Væ tibi, anima : ad quam vocata dignitatem per benignitatem et misericordiam Dei, quàlem accipies locum propter ignaviam tuam? Væ tibi, quia ipse te ad thalamos traxit spirituales; tu autem te ipsam ab hac gloria abrupisti, et inducta es in diaboli ignem, et ad gravissima supplicia, ubi fletus et stridor dentium, ubi nullus consolaturus est, nec manum porrecturus : sed tenebræ omnia, et perplexitas, et turbatio, et mala neque consolationem neque finem habentia. Hæc tibi omnia mundi amor peperit, quia prætulisti cœlo terram, et noluisti audire vocem sponsi assidue admonentis, ut nihil nobis esset cum præsentis sæculi rebus commune. Quis te miseram et calamitosam miserari potest posteà? Nam etsi ipsum videas Noë, qui in communi totius orbis diluvio totam domum salvavit, in hac ira patrocinantem, etsi Job, etsi Danielem, cumque illis Mosem et Samuëlem, etsi patriarcham Abraham, nullus tibi manum porriget : etiamsi genere illum attingas, etiamsi filia sis, etiamsi soror : etiamsi supplices multum, sicut dives ille, omnia frustra et in vanum facies. Quomodo excidisti e cœlo, quæ non Lucifer es, neque mane oriens [1], sed ipsis solis radiis plus splendere potuisses? Quomodo sedes deserta? Atque adeo haud quis aberrarit, si in hanc majori captivitati traditam animam et plura lamenta, quam quæ in civitatem illam dicta sunt, transferat.

III. Sed forte lamentorum satis, satis, inquam, ut

[1] Isaï. XI, 12.

scriptura libellusque ferre potest: alioquin ad condignam animæ tot malis oppressæ deplorationem neque omne tempus nobis sufficeret. Quid enim quis deploraret primum? an quod venerabile et sanctum, et magnum nomen Dei per vos blasphematur in gentibus, et ipsius gloria profanatur? an quod tam venerabilis et magna res in invidiam adducitur? an quod multæ animæ per vos tot scandalis perduntur? an quod sana dars chori vestræ gloriæ macula fœdatur? an quod inextinguibilem et vobis, et cohabitantibus vobis accenditis ignem? Et quomodo necessarium est, ut hæc fiant, inquit, cum possimus ostendere corpus nostrum non corruptum, neque vitiatum? Verum hæc demonstratio, non nunc, sed in die illo erit manifesta. Obstetricis enim ars et sapientia hoc solum potest videre, an congressum viri corpus tulerit: an vero tactum inhonestum, et adulterium ex oculis et corruptionum amplexibus effugerit; dies illa tunc declarabit, quando vivus Dei sermo, qui occulta hominis in medium adducit, et præsens nunc his quæ clam fiunt, omnia nuda et aperta ante omnium oculos ponet: tunc sciemus bene an ab his sit purum, et undequaque incorruptum corpus tuum. Atqui de his non tam exacte loquemur, neque contendemus: sed ponatur, superatis omnibus retibus, esse corpus undequaque purum, ab omnique damno liberum, et maneat virgo quæ virgo: quid hoc ad ea quæ dicta sunt a nobis? Etenim hoc omnium gravissimum est, et plurimis dignum lacrymis, quod tantum undequaque sustinuerit laborem, diligenter observarit corpus, et omnem laborem evacuaverit, et sudorem effuderit, propter blasphemiam in Christum, cumque pepercerit carni, non pepercit gloriæ Dei, sed ut intactum ipsi maneret corpus, omnia fecit: ut autem ille non afficeretur contumelia, nec dehonestaretur apud multos, ne ullam quidem curam habuit. Utinam non

omnia fecisset, nec operam dedisset, ut gloria Dei infamaretur. Et quomodo hoc facio, inquit? quia viros tecum in domo inclusos semper tibi assidentes habes. Nam si viros habere cohabitatores concupiscis, non oportebat virginitatem eligere, sed ad nuptias transeundum erat: multo enim melius sic nupsisse, quam illo modo virginem profiteri fuisset. Nam illas nuptias neque Deus condemnat, neque homines reprehendunt. Honesta enim res est, neminem offendens, neminem lædens: virginitas autem illa cum viris plus ab omnibus arguitur, quam fornicatio ipsa. Namque suum perdit ordinem, et in profundius, quam sit fornicationis, barathrum ejecta est. Non enim aliquis feret cum virginibus numerari eam, quæ non curat quæ sunt Domini, et multos reddit adulteros; neque cum nuptis. Illa enim curam habet, quomodo placeat viro uni : tu autem ut innumeris, et iis qui non lege conjugii noti, sed alio quodam modo ab omnibus condemnato et rejecto : unde vereor ne ab utroque loco excidens, in mulierum inhonestarum ordinem redacta videaris. Etenim ab appellatione ipsa si quis rem dijudicare velit, ipsi contradicere nihil possimus. Nam si quando in forum se conferant, vel alias sermo domi de ipsis sit apud eos, qui disputant de absurda hujusmodi copulatione, significare volentes illam, hujus vocant, non matrem, neque enim illum peperit; neque sororem, non enim ex eodem utero prognata est ; neque conjugem, non enim lege conjugii cohabitant ; neque alio quopiam cognationis nomine, quod concessum vel lege permissum sit; sed turpi quodam ac ridiculo. Non enim ego quidem tulerim ipsum nominare, sic exosam habeo et aversor hanc appellationem, et præponitur mihi etiam contubernii cognomen. Sed non peperisti, nulli tolerati partus dolores : et quid hac defensione fœdius? quid item miserius quam quod ab iis vult apparere virgo, ad

quæ et multæ fornicatrices mulieres confugere possunt? Sed illæ, inquit, aliunde arguuntur quod libidini vacent. Unde aliunde, dic mihi? a vestitu, a visu, a gressu, ab amatoribus quos capiunt? Bene quidem nobis depinxisti scorti characterem: sed vide ne his conjecturis et argumentis, antequam illas, te ipsam capias. Etenim et tu tibi ipsi tales sæpe præparas amatores, atque per eadem retia. Quod si non vocas in domicilium prætereuntes, at habes intra conclusos semper, quod multo gravius, ob nihil quidem aliud, quam ut absurdam voluptatem impleas, et illius et tuam, non congressum inquam. Sed quid inde lucri, quandoquidem mutuis aspectibus istud ipsum contingit? alioqui si hoc non est, neque adulterium istud committitis, quare ipsum habes domi? Quam causam justam et rationabilem nobis dices? Nupta enim nuptias dicet; scortum, libidinem; tu autem virgo qualem nobis causam narrabis dignam quæ proferatur, et justam?

IV. At cur curiose inquiris, inquit, cum non simul dormiant, neque nobiscum congrediantur, ut illis mulieribus illi? imo hoc potissimum plerique affirmant. Verum quid hoc dicit contra suum caput? an vero contra suum tantum caput dictum hoc sit, postea inquiremus. Et jam quidem manifeste demonstratum est, cum de viris diceremus, quod non solum qui maledicunt, sed et qui occasiones temere præbent in causa quæ agitur, rei sunt supplicii: verumtamen hoc ipsum denuo demonstrabimus. Jam autem si te rogavero causam hujus contubernii, num aliquam dicere potes? Infirma sum, inquit, mulier, neque sola valeo meo usui sufficere. Enimvero cum hæc cohabitatoribus vestris objicimus, ab eis contraria audimus, nempe quod propter suum ministerium vos teneant. Quomodo igitur quæ ex abundanti viris etiam solatio esse potestis, vobis mulieribus subsidio esse non po-

testis, sed aliis indigetis? Nam sicut vir viro, ita mulier mulieri commodius et rectius utique cohabitarit. Quando autem et viris ad ministerium commodiores estis, multo magis vobis ipsis. Ad quid enim, quæso, necessaria et utilis viri societas? aut quale ille mulieri exhibebit ministerium, quod non possit mulieri mulier? Num telam tecum texere vel tramam nere cum stamine ille magis poterit quam mulier? Annon contra se res habet? Ille enim etiamsi vellet, non utique sciret, nisi forte nunc id ipsos docueritis: quippe mulieris solius hoc opus est. Sed vestem lavare, ignem accendere, et ollam fervefacere, etiam hæc non minus, sed melius quam vir, mulier efficere potest. Quomodo igitur utilis vir, dic quæso? An quando vendere aut emere oportet? sed neque hic mulier valet minus quam vir, et testabitur utique forum, et omnes quotquot vestimenta emere volunt, a mulieribus plerumque emunt. Quod si turpe virginibus in foro stare in commerciis, sicut et turpe est: quanto magis cohabitare viro, turpius? verumtamen et hoc minus quam illud effugere potest. Nam hæc vel puellæ quæ ministrat, vel vetulis quæ ad hæc idoneæ sunt, rectius commiserim: unde palam est hæc prætextus et effugia esse ac tegumenta infirmitatis. Qualis infirmitatis velamenta? inquit. Nam si concupiscerem virum et nuptias, et id genus vitæ, quis prohiberet? Annon adesset libertas ut hoc facerem, quo neque offenderetur Deus, neque ipsa ab hominibus redarguerer? Etenim et ego hoc dico, et non tam tua quam mea sunt verba. At necesse dicere, ubi tibi viri usus tantopere necessarius, vel cum monstrare non possis, ejiciatur is, qui male cohabitat: nam ab hac contumelia absolvi aliter non potes. Hæc enim quæ dicebas, non tua magis sunt, quam eorum qui turpitudinem tuam dolent. Oportebat quidem, tametsi plurimum utile esset, viri ministerium cum tanto

convicio non admittere. Nam quando Dei gloria dedecore afficitur, nullus tam necessarius esse poterit prætextus, ut persuadeatur contemni tantum malum. Quinetiam si millies in die sit moriendum, ne hoc fiat, cum multa voluptate hoc sustinere oportebat, multo minus quietis vel mundani usus gratia, negligendum erat malum. Audi igitur quomodo idipsum timuit Paulus, et tremuit, et quam vehementer. « Bonum enim mihi est mori, ait, quam » gloriam meam ut quis evacuet[1]. » Sane ille, ut ne evacuaret suam gloriam, mori elegit : nos autem ut scandala tollamus, neque parvum commodum contemnimus? et quomodo poterimus unquam salvari, cum non sit par, neque accedat prope, laude privari, et in crimen incidere? Ille enim etsi hoc fecisset, non offendisset Deum : ipse namque ei constituerat ex Evangelio vivere : attamen malebat mori, quam tam bonum opus relinquere : nos autem turbantes ea quæ ubique sunt ordinata, licet sciamus quod maximam propterea luituri simus pœnam, neque consuetudinem frigidam et intempestivam despici patimur, et quæ tandem nobis erit venia? Oportebat igitur, etsi virum unum multi usus requirerent, ut antea dicebam, tanta vero inde nasceretur contumelia, eligere mortem potius, quam hoc contemnere. Cum autem per mulierem commodius et facilius hæc omnia perfici possint, quæ vobis erit venia sic delicate agentibus, et contra salutem vestram vos fœdantibus? Dic item mihi, quando tibi hæc ille exhibet, annon exhibebis etiam illi vicissim aliquod ministerium? Nulli non manifestum. Et quanto melius non retribuere talia, neque vicissim accipere, sed tempus laborum, quod in illius quietem impendis, hoc in tuam insumere, quam graviter laborantem tuam existimationem confundere? Sed nullum ipsi exhibes ministerium. Ergo ipsum sibi ipsi omnia ministrare necessarium, et sternere

[1] 1 Cor. IX, 15.

lectos, et coquere, et ignem accendere, et alia id genus facere. Hæc neque famulus ferret ita ministrans, et nihil commodi a domino accipiens. Sed hic fert omnia, inquit, propter timorem Domini et repositam huic ministerio mercedem, et gratiam habebit, qui imperio subest, cum nihil illi sit utilitatis ex nobis. Unde igitur postea impudentium obturabimus ora? Etenim si tantam ipsa ejus testaris pietatem, et sic tremit et veretur Dei mandata, ut se ipsum plusquam vilissimum mancipium despiciat, omniaque tibi exhibeat, nullum inde capiens fructum: ante omnia oportebat ipsum rationem habere gloriæ, et honoris Dei: nunc autem non est ejusdem animæ simul et per idem tempus tantam obsequentiam simul et despectum ostendere circa mandata Dei, et nunc quidem ipsa tremere, nunc vero nullam rationem habere ejus qui leges dedit, dum contumelia afficitur. Etenim si se purum servare a voluptate, et nihil humani agere, se ipsum humiliare, affligere, et ærumnis subjicere, suisque laboribus aliis quietem parere, vere valde sapientis animæ est, et sublimis: sane gloriam Dei contumelia non afficere, neque hæc facere, propter quæ blasphematur a multis, hoc multi nec valde magni bene et cum laude præstiterunt. Quomodo igitur tibi credemus quod hoc propter Deum et asceseos studium facias, quod magnam et generosam animam requirit: quando illud quod scilicet minus est, et vulgare despicere non potes, neque absistere vis ab iis, a quibus Deo infertur injuria, et corpus et omnia prodis pro iis, quæ non ipsi placent? et qui hæc persuaderi poterunt? Sed nescio quomodo a virginibus ad earum cohabitatores simul transiverim, propterea utique ad eas nobis redeundum.

V. Unde igitur illis, qui ita eas accusant et argumentantur, nos poterimus persuadere? Non persuadeantur, ait:

An vero piæ animæ hoc fuerit? Tunc enim maledici despiciendi sunt, cum nos illis ansas non præbuerimus : imo neque tunc, quandoquidem ipsorum obturare ora possumus; quando autem totum ex nobis est, in nostrum vertitur caput totus ignis. Sic enim, ait, peccantes in fratres, et infirmam ipsorum conscientiam percutientes, in Christum peccatis[1]. Sciebat enim, sciebat manifeste, quod non sufficeret ad defensionem nostram, eorum qui offenduntur infirmitas, sed hoc ipsum potissimum est, quod condemnat nos. Quanto enim puriores sumus a causa quæ intentatur, tanto nos æquius præstabimus, si infirmitati eorum parcamus. Et nondum dico quod hic immerito offendantur ; sed ponatur, quod absque ratione hoc patiantur. Nam nec sic despiciendi sunt. Quæ Romanis per Epistolam scribens Paulus docuit nos sic dicens : « Noli propter esca destruere opus Dei[2] : » quamvis illi improvide erant offensi, attamen non eum qui offenditur, sed offendentem increpat. Nam quod jam videlicet dicebam, et nunc dico : Quando magnum aliquod lucrum obvenerit, et plaga ipsa majus, contemnendi sunt, qui scandalum patiuntur : quando autem nullum fuerit amplius, quam quod infirmi dejiciantur, etiamsi millies ex imprudentia hoc patiantur illi, parcendum eis erit : quoniam et Deus eos, qui impellunt in lapsum, et dejiciunt, lata sententia supplicii puniet. Nam nihil lucrantes alium offendere, extremæ malitiæ est. Nos autem quando videmus aliquem inquietum ob diuturnam valetudinem, eos qui illum exacerbant, domo abigimus, neque multum disputamus, an juste vel injuste illi hoc faciant, sed negata illis omni defensione, et huic data ob infirmitatem venia, quamvis injuste exacerbetur, ejus miseremur. Quod si nos hac cura circa famulos et pueros utimur, et sæpe filium ita peccantem flagellamus, multo

[1] I Cor. VIII, 12. — [2] Rom. XII, 20.

magis bonus Deus, et clemens et æquus hoc faciet. Quid dicis? Infirmus est qui offenditur? igitur dignus est cui parcatur, non ut lædatur: vulnera habet? ne igitur atteramus, sed curemus. Suspicatur male et imprudenter? igitur auferamus suspicionem, non augeamus. In Christum enim peccat, quæ de his contendit. Annon audis in Veteri Moysem sæpe dicentem : « Deus zelotes est[1] ?» et iterum : « Zelavi Jerusalem[2] : » in Novo vero Paulum clamantem : « Æmulor enim vos Dei æmulatione[3] ?» Hoc, si nihil aliud, sufficere debebat, ne subverteretur anima, etiam non valde infirma et ægra. Cum enim res adeo sit terribilis, dulcis magis est, quam terribilis. Nunquam enim zelus est, non præeunte charitate aliqua calida et fervente, it ut hoc sit argumentum vehementis ardentisque Dei charitatis et amicitiæ. Non enim affectio est zelus in Deo, sed volens immensum amorem suum interpretari, hoc sæpe usus est nomine. Attamen nos qui valde insensati ad humanas decidimus affectiones, eum qui nos tantum amat, contumelia afficimus : eos autem, qui nihil nobis prodesse possunt, omnibus modis colimus. Quid enim tibi, o misera, tantum prodesse potest frigida hæc cohabitatio, cum tanto thesauro te privet? Vide, quæso, deducit te e cœlis, excludit te spirituali thalamo, sejungit te a cœlesti sponso, parat tibi immortalia supplicia, et tormenta finem non habentia. Pro his si talenta innumera præberet contubernalis tuus, si promptior esset mancipiis venalitiis, si te in majori honore et dignitate constitueret, quam sit regina : annon ut damnosum et inimicum, et plura auferentem, quam dantem sic aversari, et odio habere oporteret? Proponitur tibi cura de bonis cœlestibus, de regno futuro, de vita immortali, de ineffabili gloria, tu vero negotia terrena commemoras, et hunc ad illa utilem visum colis quasi dominum,

[1] Exod. xx, 5. — [2] 1 Zach. 1, 14. — [3] 2 Cor. xi, 2.

et non te occultas, neque oras ut te terra absorbeat, ut sic inde migres? Sed infirmitatem muliebris naturæ mihi prætexis, et humanorum usuum dispensationem, et quietem domesticam, fingens et componens prætextus qui non sunt. At neque sic eos qui cor habent falles. Non est enim, non est quies, quæ ad tantam turpitudinem cogat. Mulier enim si voluerit, non sibi ipsi solum, sed et aliis pluribus sufficiet ad ministerium : quoniam cum ab initio vir civilia negotia susceperit, mulier sortita est domesticam administrationem et curam. Non igitur quietis indigæ intus rapitis viros. Ad quid ergo? stupri gratia et libidinis? Ego quidem non sic dixerim, absit, imo non desino objurgare eos qui sic dicunt. Utinam autem possibile esset id persuadere. Quis ergo prætextus, quæ causa efficit ut rem illam expetamus, inquit? Inanis gloriæ amor. Et quemadmodum viris voluptas frivola et misera, sic illis honoris concupiscentia hoc contubernium conciliat. Nam vanæ gloriæ cupidum pene omne hominum genus est, maxime autem muliebre. Nam cum neque opus habeant quiete, sicut declaratum est, neque cum ipsis rem habeant, manifestum quod hoc solum reliquum est suspicari.

VI. Quoniam igitur hanc mali radicem invenimus, age cætera non reprehendamus : admoneamus autem et persuadeamus, quod sicut viri, qui cohabitant, videntur quidem voluptate frui, majori autem tormento subduntur : etenim sola pura et solida voluptas, quæ per sequestrationem est : sic utique et causa illarum habet. Videtur quidem, ut ipsæ opinantur, gloria aliqua hinc et claritas nasci : si autem diligenter quis exquisierit, plena et referta est risu, confusione, opprobriis, et extrema ignominia. Et de his dicta sunt in principio pauca, dicentur autem et nunc. Sit igitur qui cohabitat, si velis, non aliquis vilis neque abjectus, sed qui multam in Ecclesia dignita-

tem habeat, et ob generis claritudinem, et ob eloquentiam et pietatem admirabilis sit omnibus, sitque undequaque clarus : neque vel sic poterit illam facere claram ac probatam. Gloriam enim habiturus quispiam ex amicitia erga aliquem, illius gloriam prius custodire debet, qui præbet ut glorificetur : nam si illius gloria offenditur, multo magis suam ipsius gloriam dejicit. Nam sicut fonte corrupto, et quæ inde manant fluenta corruptioni communicant : et radice corrupta, multo magis fructus corrumpentur : sic et nunc, si is qui virginem claram facturus est, fiat ridiculus ob cohabitationem, ipsa quoque ante illum, et cum illo ridebitur : et si mulieri antea contigerit gloria bona apud multos, eam tamen statim ingressus ille domo ejiciet : tantum abest ut aliam secum afferat, ac licet etiam ipse habeat talem existimationem, idem illi continget. Non igitur famam vobis bonam adducit hæc consuetudo, sed eam aufert, quam habebatis : et malam insuper conflat quam non habebatis. Et quod de Judæis Propheta dicit, opportunum est etiam nunc dicere : « Si » mutabit Æthiops pellem suam, et pardus maculas suas[1], » etiam qui talibus cohabitant, maculam hanc aliquando deponent : sic quemadmodum corpori, cauterium amborum existimationi inuritur, et bona ipsorum omnia offuscat. Sed forte gloriam putant hoc ipsum, imperare viris : at hoc est mire ridiculum, et quo maxime gloriantur solæ meretrices. Mulierum utique liberarum et castarum hoc non fuerit, in talibus retibus deliciari. Quoniam et hinc iterum aliud ignominiæ argumentum, et quanto magis imperant viris, et graviora injungunt, tanto magis se ipsas confundunt cum ipsis. Non enim quæ servire facit viros mulier, sed quæ reveretur, omnibus est reverenda et gloriosa. Si autem non sustinuerint hæc nostra verba, Dei

[1] Jerem. XIII, 23.

lex occludere ora earum potest, sic dicens : « Ad virum » tuum conversio tua et ipse tui dominabitur[1]. Caput enim » mulieris vir[2]. » Et aliunde e multis locis quis hoc inveniet sic legibus cautum, et hunc olim datum esse ordinem : itaque magna est fœditas, si superiora fiant inferiora : caput deorsum et corpus sursum. Quod si in nuptiis hoc turpe, multo magis in hoc consortio, ubi non hoc solum grave est, quod sit transgressio divinæ legis, sed quod pessimam et mulieri et illi afferrat famam. Nam si cohabitare est turpe, multo magis cohabitantem viro dominari. Non enim undequaque imperare laudem habet, sed fieri potest ut qui imperatur laudabiliter, et qui imperat turpiter agat. Itaque si vis in admiratione esse apud viros, nihil tibi commune sit cum ipsis : procul a congressu et aspectu et cohabitatione illorum esto, tunc te et mulieres obstupescent, et viri omnes simul admirabuntur, utpote virginem sponso indivulse assidentem : tunc non domestici solum, sed et gentiles et Judæi, et omne hominum probabit genus[3] : atque adeo si gloriam amas, hanc vade viam, non aliam, tunc te non jam illius vel illius vocabunt, sed Christi. Huic autem ornatus alius par a nullo tibi erit. An vero exigua sunt, quæso, quæ quotidie canuntur et in foro, et in domibus, et in aliis civitatibus? Puella isthæc formosa valde et adolescens, si voluisset, multos patronos sibi conciliare potuisset, sed noluit : imo maluit quævis sustinere ac pati, quam Christi amorem relinquere, et castitatis florem obscurare. Beata et bis et ter et sæpius. Quantis fruetur bonis, qualem accipiet coronam, quanta mercede donabitur, quæ cum ipsis incorporeis certat virtutibus? Hæc et talia de hac omnes dicent, et ad æmulationem suis filiabus proponent : et si quis admonere honeste viventem, et si quis corruptam ad modestiam

[1] Gen. III, 16. — [2] I Cor XI, 3. — [3] Id. VII, 35.

reducere voluerit, hæc illi iterum omnes encomia in medium ferent : non hic autem solum, sed et quoties de virginitate fiat sermo : et sic omnes laudabunt, non solum qui caste vivunt : sed et illi qui studuere et omnia fecerunt ut ipsam obtinerent, ac deinde contempti et despecti fuerunt. Atque ista quidem tanta, et multo majore quam dictum est, fruetur gloria : quæ vero cohabitantes habet, omnia secus reperit : et primo quidem quando ab aliquibus impuris accusatur virginitas; de utrisque habetur memoria in talibus conventibus : sed illa quidem aperit ora defensantium, ista autem accusantium. Postea quando corrigi aliquam et compositam reddi decet, hæc quidem ut pharmacum astringens, et quod putredinem repellere potest in medium affertur, et præceptoris os ornat : illa autem, cum confusa stat, tametsi non adsit erubescens et pudefacta. Necesse enim est ut occasione cujusque lapsæ hæc accusetur, et iterum confundatur : et ubi de re hac sermo sit, sicut illa beata, ita ista misera et calamitosa, et quidvis simile audietur. Et sicut illam non qui vident solum, sed et qui ignorant, et nullo beneficio affecti, celebrant, et laudant : ita et hanc quotquot vel sciunt vel ignorant ipsam, et qui nihil mali ab ea sunt passi, affligunt et criminantur. Nam ii qui recte vivunt, non a notis solum, sed et ab ignotis, imo ab ipsis inimicis laudantur, et admirationi sunt : qui autem corrupti et improbi, et ab amicis affliguntur. Et vero divinæ hoc providentiæ opus est, quod tantam nobis cum virtutibus cognationem, et tantam vitiorum abominationem indidit : ut illa quidem omnium calculo probetur, etiam eorum, qui illam non adeunt; malitia vero, condemnetur et ab iis, qui illam aversantur, et ab iis qui illam consectantur. Unde clarum, quod ignavas illas non noti solum, sed et ignoti, aversantur : et maxime omnium ii qui cohabitant. Nam etsi se dicant

valde vos diligere, et admirari, etsi gratiam habeant pro hac voluptate, et pro donis vestris, attamen odio iterum eritis conscientiis eorum, ubi parum resipuerint, et intellexerint, quo laqueo fuerint capti. Tantum est nequitia malum, ut ii, quos maxime omnium colitis, vos potissimum condemnaturi sint, quoniam et maxime omnium vestra sciunt in penitissima admissi, et secreta vestra omnia diffamant. Et quod oderint, hinc manifestum est: sæpius voluerunt ab hac scabie et hoc morbo gravi liberari: impedit vero consuetudo, et voluptas quædam, quæ inesse videtur: quandoquidem et illa liberari ægritudine optant quidem, eamque omnes, qui illa laborant, oderunt, at delectantur tamen dum ea laborant, ut in hoc casu contingit. Nam licet quis valde miser et calamitosus sit, non est tamen ita desperatus, nec ita suam cupit inquinari gloriam, ut velit in turpitudine vivere, et in ore omnium versari, maledictis incessi, rideri, opprobriis onerari, et spectaculum esse in foro commune, omniumque digitis monstrari per ignominiam. Enimvero non parva his insuavitas ab hujusmodi suspicione nascitur, quæ conscientiam assidue exagitat, et omni verme tenacius mentem intus depascitur. Si autem ubi hæc apud homines sequitur infamia, licet nihil palam proferant, sed intra se solum improbent, tantus oritur dolor; cum ad injuria affectum sponsum proficiscemur, cum occulta in medium adducentur, quando et corda revelabuntur, et sermo, et figura, et visus, et cogitatio; transeo enim quæ his turpiora: quando igitur omnia simpliciter in orbe toto nuda apparebunt, et aperta, quantam sustinebimus ignominiam, et supplicium, et vindictam? Tunc enim si non se sistat fulgens virtutibus anima, ut decet hujusmodi junctam sponso, si non omni labe, macula, et ruga sit pura, peribit, et extrema feret. Quod si quantalibet macula ejicere illam po-

test, quando multæ sordes sunt, et tantus fœtor, et plurima ubique ulcera, quis eam eruet e supplicio et illa pœna? Nam si hic ita despecta et insuavis ejus est vita, ut omnes eam aversentur, et amici et inimici, quomodo poterit ad regia transcendere vestibula, tanta luti fœditate oblita? Non vides, quod in domo viri privati et vilis nemo ferret porcum luto voluptatum intus admitti, sed illum abigunt et persequuntur omnes, et januas claudunt, et fugant procul? Si autem brutum animal, in luto educatum, non ferunt homines intus excipi cum tali macula, quomodo in cœlestia tabernacula, ubi tanta claritas, ubi omnia fulgida, ubi lux inaccessa, ubi fulgure omni fulgidiores occurrent virgines, poterit quis sic coinquinatus ingredi? Quæ non habebant oleum, a thalamo exclusæ sunt, et quomodo vos adyta illa ingredi expectatis? Etenim multo hoc illo gravius peccatum est. Non enim est par corporalem cibum non impertire, et multas perdere animas. Illæ quidem pauperes nulla in re affecerant injuria, sed quia sua illis non impartitæ sunt, neque eorum inopiam levaverunt, hæc passæ sunt: tu autem injuria affecisti, et expulisti, et non solum non profuisti, sed et maxime nocuisti. Quod si quæ nihil profuerunt, tantam dederunt pœnam, præsertim virginitate sincera manente: quæ non solum inutiles aliis, sed et plurimum sibi ipsis nocuerunt, necnon contubernalibus et iis, qui scandalizati sunt, et præ omnibus nomen sponsi contumelia affecerunt, qualem sustinebunt cruciatum? An nescitis qualem rem aggressæ, in quem agonem instructæ estis? quam prælii partem sortitæ? Apud ipsum belli ducem, imo apud ipsum habitatis regem, et militatis. Sicut igitur in bellis non unum locum exercitus omnis occupat, sed alii cornua agminis, alii medium, alii postrema, alii frontem phalangis ornant, alii autem ubi rex comparet, ubique cum ipso

apparent ac cum ipso currunt : sic quoque virginum chorus, si vere virginum chorus sit, nullum alium, nisi hunc ordinem sortitus est. Non sic ii qui aureas togas induti, et equis auro ornatis vecti, et aurea gemmisque distincta ferentes scuta, regis præsentiam declarare debent, ut virgo Christi. Nam illi quidem apud ipsum currum regium versantur : virgo autem regius quoque currus fit, sicut Cherubim, si vult, et astat ipsi sicut Seraphim.

VII. Igitur cum in publicum prodit, oportet omnis philosophiæ specimen præ se ferat, et omnes in stuporem convertat, sicut Angelus si nunc e cœlo descenderet, et sicut ex Cherubim aliquis si in terris appareret, omnes homines in se converteret : sic et virginem omnes qui vident, adduci in admirationem et stuporem suæ sanctimoniæ oportet. Nam si dum incedit, quasi per desertum eat : quando autem sedet in Ecclesia, profundissimo cum silentio; oculus ejus nullum videat prætereuntium, non mulierum, non virorum, sed solum sponsum ut præsentem et conspicuum : concedens autem iterum in domum, ei in precibus loquatur, et ejus solius vocem per scripturas audiat : domi vero eum quem desiderat et amat, solum cogitet, sit quasi peregrina et advena; omniaque faciat, quasi res præsentes nihil ad eam pertineant : et non solum masculorum fugiat aspectus, sed et conventum sæcularium mulierum : tantaque corpori suppeditet, quanta necesse est, et universa in animæ salutem impendat : quis non admiretur, quis non obstupescat, in muliebri natura vitam angelicam intuens? quis autem homo accedere, quis tangere audeat tam flagrantem animam? Eapropter omnes quidem ab ea abstinebunt, et sponte et inviti : omnes item in stuporem vertentur, utpote aurum fulgens et ignitum videntes. Nam et auri natura habet per se multum fulgoris : cum autem et ignem in se tenet, majori miraculo est

et terribilior. Quod si hoc in corpore; quando idem in anima contingit aurea, non tunc hominibus solum, sed et Angelis desiderabile erit hoc spectaculum. Quare ergo vestibus te ipsam ornas, quæ ab hac flamma tantum habes ornatum? Etenim vestes non sunt datæ ut eis ornemur, sed ut nuditatis fœditatem occultemus, non ut talibus induamur, quæ nos majori turpitudini, quam ipsa nuditas, exponant. Idcirco et Adam induit Deus vestes pelliceas[1], similiter et ejus uxorem: quamvis si voluisset, pulchris eum potuisset induere vestibus: sed nobis antiquitus et per illas ostendit, quod non sit præsens tempus deliciarum, sed gemitus et planctus. Quod si ignominiæ est et condemnationis, et ex peccato venit, ut amictu indigeas, quid reprehensionis materiam auges? Annon satis casum nostrum indicat, quod vestibus egeamus? Cur crimen exaggeras? cur indigentia ampliore accusationem auges? Oportebat enim ejulare et gemere, et corpus ipsum castigare[2], secundum Paulum: nos autem sedemus, et velamenta artificiose contexentes, sicut si quis tumores circa oculos habens, ea cogatur obvelare, et hæc adhuc velamenta exornet. Propterea Helias, propterea Joannes simplicem habentes amictum, et pelliceas tunicas, et vestibus e pilis induti anhelabant et concupiscebant indumenta incorruptionis accipere. Tu autem scenicas mulieres præcellis vestium curiositate, quibus insidias adolescentibus elegantioribus pares. Non sic te indui et ornari vult sponsus, sed in anima tua omnem repositam suam esse gloriam jussit: tu autem illam negligis, et lutum ac cinerem varie decoras, et amatores incontinentes illicis, et adulteros facis pene omnes, qui te vident. Et quod multum hinc ignem congeras, nec te puto inficias ire; quod autem inde ignominia et probra sequantur, id ex amatoribus tuis os-

[1] Gen. III, 21. — [2] I Cor. IX, 27.

tendam. Nam cum ea quæ animam ornat, Deum suæ pulchritudinis habeat amatorem : tu vero homines, imo non homines, sed porcos et canes, et si quid magis est rationis expers; quis ita est insipiens, ut te ornatiorem illis putet, quarum desiderio Deus ducitur ob internam formositatem? Atque adeo, quanto curiositati plus vacas, tanto abominabilior facta es: et Deum quidem a te avertis, hos autem illicis, hincque tanto magis fœda ac turpis appares. Nam quomodo non turpis, si Deum allicere non potes? Quod si quæ se ornat, adeo ingrata: quæ cohabitantem habet, cogita quantum conciliet sibi odium.

VIII. Sed si videtur, non cohabitationem dicamus solum, sed ipsam aperiamus palam, ut magis fœda videatur. Nam quoniam non timent oculum soporis nescium, sed oculi hominum timor eorum, age et ipsas hac consolatione privemus, quæ occulta et tecta parietibus sunt in medium afferentes, aperiamus januam iis qui videre ea volunt, a lecto ipsos primum excitantes: imo si videtur, primum exquiramus quæ domi contingunt, et ponamus parietibus ipsos separari, et in cubiculis variis dormire. Non enim puto aliquem, etsi valde fœditati sit obnoxius, ita se ipsum traduci velle, ut in uno dormiat cubiculo. Sint igitur disjuncti parietibus : et quid hoc fuerit? Non enim sufficit ut a suspicione liberentur. Verum nunc de suspicione nihil : licet ancillæ plurimæ ei cohabitent : aliam autem turpitudinem jam exquiramus. Evenit enim cum per idem tempus surgunt, non ob pervigilia; nihil enim pium ab his animabus expectandum, ut transeant ad se invicem jacentes, et compellent nocte, quo quid esse queat turpius? Quod si contingat repente et cohabitantem ægrotare, neque parietum hic postea aliqua utilitas, sed exurgens præ aliis ad virginem jacentem ingreditur, infirmitatem prætexens, et ancillis sæpe tardius paratis, et

assidet, et alia curat, quæ mulierem quandoque solam vix ministrare fas est, neque pudet illam, sed gloriam putat, neque ipse erubescit, sed magis gaudet, et tanto magis, quanto fœdiorem servitutem præ se fert. Apostolicum illud verbum quod dicit, « Gloria in confusione ipsorum[1]; » tunc re ipsa monstratur. Ubi autem et ancillæ surrexerint, major turpitudo; nam et aperto capite, et una tunica, et nudis manibus utpote turbatæ, et in nocte surgentes discurrunt illo præsente, imo in medio versante et simul currente, omnia coguntur implere: quo quid fieri possit fœdius? Quod si et obstetrix adsit, neque sic pudefit, sed et aliis virginibus ingredientibus hoc sibi gloriosum existimat. Unum enim solum spectat, quomodo monstret ægrotanti suum ministerium, ignorans, quod quo magis ostendit, eo magis et se ipsum et illam dehonestat. Et quid mirum, si præsentem non erubescat? sæpe enim mediis noctibus vilium ancillarum opus facturus, ad ipsam obstetricem currere non gravatur. Quando autem adest, nunc quidem ipsum ejiciunt vel invitum, licet valde impudens sit: nunc autem permittunt, ut iterum ingrediatur, et assideat: quamvis quidnam facere quispiam possit ad illum pudore afficiendum, etiamsi millia conetur, iis simile quæ ipse sibi facit? Ubi autem dies illuxit, et utrosque e lecto surgere oportet: custodiæ et observationes sunt, neque enim ad exteriorem domunculam progredi sine timore possit. Sæpe autem progressa, fortasse et in virum nudum incidit. Ille vero hoc ipsum suspicans, modo id monens ingreditur, modo incautus deprehenditur, ac multo risu dignus est: nihil enim amplius dicere volo. Hæc autem quamvis parva, tamen magnæ libidinis carbones accendere consueverunt. Et hæc quidem domi, et majora his: quando autem in publicum iverit rediturus, iterum major turpi-

[1] Philip. III, 19.

tudo. In domum suam ingressus, et dum non cogitur prænuntiare, inventis mulieribus assidentibus illam pudefacit, et ipsa sæpe ita afficitur, turpeque censet si mulier mulieres excipiat, et ille si vir viros: mutuum autem contubernium non recusant: cavent autem ne suos contribules hospitio excipiant: quo quid deterius fieri possit? Accidit interdum, ut ipsum mulieres inveniant assidentem agglomeranti vel colum tenenti. Quid opus est dicere jurgia, et quotidianas lites? nam etiam si multa amicitia sit, hæc quoque contingere est verisimile. Audivi autem et de aliquibus quod zelotypi sunt. Nam ubi non est dilectio spiritualis, et hoc necesse est fieri: inde et varii casus, inde corruptiones, inde virgines redduntur impudentes et illiberales: etsi corpore non corrumpantur, moribus tamen. Quando enim discit libere loqui viro, considere, in eum obtueri, et ridere, et multa alia fœda agere, neque hoc grave aliquid esse putat: tollitur virginitatis velum, et flos conculcatur. Inde vero nihil agere dubitant, nihil deprecantur, sed et internuntiæ nuptiarum fiunt, et institoriam aliorum negotiorum obeunt, multasque volentes esse viduas prohibent; putantes se suorum malorum defensionem invenisse, ibi omnibus despicabiles sunt, inde et nuptæ ipsarum causa non erubescunt: utpote in omnibus melius agentes. Multo enim melius unum et alterum inire conjugium, quam hæc fœda agere, et lenonum suspicionem apud omnes subire, quod a suavitate nuptiarum se abstrahant, et oneribus nuptiarum se subdant. Quid enim onerosius quam virum habere, et sollicitam esse de iis quæ illius sunt? Exoneravit te ab hac molestia Deus: « Ad virum » tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur[1]. » Soluta es per virginitatem, quid iterum te servituti subjicis? Liberam te effecit Christus, tu autem tibi ipsi nectis nego-

[1] Gen. III, 16.

tia. Ab omni sollicitudine liberam te fecit, tu autem curas excogitas.

IX. Sed quoniam sollicitudinis mentio incidit, tempestive hæc dicenti succurrit apostolicum illud. Nam si cohabitare viris mulieres, et mulieribus viros, curas tolleret, ad continentiam adhortando Paulus non dixisset: « Volo autem vos sine sollicitudine esse[1], » ut et hac ratione nos admoneret. Quid enim vultis? ait: quietem et libertatem? Deinde non videtis contrarium evenire, servitutem et labores et miserias multas, dum viris cohabitatur? Multæ igitur sæpe amissis viris ob hoc non iterum nubunt, ne sub jugo servitutis iterum sint. Prorsus autem si in paupertate vivis et omni patrocinio cares, virtutem vitæ ostende, et cum viro nihil habe commune. Conjunge te mulieribus quæ honeste vixerunt, et neque tuam coronam disperdes, et omni perfueris securitate. Quod si hoc difficile esse putas, quære diligenter, et omnino invenies, imo non necessarium est quærere. Nam sicut ad lucem occurrimus omnes, si refulgebunt radii vitæ tuæ, omnes accurrent te diligentes, unaquæque tibi munere fungetur ministræ et te domus suæ securitatem putabit esse, et ornatum vitæ et coronam, secundum sermonem Christi. « Quærite enim, ait, » regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis[2]. » Nunc autem et nos auctores sumus, ut ex hac sæculari felicitate excidamus, quod cœlestia negligamus. Nos autem quando dico, non viros solum dico, sed et vos, et vos magis quam viros. Quoniam ab initio ob hoc graviorem pœnam accepit mulier, quia deceptionis major causa fuit, propter hoc et decipientem magis quam deceptum punivit Deus: quod et nunc erit, si non volueritis corrigi et ad propriam redire nobilitatem. Propter hoc enim et mulier tunc reprehensa, quod viro dedisset de fructu, non audebat dicere opor-

[1] 1 Cor. vii, 32. — [2] Matth. vi, 33.

tuisse, cum vir esset, non persuaderi neque decipi[1] : sed hanc quidem utpote frigidam defensionem tacuit, ad aliam autem venit infirmam quidem et ipsam, attamen plus hac habentem rationis. Unde palam est magis licere deceptis in deceptores culpam rejicere, quam deceptoribus in deceptos. Scortum accersit eum qui contumelia corpus suum afficit, et postquam cum illo dormierit, iterum dimittit : tu autem ubi vocaris eum qui injuria afficit et corrumpit animam tuam, semper ipsum includis, et non permittis exire, vinculaque gravia injicis adulatione, cura et aliis operibus, et putas te glorificari cum te ipsam ita confundis? Non cogitas tu, dic mihi, præsentem vitam, quam brevis, ut somniis assimiletur, et flosculis marcescentibus, et umbræ prætereunti? Cur vis deliciari nunc in somnio, et puniri tunc in veritate? Quamvis neque delicias hæc res habet : quomodo enim, ubi condemnatio, et reprehensiones, et convicia, et scandala? Verum etsi deliciæ essent, quid est parva aquæ gutta ad immensum mare? « Audi, filia, » et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum » tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem » tuum[2], » ad orbem terræ aliquando male affectum dicebat David. Hoc igitur nos tibi occinemus, breve verbum Prophetæ subimmutantes, et dicemus cum Propheta : Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere malæ consuetudinis, et eorum qui tibi male cohabitant, et concupiscet rex pulchritudinem tuam. Quid tibi hoc majus? Quid item par poterimus dicere quam ut cœli, terræ et Angelorum, et Archangelorum, et supernarum Virtutum Dominum amatorem sortita, libereris a vilibus conservis, tuam nobilitatem dehonestantibus? Propter quod e re fuerit hic finire sermonem. Nihil enim dicere poterimus, quod huic honori sit par. Nam si quæ sponsum in terra

[1] Gen. III. — [2] Psal. XLIV, 12.

acceperit regem, omnibus se putat esse beatiorem : tu cum habeas non terrenum, nec conservum, sed eum qui in cœlis, eum qui super omnem principatum et potestatem, et virtutem, et omne nomen quod nominatur, eum qui super Cherubim sedet, qui concutit terram, qui extendit cœlum, qui terribilis est Cherubinis, inaccessus Seraphinis, non sponsum solum, sed amatorem quovis homine ardentiorem : quomodo non omnia relinquis quæ hic sunt, etiamsi animam ipsam relinquere oporteat ? Quoniam igitur sufficit hoc verbum solum, ad plumbo omni graviorem corrigendum et promovendum ad supernam conversationem, et nos huc desinimus, teque admonemus, ut quasi divinum aliquod canticum concinas : ac domi et in foro, et die, et nocte, et in via, et in thalamo, et voce et mente continue loquaris animæ dicens : Audi, anima, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere malæ consuetudinis, et concupiscet rex pulchritudinem tuam[1]. Et si hoc continue verbum dixeris, auro omni puriorem facies animam. Dictum enim hoc igne vehementius et efficacius afflare tuas cogitationes, et omnes tuæ mentis maculas expurgare valebit in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. XLIV, 12.

SERMO.

Adversus eos qui apud se habent virgines subintroductas.

I. Majoribus nostris duæ tantum fuerunt causæ[1], propter quas mulieribus viri cohabitarent. Et una quidem vetus est ac justa rationique consentanea : nempe matrimonium, quod Deo legislatore institutum est. « Propter hoc enim, » inquit, relinquet vir patrem suum et matrem suam, et » adhærebit uxori suæ, eruntque duo in carnem unam[2] : » altera vero recentior, iniqua, et legi adversa, nempe fornicatio, quæ a malignis introducta est dæmonibus. Atqui nostra hac ætate tertius quidam novus et insolitus mos prodiit, cujus causam haud facile investigaveris. Sunt enim nonnulli, qui puellas nuptiarum inexpertas domum ducunt, et usque in extremam senectutem inclusas tenent, ac fovent, non procreandorum liberorum gratia, negant enim se cum illis rem habere : neque libidinis causa : aiunt enim quod illas incorruptas servent. Et si quis ab eis causam rogaverit, dicunt sibi multas esse : sed fingunt. Ego enim nullam eos habere crediderim, quæ vel honesta vel idonea sit. Verum de his nondum dicemus. Afferemus autem in medium, quam nos potissimum causam suspicamur. Et quænam illa? Omnino, si a scopo aberravero, fas vobis esto ut me redarguatis. Et quænam causa? quis ille prætextus? Videtur mihi mulieris convictus, non ex lege nuptiarum modo, sed etiam absque nuptiis ac congressu,

1 Vide D. Guillon, tom. XVIII, p. 268 279. — 2 Gen. II, 24.

voluptatis habere nonnihil. Quod si non recte sentio, non possum dicere. Meam vobis sententiam narro, forte autem non meam solum, sed et illorum : nam et illis sic videtur; quod hinc liquet. Tantam enim gloriam, et tanta scandala neutiquam despicerent, nisi ingens quædam et vehemens cohabitandi voluptas esset. Quod si forte succenseant quidam, quod hæc dicamus : Precor ut nobis venia detur, absitque indignatio : neque enim libens àc temere hanc inimicitiam susciperem. Non sum tam miser ac ærumnosus, qui temere omnes offendere velim : sed valde doleo ac crucior, et gloriam Dei blasphemari intuens, et multorum salutem propter voluptatem hanc paulatim perire. Quod enim illud suave sit, et nuptiali consortio ardentiorem pariat amorem, nunc forte stupebitis audientes, sed ubi id demonstravero, vos etiam confitebimini. Etenim cum legitima muliere congredi, cum non sit vetitum, concupiscentiam sedat, et sæpenumero satietatem affert, immodicum restinguens ardorem. Præterea partus et partuum dolores, puerorumque procreationes ac educationes, necnon et frequentes qui ex his sequuntur morbi, corpus affligunt, florem ætatis marcidum reddunt, invalidumque voluptatis calcar faciunt : in virgine autem cohabitatrice nihil horum reperies. Abest enim coïtus, qui naturæ impetum deprimat et obtundat : neque dolores partus, neque puerorum educationes carnem marcescere faciunt : sed juvenilem vigorem diu conservat, utpote intacta manens. Post partus enim et educationes puerorum, corpora uxorum infirmiora fiunt : illæ autem usque in quadragesimum annum in sua permanent forma, et cum virginibus jam elocandis certant. Hinc est quod cohabitantes duplici igne accenduntur : nam et ardor eorum non restinguitur coïtu eis interdicto, et ardoris fomes manet redditurque validior. Hanc ego hujus contubernii causam suspicor : sed ne valde

succenseamus eis, neque difficiles simus et importuni. Nam qui ægrum vult restituere, non hoc agit ira et verberibus, sed offert pharmaca magna cura, et blanda adhortatione. Etenim si ab illis pœnas expetere nobis propositum esset, et si judicium ordinem teneremus, indignari oporteret; sed si illo dimisso, medicorum et curare volentium munus suscipiamus, hortari, obsecrare, et si opus sit, genua tangere opus est, ut quod agendum suscepimus, perficiamus. Igitur quemadmodum medici, qui ægros a cibo vel potu nocivo arcere cupiunt, licet illa mixtam habeant voluptatem, ante omnia tamen persuadent, inesse illis præter nocumenta etiam multum insuavitatis: sic et nos faciamus, commonstrando illis quod cohabitatio illa, quamvis suavis et jucunda videatur, perniciosa sit, et nihilo melior, quam mortiferæ potiones. Et videtur quidem multam habere lætitiam, latet tamen multum in ea amaritudinis, quam animæ, quæ voluptatibus oblectatur, infundit. Nam qui persuasus discedit, secure discedit. Sane qui metu et necessitate a dilecta sejungitur, fortior amator fit, et fortassis iterum ad illam accedet: at si ut rem damnosam et amaram fugit, haudquaquam iterum revertitur ob calculum sententiæ suæ, quæ quavis necessitate violentius illi persuadet. Quomodo ergo persuadebimus illis, quod hoc non solum noceat, sed et amarum sit? et quomodo aliter, quam ex ipsa rerum natura? Interrogemus ergo eos, si quis mensa sumptuosa apposita, variis dulcissimisque plena eduliis, denuntiet summis minis, ne quid propositorum contingatur: num vellet aliquis ad talem mensam considere, et seipsum cruciare? Ego utique non opinor: neque enim tanta ex aspectu voluptate frueretur, quantam tristitiam ex interdicto conciperet. Quid autem si quis sitienti et adusto præ siti fontem limpidum et purum demonstratum, non solum non degustare, sed ne extremis quidem

digitis contingere permitteret, an quid eo cruciatu acerbius?

II. Neque hic, opinor, mihi contradixerit ullus. Tantum enim hoc malum est, ut etiam profani, qui plurimum valent in naturæ voluptate et tristitia expendenda, volentes effingere quosdam qui valde crucientur, talem quamdam fabulam in medium proferant. Introducitur in fabula quidam extremo supplicio afficiendus, cui ostenditur omnium ciborum copia, et præterfluens aqua : nec conceditur, ut aliquo istorum fruatur : et cum extendit ille manum, omnia quæ videntur, a tactu fugiunt, fitque hoc semper. Et hæc est profanorum de illo supplicii genere fabula. Philosophorum vero quidam, cum vidisset sodalium quemdam osculum formoso puero dare, admirabundus dixit : Hic opinor præcipitem facile se in ignem injiceret, qui tantam in se fornacem osculo est ausus accendere. Ego autem non idem dixerim, quod nempe contubernales suas osculentur et contrectent. At si qui sunt qui hæc calumnientur, demonstrare tentabo, quod si illo usque perveniant, durius sibi quam prius supplicium accersant. Nam si aspectus solus tantum infert dolorem : quando contactus accedit, ut est voluptas multo crassior, quam aspectus, ita majorem struit flammam, acerbiorem efficit dolorem, et vehementius feram illam exasperat. Quanto enim magis concupiscentias augemus, et plurima eis fomenta suppeditamus, tanto et dolores nostri magis intenduntur. Et quemadmodum qui mensæ et fonti assidet, non sic videndo dolet, ut cui permissum est manu attingere, et tamen ne degustet prohibetur : sic utique qui ad contrectanda virginum corpora admittuntur, graviorem hauriunt cruciatum ex tactu, quam ex aspectu, dum acerbius rei tactæ privatione torquentur. Et quid opus est philosophari ex rebus externis? Dei enim sententia hi-

omnibus potentior, ipsa nobis ostendit rem ita sese habere. Nam cum vellet punire Adam, non procul a paradiso ipsum habitare fecit[1], sed prope paradisum, ut continuam pœnam haberet e spectaculo loci quem desiderabat, et eo, quamvis semper illum ante se videret, frui non permitteretur. Jam forte aliquis dixerit, et quomodo si hoc natura tam amarum, plerique tanto studio sectantur? Ad hoc ego dixerim, istud ipsum extremæ illorum ægritudinis maximum esse argumentum. Nam hic mos est ægrotantium, ut quærant frigidam quamdam, brevisque temporis voluptatem, unde prolixiorem sibi conciliant pœnam. Hoc et in febricitantibus videre quis potest, qui cum paulisper abstinere nolunt a refocillatione momentanea vetitorum vel esculentorum, vel poculentorum, longum quemdam et difficillimum invehunt sibi morbum. Oportet autem ut ii qui bene valent, non eorum qui male habent sententiam sequantur. Nam si illos sequemur, et a medica arte, et a philosophia condemnabimur. Neque enim ægrotantibus hoc solum in febri contingit, vel mulierum amore, sed et in divitiis et in omnibus aliis. Etenim qui in pecunias insaniunt, licet sciant quod ii qui parva hæc indigis impartiuntur, infinita illic bona capiant: detinent tamen ea et defodiunt, et bonis omnibus excidere malunt, ob frigidam brevemque hanc voluptatulam, quam æterna pœna liberari, et immortalem vitam adipisci, illas ad breve tempus despiciendo. Hoc utique et illis contingit dum a parva oculorum concupiscentia se ipsos aliquantisper continere nolentes, intolerabilem sibi ignem colligunt: et quanto scilicet se magis oblectari putant, tanto magis malo implicantur, diabolo suis artibus hoc curante ad incrementum et perseverantiam incendii; ut ardentes et

[1] Gen. III.

delectentur et doleant, absurdum quoddam temperamentum in animabus suis efficientes.

III. Jamvero si quis nos intemperantiæ ob hæc verba condemnet : sane strenuos illos viros, et cum mulieribus habitantes, qui nihil grave patiantur, beatos quidem dico, qui tales sint, et vellem etiam ipse hoc robore donari : et ipse quidem forte adducor ut credam, posse hujusmodi viros reperiri. Vellem tamen eos qui nos reprehendunt, posse hoc nobis persuadere, quod adolescens fervens corpore, puellæque virgini cohabitans, et ad latera ejus assidens, et simul cœnans, et per diem totum confabulans, ut nihil aliud apponam, intempestivos risus et effusos cachinnos, et mollia verba, atque alia quæ dictu inhonesta : sed in eadem, inquam, habitans domo, eidemque communicans mensæ, ubi multa est libertas verborum, et ultro citroque accipiuntur multa danturque, nulla humanarum affectionum capiatur, sed purus a mala voluptate et concupiscentia permaneat. Vellem hæc ab his qui nos arguunt me doceri posse : sed neque ipsi volunt doceri, et nobis hæc ad defensionem afferentibus reclamant quasi impudentibus, eodem quo ipsi morbo correptis, propriamque tegentibus malitiam. Et quid hæc ad nos, inquit ? Neque nos sumus obnoxii insipientiæ alienæ, neque si quis stulte scandalizetur, dignus ego sum, qui pœnas dem ob illius insipientiam. Sed hoc non dixit Paulus, sed jussit, ut si injuste scandalizetur aliquis, ejus infirmitati consulatur. Tunc enim solum liberamur a pœna, quæ posita est in eos qui scandalum dant aliis, si ex scandalo aliud quoddam lucrum nascatur majus damno quod ex scandalo fit. Adeoque si hoc non fuerit, et hoc solum obvenerit, ut scandalizentur alii, sive ob rationem aliquam, sive ob nullam, sive ut infirmi offendantur, sanguis illorum super caput nostrum, et ex manibus nostris Deus

animas tales requiret. Et propter hoc ne per omnia negligeremus vel abjiceremus eos quibus offendiculo sumus, terminos quosdam et regulas nobis Christus præscripsit. Nam et hoc et illud fecit, prout tempus postulabat. Enimvero cum de natura ciborum dissereret, et ostenderet eam esse puram, et a judaïca observatione liberaret, Petro ingresso et dicente, « Scandalizati sunt; » dixit : « Sine ipsos. » Et non solum despexit, quin et accusavit : « Omnis » enim plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, » eradicabitur [1]. » Ita legem de cibis irritam fecit. Ubi autem qui petebant didrachma, ad Petrum accedentes dixerunt, « Magister tuus non solvit didrachma, » tunc non idem egit sicut antea, sed rationem habuit scandali, et ait : « Ut autem non scandalizemus ipsos, mitte hamum » in mare, et piscem qui primus egressus fuerit, tolle, » inveniesque in ore ejus staterem : hunc acceptum da pro » me et te [2]. » Vides modo curantem, modo nihil curantem? Nam hoc loco nihil valde referebat gloriam Unigeniti revelati : quomodo enim, cum et alibi studuerit eam obumbrare, præceperitque multis, ne cui dicerent quod ipse esset Christus? Et propterea nihil damni ex eo quod dependit didrachma : si autem non solvisset, magna inde nata fuissent mala. Nam ut tyrannum et obluctantem et civitatis universæ inimicum, et in extrema pericula injicientem utique aversati fuissent : propterea ipsos qui volebant ipsum rapere, et facere regem, longius fugit, eamque opinionem a multis, qui circa ipsum erant, repulit. Priori autem loco necessarium erat id, quod agebatur, ideo utiliter ac tempestive, et ut in meliori opere contempsit scandalum. Etenim valde tempori congruebat, ad supremam philosophiam ascensuros non prohiberi, ut Judæis mos gereretur; sed abire, vocante tempore, ad

[1] Matth. xv, 13. — [2] Id. xvii, 26.

animi puritatem, neque retardari corporali observatione, sed a vili illa cura eximi. Sic et Paulus modo contempsit eos qui scandalizabantur, modo non contempsit, Magistrum sequens, et dixit : « Per omnia omnibus placeo, non » quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi » fiant[1]. » Si autem Paulus suam contemnit utilitatem, ut inveniat quod multis prosit : quanta nos digni erimus pœna, si neque proprium fugimus damnum, ut inveniamus quod utile sit aliis, sed nos quoque cum aliis suaviter perdimus, cum possemus et nos ipsos et alios servare ? Propterea cum videt majus lucrum quam damnum, contemnit eos qui scandalum patiuntur. Ubi autem lucrum videt nullum, solum autem scandalum inde evenire, omnia et facere et pati paratus est, ne eveniat. Et non disputat talia more nostro. Non enim dicit, Quare sunt infirmi ? quare sine causa sic affecti sunt ? Sed ea de causa ipsis potissimum parcit, quia ob rationis penuriam ita se habent, et ita infirmi sunt.

III. Dic enim mihi, qualem ille rationabilem prætextum dicere potest, qui scandalizatur in comedente carnem et bibente vinum ? Hanc quippe legem Deus olim posuit. Verumtamen in his si scandalizetur aliquis, Paulus abstinet. « Non enim carnem comedam, inquit, neque vinum » bibam, ut ne scandalizem fratrem[2] : » nec dixit ea quæ nos dicimus : Subjiciendus-ne ego alienæ insipientiæ ? num quia alicui simpliciori videtur esse scandalum, ego dignus qui supplicium luam ? Quamvis si etiam dixisset, multo tamen justius dixisset quam nos. Nam qui in illis scandalizatur, insensatus est, et valde insipiens. Verum in his ipse multas justas et dignas causas, quas dicat, habet. At multo justiores dixisset Paulus, siquidem dicere voluisset : at non dixit; sed ad unum solum spectavit, nempe salutem

[1] I Cor. x, 33. — [2] Id. viii, 13.

proximi. Et vide quam eminenter : non enim dixit semel, aut bis, aut tanto tempore : sed, in æternum, ait, non comedam, si scandalizetur alius. Et ut ne putes in his eum subsistere, et aliud quiddam adjicit hoc majus. Ut enim dixit, « Bonum est non comedere carnem, et non bibere » vinum, » conjunxit et illud : « Neque illud, per quod fra» ter tuus impingit, vel scandalizatur, vel infirmatur [1]. » Et animadverte rursus sapientiam præceptoris. Relicto enim infirmo, fortem corrigit ante illum. Nam fortis auctor est, quod ille infirmus sit, eo quod possit infirmitatem corrigere, et non faciat. Et quid dico de infirmis fratribus ? Etenim Judæis et gentibus jubet eamdem curam impendi. « Sine offendiculo, ait, estote et Judæis et Gen» tibus, et Ecclesiæ Dei [2]. » Itaque quanto te fortiorem esse dicis, nihilque a cohabitatione nocumenti accipere, tanto magis te ipsum debitorem constituis, ut vinculum hoc rumpas. Nam quanto fortior eras, tanto æquius fuit, ut infirmiorem gestares. Igitur si infirmus es, propter te ipsum desiste : sin robustior, propter alterius infirmitatem. Non enim sibi ipsi duntaxat, sed et aliis fortem esse oportet eum qui fortis est. Quod si te fortem esse dicis, et infirmitatem illius contemnis, duplam dabis pœnam, tum quod non pepercisti, tum quod multa tibi vis erat ut illi parcere posses. Nam unusquisque nostrum debitor est salutis proximi. Propterea jussi sumus, non quæ nostra sunt, sed quæ proximi spectare. Pretio enim empti sumus, et qui nos redemit, hoc præcepit in communem animarum nostrarum utilitatem. Non enim hoc solum nostrum est lucrum, quando propria servamus membra, sed et quando alios in majori securitate constituimus. Quamvis enim millies philosopheris, redargueris tamen per opera, damnum ex hac cohabitatione accepturis non vulgare. Quando

[1] Rom. XIV, 22. — [2] 1 Cor. X, 32.

enim te video ita avelli non posse, et millia eorum despicere, quæ damnum inferunt, nec converti te tam multis reprehendentibus, sed et gloriam tuam conculcare, Ecclesiæque magnam invidiam conflare, atque infidelium ora aperire, omnesque mala opinione imbuere : et tanta quidem ex cohabitatione nasci mala, nullum autem provenire bonum ; ex separatione vero, horum omnium malorum sublationem, multorum autem aliorum bonorum possessionem adipisci licere. Deinde cum resilire nolis, quomodo persuadere potero aliis, quod affectionis sis expers, et a concupiscentia mala purus ? Imovero super his nihil contendo : sed esto quod sis etiam cohabitando purus, quamvis ne Job quidem ille beatus ausus fuit tantam virtutem et sapientiam sibi ascribere. Sed qui omnem transcenderet virtutem, ex omnibus diaboli retibus extractus, qui primus et solus tantam fortitudinem demonstravit, et omne ferrum, et adamantem sua continentia prætergressus, subnervavit diaboli potestatem : sic veritus erat talem pugnam, et ita putavit impossibile esse cohabitare virgini sine damno et purum, ut non solum a cohabitatione tali procul et longe se ipsum, sed et ab aspectu prorsus et consortio subduxerit, legemque posuerit oculis suis omnino in virginem ne respicere quidem[1] : sciebat enim et probe noverat, quod non solum cohabitantem, sed et aspicientem curiose in faciem virginis, difficile, forte autem et impossibile sit effugere damnum, quod inde oritur. Propter quod et dicebat, ne cogitem quidem de virgine.

V. At si parvus videtur tibi ad certamen Job, quamvis revera neque stercore illius simus digni : verumtamen licet minus tua magnanimitate esse putes exemplum, cogita vocalissimum præconem veritatis Paulum, qui totum or-

[1] Job. XXXI, 1.

bem circuit, et dicere potuit verba illa multa sapientia referta, quod non jam ipse sit vivens, sed Christus in ipso: et quod crucifixus sit mundo, et mundus sibi[1]: et quod quotidie moriatur, post tantam spiritus gratiam, et tanta certaminum specimina, post inenarrabilia pericula, post tam eximiæ diligentiæ et sapientiæ studium: declarat nobis et commonstrat, quod donec spiraverimus, et hac carne fuerimus circumdati, certaminibus nobis opus est et laboribus, neque otio temperantia paratur, sed multis sudoribus et laboribus opus est ad hoc tropæum parandum; sic dicebat: « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo: ne dum aliis prædicavero, ipse reprobus fiam[2]. » Hæc autem dicebat declarans seditionem carnis, et concupiscentiæ rabiem, præliumque continuum, ac vitam semper in agone constitutam. Et idcirco etiam Christus difficultatem rei declarans, neque vel licite aspicere permittit mulierum facies: sed et adulterorum pœna puniendos sic respicientes interminatus est. Et cum dixisset Petrus, « Non expedit uxorem ducere: » non statuit legem ne ducantur uxores, sed gravitatem rei declarans dicebat: « Qui potest capere capiat[3]. » Audimus autem et hoc nostro sæculo, quod nonnulli ferro totum corpus ligantes, et sacco vestientes, et ad vertices montium currentes, et in continuis jejuniis ac pervigiliis viventes, omnemque disciplinæ severitatem ostendentes, omnibus mulieribus ingressum in domunculam et tugurium suum interdicere, atque hac ratione se ipsos castigantes ægre tamen concupiscentiæ furorem comprimere. At tu dicis, quod licet videas cohabitantem virgini, et alligatum, et deliciantem, et animam potius amittentem quam cohabitatricem, paratumque omnia et facere et pati potius quam separari a

[1] Galat. II, 20; VI, 14, et I Cor. XV, 31. — [2] I Cor. IX, 27. — [3] Matth. XIX, 10.

dilecta, ne suspiceris aliquid mali, ne putes concupiscentiæ negotium, sed pietatis potius. Admirande vir, is affectus est iis qui lapidibus cohabitant, non hominibus. Et tu quidem forte non credis ob magnam tuam continentiam: ego autem audivi quosdam dicentes, quod etiam multi erga lapides et statuas nonnihil affecti sint. Quod si tantum valuit artificium solum, ubi aspera et dura effigies, quantam operabitur insaniam in effigie pulchra tenerum corpus? Quomodo non credentur magis verisimilia dicere qui vos accusant, quam vos qui defenditis? Quid enim verisimile, dic mihi? An quod vir mulierem concupiscat, an quod non concupiscat? Omnino dixerimus quod concupiscat. Rursum cum innumeræ causæ impellant ut egrediatur, nec egredi velit, sed se ipsum injiciat, nullo opere pretio; multis vero probris, ac nocumentis sequentibus, tum suis, tum alienis: quid hinc conjicias? ex bono-ne hoc agatur proposito, an ex malo? Opinor quis facile dixerit quod ex malo. Verumtamen non de iis ipsis diligenter scrutabimur: sed ponatur, quod ii qui scandalizantur, non scandalizentur juste, sed temere et sine causa: dic mihi, cujus gratia virgini cohabitas? Nulla enim alia de causa statuta est cohabitatio hæc, quam propter dilectionem et amorem: nam aufer hoc, et auferetur rei utilitas. Quis enim vir est, qui vellet sine hac necessitate ferre delicias et injurias muliebres et alia hujus sexus vitia? Propterea et ab initio Deus mulierem hoc robore armavit, probe sciens quod valde despicabilis esset, nisi hoc genus imperii induceret, et quod nullus ei cohabitaturus esset, qui a cupiditatibus esset immunis: nam quod nunc tam necessariæ et utiles sunt, ideo est, quia et pueros procreant, et domum custodiunt, et alia multa his plura administrant. Si igitur, inquam, quæ ita viris ministrant, sæpe tamen contemptæ sunt, ut e domo ejiciantur: quomodo absque

concupiscentia nobis esse possunt dilectæ, præsertim quæ nos tot opprobriis onerant? Vel ergo causam cohabitationis dicite, vel nullam aliam suspicari necesse, quam malam concupiscentiam, et ignominiosam voluptatem.

VI. Quid igitur si poterimus, ait, causam justam et rationabilem dicere, num frustra hæc dixeris? Maxime vero: sed nullam talem dicetis. Verumtamen hac etiam ratione vellem discere, an vel umbram aliquam justi prætextus dicere possitis. Defensore caret, ait, virgo, neque virum habet, neque tutorem, sæpe item neque patrem, nec fratrem; indiget aliquo, qui ei manum præbeat, et solitariæ mœrorem consoletur, et ubique se pro ea opponat adversariis, et ipsam in securitate et portu constituat. Quam tu mihi securitatem, quæso, quem portum narras? Portus enim propugnaculum video non arcens fluctus, sed excitans: et portum non comprimentem tempestates, sed graves, quæ non aderant, moventem procellas. Non confundimini, non vultus vestros obtegitis, dum hanc defensionem affertis? Nam si ex hoc ministerio neque accusatio, neque damnum, neque scandalum nasceretur, sed fama adhuc salva liceret istud ipsum facere, annon admodum miseri essetis, qui dum divitias ejus augetis, et ad pecuniarum amorem illam exercetis, in negotia conjicitis, et ad mundanas curas instituitis, œconomorum, curatorum et forensium officia adiretis? Non poteritis multa de paupertate disserere, ac persuadere, ut facultates contemnantur, qui omnia facitis, ut facultates maneant et augeantur, ut opibus opes accrescant, institores quidam, et iterum institores propter illas facti, tametsi inutiles. Non enim ingenua spes vestra. Nam cum jussi fueritis portare crucem et sequi Christum, abjecta cruce, quasi effœminati milites scuto projecto, ad colum et calathum considetis, per aliam turpiorem methodum aperta in præ-

sentem vitam janua. Non enim tam turpe est eos qui in matrimonio sunt hæc administrare, quam vos qui simulatis vos resiliisse a præsentium rerum curis, sub alterius persona iterum easdem subire. Propterea helluonum, et adulatorum, et parasitorum, et mulieribus servientium ubique famam suscipimus, quandoquidem abjectam omnem generositatem nobis superne datam cum servilitate et vilitate terrena commutamus. Et viduarum quidem dispensare opes noluerunt generosi olim illi viri, cum tanta inde oriretur blasphemia quod nullus esset qui administraret, sed existimantes hoc inferius esse sua philosophia, aliis demandarunt. Nos autem non erubescimus divitias alienas augere, cum damno possidentium, nihilo meliores eunuchis in hoc occupatis : quibus mandatum est, ut quotidie sanguinem et animam in manibus feramus, in vicem armorum. Quid igitur? oportebit-ne omnia quæ virgini rapiuntur contemnere, dum tolluntur et circumferuntur a cognatis, a familiaribus, et alienis et domesticis? Non profecto bonam reddemus virgini retributionem, quod neque nupserit, neque præsentem mundum dilexerit, sed pro omnibus Christum elegerit, sinentes illam expositam iis, qui eam facultatibus suis privant. Et quanto satius ipsi erat nubere, et uti contubernali, cui incumberet harum rerum administratio, quam si innupta manens fœdera cum Deo inita conculcet, et injuriam faciat rei tam honestæ ac reverendæ, et alios quoque ad naufragia suorum malorum trahat? Quo pacto autem hanc omnibus Christum prætulisse dices, cum Christus clamet, ac dicat : « Non potestis » servire Deo, ett mammonæ[1] ? Quo pacto item mundum et præsentia odio habere poteris, qui concupiscentias hujus mundi non aspernandas suades? Quomodo autem eam, quæ virum habet hortari potes, ut contemnat opes, cum

[1] Matth. vi, 24.

tu virgini divitias conquiras? et hanc ipsam quomodo permittes assidue et constanter hærere Domino, cum omnem vitam et omne studium in ejus negotiis expendas? Quomodo poterit virgo philosophari, cum te virum videat indigne ferre, si ejus pecuniæ diripiantur? Quomodo poterit damnum contemptui habere, cum te videat omnia facientem et patientem, ut illius opes accumules? Non sic nos Deus a negotiis liberari vult, sed contemnere facultates, et omnibus quæ ad hanc vitam pertinent renuntiare: at non sinitis vos, neque conceditis legem Dei valere. Quid ergo, si aliorum opus habeat patrocinio, inquit, et multa ferat indigna? Annon indigna sunt hæc virgine? Imo nihil tam indignum virgine, ut ditari et negotiorum turba obrui. Quid autem si et alia cum his jubeat, qualia sunt fœnerari aurum: deinde nobis vocatis ad commercia, id non persuaserit: et cum non persuaserit, alios adeat, nos-ne in causa erimus? quid autem, si negotiationes aliquas alias illiberales et serviles instruat? Deinde si, cum nos cooperari noluerimus, aliis quibusdam opus habeat: digni-ne erimus qui redarguamur? Nullo modo, quin potius digni qui laudemur. Nam contra vituperio digni essemus si mutuas illis operas daremus. Vis non auferri neque diripi opes illius? admone eam ut deponat, ubi neque viro opus habeat ad custodiam, et perpetuo integræ maneant: si autem voluerit negotia habere, quare ludit in non ludicris? Nam si virgo hæc agat, ludit ludum non jucundum, sed mortiferum. Quando enim obnoxiam his certaminibus se constituit, et omnia indigna sua pollicitatione facit: major pœna, gravior est parata vindicta. Num audisti qualem ipsi legem posuit Paulus, imo Christus qui per illum locutus est, quod divisa est mulier, et virgo? « Et quæ innupta est, cogitat quæ sunt Domini, ut sit sancta et cor-

[1] 1 Cor. VII, 32.

» pore, et spiritu[1] ? » Sed vos non sinitis, et omnia earum desideria auscultantes magis, quam emptitia mancipia, morigeri estis. Ita est, inquit. Quid igitur, si extrema inopia laboret? Nam de abundantibus hæc bene a te dicta sunt. Quæ autem in mendicitate et inopia multa neglectæ jacent, quid criminis est si erigantur. Utinam non dejecissetis et depulissetis eas in perditionis barathra, et id optabile esset. Enimvero si hoc facis obsequens ejus mandato, qui jussit pauperibus subsidio esse: habes multos fratres: ibi bonum hoc opus exhibe, ubi nihil suspicor offendiculo futurum esse: at hic eleemosyna omni inhumanitate et crudelitate deterior est. Quæ enim utilitas, dum tu quidem corpus alis, animam autem deprimis? quando vestem das, suspicionem autem nuditate turpiorem facis? quando prodes in iis quæ sunt corporis, omnia autem spiritualia disperdis? quando ei prosperam rem facis in terra, ejicis autem e cœlis? Qualis autem hæc eleemosyna, quando gloria Domini contemptui est, quando palam sunt opprobria et confusio, et convicia, et scommata, et ejus cujus misereris, et aliorum multorum qui scandalizantur? Non a misericordia, sed ab inhumana et crudeli anima hæc proficiscuntur. Nam si ex misericordia et humanitate essent hæc circa viros quoque exhibere oportebat.

VII. At mulieres, inquis, majore opus habent patrocinio: viri autem a natura multa habent adjumenta. Quin et in viris multi sunt qui mulieribus infirmiores, et ob grandem senectam, et ob valetudinem, et ob mutilationem corporis, et ob morbos graves, aliasque id genus causas. Verumtamen quia maxime vobis curæ est mulierum genus, utpote infirmius, et ad eas valde misericordes et compatientes estis, neque hac in parte occasione destituemur: sed ostendemus vobis argumenta in quibus nihil

[1] 2 Cor. VII, 32.

vituperii, et mercedis est plurimum. Sunt enim et mulieres quædam senio confectæ, vel resectis manibus, vel captæ oculis, variisque aliis morbis invalidæ, et difficiliore morbis paupertate. Siquidem inopia, cum prorsus nihil habetur, corporis morbos affert. Ipsa autem paupertas a morbis quoque gravior fit, et intolerabilior. Has perquire et collige, imo in colligendis nullo opus erit labore, ita ante omnes jacent, paratæ omnibus qui porrigant manum. Si opes habes, in has expende : si validus es, has corporis ministerio adjuva, multa et hic negotia videbis quæ indigent corporali ministerio, et sumptu opum et circumcursitatione. Nam opus habent ut illis assignentur domicilia, præparentur medicamenta, et lectus et vestes emantur, et curentur cibi boni, aliaque multa, etiamsi solum decem essent, quæ ita ægrotant : nunc autem civitas nostra his tota impleta est, inveniesque mille et duo millia. Istæ sunt, quæ auxilio indigent : istæ desolatæ sunt, istæ humi jacent. Hæc est eleemosyna, hæc est humanitas, hoc in gloriam transit Dei, et in utilitatem eorum qui vident, et qui accipiunt, et qui faciunt. Etenim justius adjuvantur infirmiores, quam fortiores : et vetulæ quam juniores : et hæ quibus neque necessaria sunt, quam illæ quæ mediocria possident : et illæ quæ apud multos abominabiles, quam quas multi adamant : et illæ quæ contumeliis onerantur, quam eæ, quæ illatas avertere, et bonam sibi famam conciliare possunt. Ostende igitur quod propter Deum hoc facias, et illis opitulare. Quod si has neque per somnum videre vis, sed formosas et adolescentes obambulando venaris, et illiberalis hujus venationis causam quidem aliam habes non ferendam, prætexis autem aliam quæ in speciem honesta et accepta est, nempe tutelam, licet homines decipias, sed non item tribunal Dei, quod muneribus corrumpi nequit : nam ob aliam quidem causam hæc facis, et aliam prætexis. Diciti

quidem, quod propter Deum faciatis omnia, facitis autem opera quæ sunt inimicorum Dei. Siquidem efficere ut Dei nomen blasphemetur, et accusetur, id demum est inimicorum Dei. Ego vero et aliud suppono quippiam : ponamus enim hoc vere dici, eumque omni concupiscentia purum esse, neque ex ulla alia re, quam ex sola pietate hanc curam suscipere : attamen neque sic ipsum a pœnis fore liberum inveniemus. Nam si deessent occasiones aliæ, in quibus etiam pietatem exhibere, idque facere, nullis animabus in eo impingentibus, posset : ne sic tamen hoc agere oporteret, ubi majus lucro damnum. Num enim par est, ut ob corporalia negotia unius aut duarum virginum infinita multitudo animarum jacturam faciat? Verumtamen neque sic gravis est accusatio : cum autem innumeras invenias vias, et alienas ab accusatione, et liberas a scandalis, et quæ majorem habent quæstum : cujus rei gratia tibi ipsi nectis negotia frustra et incassum, et lucrum suffodis, et periculose extruis, atque ignominiose, cum liceat sine damno et cum magna gloria? An nescis Christiani vitam usquequaque lucere debere, et eum qui suam gloriam fœdet, ubique postea inutilem fore, et nihil magnum lucrari posse, etiam si præclara facinora ediderit? Nam « Si sal infatuatum fuerit, inquit, in quo salietur » ultra[1] ? » Sal enim nos esse vult, et lumen et fermentum Deus, ut et alii a nobis utilitatem accipiant. Quod si homines irreprehensibiliter viventes, vix convertere valent negligentes : quomodo si illis ansam dederimus, non undequaque perditionis illorum rei erimus? Nam sicut qui perversam agit vitam, nunquam salvatur : ita neque qui se ipsum ignominia aspergit, pœnam effugere poterit. Quod si etiam admirabile quiddam dicendum : etiam si graviter quis peccet, si clam hoc faciat, et neminem

[1] Matth. v, 13.

scandalizet, minorem dabit pœnam, quam qui levius peccavit, sed impudenter, et cum multorum scandalo.

VIII. Et ne dictum admireris, neque plus justo dictum putes, tibi hanc e cœlo sententiam afferemus, et hanc legem inde prolatam probabimus : nam beatum Moysem omnium, qui super terram, hominum mitissimum, Dei amicum, Prophetarum maximum, quandoquidem Deus aliis per ænigmata locutus est, huic autem sicut amicus amico. Hunc igitur et talem qui multas miserias in deserto tulit tot annis, qui in extremis sæpe periculis fuit, et apud Ægyptios propter Judæos, et apud Judæos pro ipsis ingratis : tamen hunc talem et tantum nihil aliud prohibuit post tot ærumnas multaque præclare gesta, promissione potiri, quam quod scandalo fuisset iis qui cum ipso erant apud aquam. Et hoc est quod insinuabat Deus dicendo : « Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram » filiis Israël, propter hoc non inducetis congregationem » hanc in terram, quam dedi eis [1]. » Quamvis autem antea in nonnullis minus obedisset : contradixit enim Deo semel ac iterum cum mitteretur in Ægyptum, et postea in deserto incredulus dicebat : « Sexcenta millia sunt peditum, » et tu dixisti : Carnes dabo ipsis, et comedent mensem » dierum : num oves et boves mactabuntur, vel omnia » edulia maris congregabuntur et sufficient ipsis [2] ? » Et postea iterum difficilem se reddidit, et populi præfecturam detrectabat ; attamen nihil aliud potuit ipsum propositis præmiis privare, quam illud solum quod apud aquam contigit, quod natura quidem minus aliis erat, sed quia cum damno aliorum fiebat, multo majus judicatum est. Illa enim privatim et occulte accidebant, hoc autem manifeste, et coram omni populo palam peccatum est. Propterea et reprehendens Deus, hoc insinuabat dicens : « Quia

[1] Num. xx, 12. — [2] Id. xi, 21.

» non sanctificastis me coram filiis Israël : » peccati eorum naturam detegens, et unde factum, quod veniam non mereatur, declarans. Si autem talem virum hoc fecit impingere, nos vermiculos et nullius pensi, quomodo non destruet et perdet? Nihil enim ita exacerbat Deum, ut quando nomen ejus blasphematur. Unde sursum ac deorsum apud Judæos hoc jactat, eos reprehendens, « Quia nomen » meum profanatur : » et iterum, « Vos profanatis ipsum : » et, « Propter vos nomen meum blasphematur in » gentibus[1]. » Et tanta ipsi fuit cura ne hoc eveniret; ut et indignos sæpe salvarit, ne hoc fieret. « Feci enim, ait, ne » nomen meum profanetur, » et, « Non propter vos ego » facio domus Israël, sed ut nomen meum non profane» tur[2]. » Paulus vero anathema esse optabat pro gloria Dei : et ipse Moyses quoque e libro vitæ deleri orabat pro gloria nominis Dei[3] : vos autem non solum nihil pati vultis, ut hanc arceatis blasphemiam; sed etiam omnia facitis, per quæ illam augeatis, et quotidie intendatis. Quis igitur vos excusaret? quis vobis ignosceret? Nullus est. Tantam autem curam et Deus et sancti gerunt, ut non blasphemetur nomen ejus, non quod Deus opus habeat ut a nobis glorificetur : nullius enim indiget et perfectus est, sed quod ex ea re multum damni hominibus accidat. Quando enim apud ipsos male audit nomen Dei, et gloria ejus, nihil ipsis ultra prodest. Quod si Deus cum accusatur, nihil prodest : multo magis nos.

IX. Omnia igitur faciamus, ut nulla sit occasio scandali, etiam si juste reprehendant, persuasionibus diluamus crimina, et imitemur sanctos, quibus tantum fuit studium gloriæ Dei, ut suam contemnerent propter Deum. Ne abjectis omnibus et conculcatis, sufficere arbitremur

[1] Isaï. LXVIII, 11; LII, 5, et Malac. I, 12. — [2] Ezech. XX, 9, et XXXVI, 22. — [3] Exod. XXXII, 32.

ad defensionem si dixerimus : Vestem emimus virgini, et calceos, et alia quæ ad corporale virginis commodum attinent, bene disposuimus, Quis, ait, administraret ea quæ domi nostræ? quis possessionibus prospiceret? quis præesset domui nobis absentibus, et cum intus non sit mulier? nam et hæc dicunt prioribus contraria, et turpiora. Et nihil curant ista, neque erubescunt, sicuti ebrii, omne quod in buccam venit loquentes : quapropter neque nos defatigabimur, etiamsi talia sint quæ ab iis dicuntur, ut nullum responsum mereantur. Non gravabimur, inquam, et respondere, et mansuete cum eis agere, donec ab hac ebrietate illos liberemus, quantum scilicet in nobis erit. Me pudet enim et erubesco, cum hæc evertere tento, quæ contradicentes illi opponere non erubescunt : ferenda tamen omnino erubescentia ad utilitatem eorum qui erubescere nesciunt. Etenim absurdum fuerit, dum redarguimus eos qui pro nihilo habent, quod fratribus offendiculo sint, pudoris causa illorum curam abjicere. Dic enim mihi, quænam illa dicunt domi ad curam virginis tam necessaria esse? Barbararum-ne puellarum tibi examina sunt, et nuper empta, quæ oportet erudire et ad lanificium et ad alia ministeria? At penuaria adsunt opum et vestium, et oportet custodem intus semper sedere, et a famulorum malitia virginis oculos ea tutare, cœnam quoque et convivia continue apparare, et oportet domum ornari, et coquos et mensæ ministros cura regi virginis? Sunt-ne item multi varii sumptus et frequentes, et oportet aliquem semper esse præfectum, ut custodiantur cum diligentia, ut ne illa a domo sine utilitate elabantur? Nihil horum ait; sed ut ipsi arcam et vestem, et aliam curet facultatulam, bene paret mensam, bene sternat lectum, et accendat ignem, et abluat pedes, et aliud solatium omne præbeat. Deinde pro parva et frigida commoditate hac tantam feremus accusa-

tionem, tanta sustinebimus opprobria? Et quanto melius frater et facilius administraret? Natura enim fortior est muliere vir, usu autem nobis accommodatior, et non tam sumptuosus. Mulier quippe, utpote tenerior, et molliore indiget lectulo, et tenuiore vestitu, et fortassis puella altera, quæ ei ministret: et non tantum nobis ministerium præbebit, quanto ipsi opus erit a nobis: frater autem his omnibus non eget. Quod si aliquo eget, eodem et nos indigemus, quod non parvæ commoditatis est, si contubernales non variis, sed iisdem utantur: id quod certe in virgine non est. Primum sane sive lavari velit, sive corpore ægra sit, neque frater ipsi ad hæc ministrabit, tametsi valde impudens sit, neque ipsa sibi sufficiens erit. Si autem fratres sunt qui cohabitant, vicissim ministrare poterunt. Item quando dormire opus fuerit, virgine quidem intus sedente, et lectos duos esse oportet, et strata duo, et lodices duos: si autem sapiant, et domicilia duo. At si fratres sint, iterum re familiari tanta non est opus. Etenim domus una, cervical unum, et lectus unus, et eadem tegmina utrisque sufficiunt: et in summa, si quis omne percurrat ministerium, hic multam inveniet facilitatem, ibi autem difficultatem. Taceo domus turpitudinem. Quale enim est, si in domum viri solitarii itur, videre calceos muliebres suspensos, et cingula, et mitras, calathiscos et colum, et radium textorium et pectines, et fusa, et alia quæ particulatim omnia numerare non licet? Si autem quæ divitis sunt scruteris, major est risus materia. Primum quidem in puellarum tanta turba solus versatur, quasi choraules in orchestra, qui in choro mulierum saltantium concinit: quo quid turpius et inhonestius? Deinde disrumpitur tota die famulis succensens ob res quæ ad mulierem spectant. Nam ei necessarium est aut omnino silere, et omnia ngligentem ab illa increpari, vel dicentem et increpantem

turpiter agere: et vide quid contingat. Nam qui jussus est ne prope quidem ad temporalia negotia accedere, non solum temporalia, sed muliebria ipsissima tractat. Etenim vasa muliebria afferre non detrectabit argentariis, subinde rogans non speculum dominæ præparatum sit, non cadum absolverint, num lecythum reddiderint: nam in eam corruptionem venerunt omnia, ut pluribus vasis, quam sæculares, multæ utantur virgines. Hinc iterum ad unguentarium currit collocuturus de aromatibus dominæ: sæpe etiam præ nimio studio nec detrectabit si et pauper injuria sit afficiendus. Utuntur autem virgines unguentis, et variis, et pretiosis. Deinde ab unguentario ad vendentem lintea: et ab illo iterum ad auleorum textorem. Non enim verentur imperare hæc parva, quia vident eos valde obedientes, et gratiam habentes imperantibus majorem, quam aliis ministrantibus. Hinc iterum si quando aliquid apparandum quod ad gestariorum tabernaculum hoc pertineat, usque ad vesperam impransi perseverant officinis affixi. Et illud non est mirandum, sed quod et miseris famulis sint molesti, et frequenti injuria et inclamatione hos urgeant. Cogita quantæ hinc querimoniæ: minister enim injuria affectus, maxime pro talibus rebus, quia eum qui se injuria affecit non alio modo ulcisci potest, lingua hoc facit, et occulta obtrectatione: nec parcit aliqui eorum, quibus furori suo satisfaciat, sed tam immodice ulciscitur, quantum verisimile est servum ita exprobratum, et cui sola hæc est consolatio e malis suis adversus eum qui se contristavit. At qui pauperi, inquit, cohabitat, cum argentariis negotia non habet. non enim paupertas sinit assidere officinis unguentariis, et cum sutoribus, et textoribus, et variegatoribus et tinctoribus multum conversari: et quid opus recensere sordes omnes, ut quando in domum intrant, quo subtegmen ac tramam vendant, et deinde in

foro, ut talia iterum requirant? Et hæc quidem domi, in foro autem risu digniora ferunt.

X. In Ecclesia vero dici non potest quanta sit turpitudo. Nam quasi oporteat, ut locus nullus illorum opprobrium ignoret, et illiberalem servitutem : sic in loco hoc sancto, et terribili, omnibus suam intemperantiam prædicant : et quod utique gravius ea re gloriantur, ob quam erubescere oportebat. Ante fores ipsas excipiunt, eunuchorum loco inserviunt, obvios submovent, ac præeuntes altum sapiunt videntibus omnibus, et non verecundantur, sed ea re gloriantur : atque in ipso sancto et horrendo mysteriorum tempore, ministrantes ad earum placitum, criminandi occasiones multis intuentibus præbent. Ille autem misere et calamitosæ, cum oporteret ab hac illos gratia prohibere, illa insuper gloriantur, et confidentiores fiunt. Quanquam si quis vel iis, vel illis maledicere vellet, quid maledicto hoc inveniret atrocius, quam ut tam innumeris testibus intemperantia eorum arguatur, et in oculis omnium fœde agant? Quid opus est dicere quot in Ecclesiis ob illarum gratiam subvertantur, quot divina opera a multis negligantur, ut ne has irritent? Et quid dico ne irritent? si quis tantum insuavius et tristius eas aspexerit, omnia malunt ferre, quam dissimulare illam hoc passam esse. Sed quousque tandem et nos fœde agimus, illorum omnia enarrantes? Non utique hoc proposuimus : nam si omnia tractare velimus, multa et longa nobis oratione opus esset : imo si maxime vellem, non possent omnia dici : quandoquidem dum ex multis pauca colligimus, etiam sic prolixi sumus. Sed non ad hoc venimus, verum inviti ad illorum memoriam rapti sumus, ut cordati auditores parumper admonerentur : quod reliquum est operæ-pretium videtur, ut obsecrationem et precationem adhibeamus. Oro igitur et supplico, et ante genua vestra me provolvo, atque ob-

nixe rogo, persuadeamini, et ab hac emergamus ebrietate: simus nostri ipsorum compotes, et agnoscamus honorem, quem dedit nobis Deus: Et Paulum clamantem audiamus: « Ne sitis servi hominum[1]: » et desinamus, ut serviamus mulieribus ad communem omnium nostrorum perniciem. Milites nos esse Christus vult strenuos et athletas. Non propter hoc nos armavit armis spiritualibus, ut puellarum triobolarium ministeria suscipiamus, ut circa lanas et stamina, et alia ministeria versemur, ut assideamus muliercalis nentibus et texentibus, ut totum diem consumamus, verbisque et moribus muliebribus animas imbuamus: sed ut configamus invisibiles virtutes, quæ nobis adversantur: ut diabolum percutiamus, qui contra nos ducem agit, ut abigamus feroces dæmonum phalanges, ut subvertamus eorum propugnacula, ut potestates et mundi dominos, rectores harum tenebrarum in servitutem ducamus, ut spiritualia malitiæ fugemus, ut ignem spiremus, ut ad quotidianas mortes parati simus. Propter hoc induit nos thorace justitiæ, propter hos cinxit nos zona veritatis, propter hoc imposuit galeam salutis, propter hoc pedes nostros calceavit præparatione Evangelii pacis, et tradidit gladium spiritus, propter hoc ignem accendit in nostris animabus. Si igitur militem aliquem postquam induerit galeam, ocreas, thoracem; postquam acceperit gladium, lanceam, scutum, tela, sagittas, pharetram, tuba jam clarum sonante, et omnes evocante, hostibus magno impetu sævientibus, et civitatem a fundamentis evertere molientibus, videres non in agmen foras currere, sed in domum ingredi, et mulieri assidere cum armis: annon, si modo liceret, gladio medium transfoderes, ne sermone quidem eum dignatus? At si tu tanta ira impletus es, quomodo putas Deum in multo turpioribus erga nos affici? Tanto enim

[1] 1 Cor. VII, 23.

turpiora et absurdiora sunt hæc quam illa, quanto et gravius bellum, et hostes truculentiores, et præmia, pro quibus bellatur, majora, et in summa, omnia tantum transcendunt, quantum umbram veritas. Itaque ne effœminemus robur nostrum, ne succidamus nervos nostros istis conversationibus. Etenim multam et immensam animabus nostris instillant malitiam. Quid enim, etiam si non sentiamus amore ebrii? Istuc enim ipsum omnium est longe gravissimum, quod nesciamus quomodo enervemur, ceraque omni molliores reddamur. Nam sicut si quis leonem superbum et torve intuentem arripiat, et jubas abradat, dentes excutiat, ungues amputet, turpemque faciat et ridiculum, et terribilem illum et intolerabilem, et rugitu solo omnia concutientem, facile a puero superabilem reddat: ita et illæ quos capiunt omnes, superatu faciles reddunt diabolo, molliores, concitatiores, impudentes, inconsiderantes, iracundos, audaces, importunos, humiles, abjectos, crudeles, illiberales, temerarios, nugaces, et in summa, omnino corruptos mulierum mores in animam illorum immittunt et inferunt.

XI. Etenim fieri non potest mulieri cohabitantem cum tanto affectu, et illarum conversationibus emollitum, non esse circulatorem, et forensem, et sordidum. Nam si quid loquitur, de staminibus et lanis loquitur, lingua ejus muliebri loquacitate infecta: et si quid facit, hoc magna servilitate operatur, et se ipsum procul a christiana libertate sejungit: ad nihil eximium, aut præclarum utilis. Nam cum ad sæculares et civiles res hominum inutilis sit et nullius frugis, multo magis ad magnitudinem rerum spiritualium, quæ tanto generosiores viros requirunt, ut ne attingi quidem possint, nisi ab iis qui ad eas transituri Angeli ex hominibus fiant: non ipsi autem solum tanto malo afficiuntur, sed et illis morum pessimorum auctores

fiunt. Nam quemadmodum illi qui istis valde placere volunt, officii sui rationem negligunt, ita ipsæ propter illos a via sibi convenienti aberrant, malam et perniciosam invicem exhibentes retributionem. Etenim se ornant curiosius, delicatiorum vestium et incessus multam curam habent, et quæ non licet tota die nugantur : nam quia vident his incompositis moribus et verbis oblectari, omnia studiose sectantur, per quæ ipsos in servitute contineant. Jam si voluerimus paulisper resipiscere, et nostri ipsorum esse, et illas lucrabimur, et nos ipsos et alios omnes : et sicut nunc perditionis multorum rei facti sumus : sic et a multorum salute tunc mercedem accipiemus : et quibus nunc potimur turpiter, illis fruemur magno cum honore. Cur enim vis honorari a mulieribus, dic mihi ? Maxime indignum hoc est viro spirituali, amare talem honorem. Verumtamen et tunc aderit, quando non quæremus ipsum. Solet enim homo despicere eos, qui se colunt, et admiratione habere eos, qui non adulantur : cui rei muliebris natura magis obnoxia est. Nam si illis quis aduletur, intolerabilis est : admiratur autem omnium maxime eos, qui cedere nesciunt, nec succumbunt intempestivis suis concupiscentiis : et hujus vos mihi testes eritis. Nunc enim non solum externi, sed et ipsæ quoque contubernales vos irrident : etsi non manifeste, certe tamen in conscientia, glorianturque hac dura tyrannide : tunc autem omnino vos admirabuntur, et vestram obstupescent libertatem. Quod si nostris sermonibus non creditis, illas ipsas interrogate, utros magis laudent et approbent, an eos qui serviunt, an qui dominantur : subjectos, et qui omnia faciunt et patiuntur in ipsarum gratiam, vel qui nihil horum ferunt, et pravis earum parere mandatis erubescunt. Et si volent dicere verum, omnino, illos, respondebunt : imo neque responso opus, rebus istuc ipsum clamantibus. At

voluptatis gratia qui cohabitat, opibus inhiat, oculos pascens virginum aspectibus: maxime quidem licet hoc ita se haberet, tamen propter hoc ipsum fugere oportebat. Nunc autem vobis satis demonstratum est, quod suave hoc non sit, sed plane contrarium, si quis hac contemplatione non fruatur: et tu illis adjicito bonæ conscientiæ lætitiam. Nihil enim nos sic exhilarare solet, ut conscientia pura et bona spes. Sed quietis gratia hoc inquiris? jam demonstratum est, quod hoc facilius esset, si frater cohabitaret: at nunc nihil a servo differs: et quærens requiem, servitutem invenisti gravissimam: cum vero immunis ab hoc ministerio fueris, tum eris inter eos qui imperant, non quibus imperatur. Igitur si ibi pro voluptate mœror, et pro gloria confusio, et pro libertate servitus, et pro requie labor: et accedunt ad hæc, quod et Deus blasphematur, et tanta perditio ac scandala, et immortalis pœna, et plurimorum bonorum amissio: hic autem contraria omnia, gloria, honor, voluptas, fiducia, libertas, salus animarum, regni hæreditas, pœnæ effugium: cujus rei gratia non hæc illis commutamus? ego certe nescio: nisi quis se ipsum perdere desideret; nulla siquidem nobis posthac defensio erit, nec venia. Si enim, quamvis nihil horum esset, omnia tamen pro gloria Dei ferre oportebat: cum et præsentia percipere, et futura assequi bona liceat: nos autem præterquam quod Dei gloria blasphematur, nos ipsos etiam perdimus, quis nos eripiet et liberabit a supplicio propter hoc imminente? Nullus sane.

XII. Omnia igitur hæc nobiscum perpendentes, vel sero tandem reparemus animarum salutem. Quod si quid difficultatis habet divelli a longa consuetudine, vi ratiocinii una cum Dei gratia hoc totum permittamus: et illud nobis persuadeamus, vel si principium solum imponamus operi, non ultra visuros nos difficultatem: sic adversus

consuetudinem prævalebimus. Nam si decem dies te abstraxeris, facilius feres viginti, et iterum bis tantos, deindeque sensim progrediens neque senties difficultatem, quam habuisti initio, videbisque facillimum factu, quod tot agones prius exposcebat, et in aliam te transferes consuetudinem, inveniens haud ita gravem translationem: neque id per consuetudinem solum, sed et per bonam spem continget. Sic te illæ magis admirabuntur, et Deus præ aliis acceptum habebit, et homines coronabunt, vivesque libere et jucunde. Quid enim fuerit suavius, quam a mala conscientia liberari, et perpetuum concupiscentiæ bellum dirimere, et multa facilitate insignem continentiæ coronam plectere, et liberis oculis in cœlum respicere, puraque voce et corde Dominum universorum invocare? Nullus catenis, squallore et aliis carcerum incommodis exemptus, imo nullus qui cæcus erat apertis oculis, et visa hac dulci luce sic exultat, gestit et tripudiat, ut qui ab hac servitute liberari potuit. Longe enim dulcior hac luce est liberatio ab hac tyrannide, et omni caligine gravior servitutis illius et vinculorum miseria. Verum quid opus est prolixius utriusque vitæ conditionem persequi, cum illa quidem indignitatem, tristitiam, damnum et corruptionem magnam: hæc vero libertatem, voluptatem, utilitatem et multam prudentiam præ se ferat? nullus enim ea sermo potest exprimere, sed sola rerum experientia. Et tunc probe scietis, a quibus malis liberati sitis, quam assecuti fueritis vitam, cum reipsa nobis obtemperare volueritis. Obtemperabitis igitur, cum opere ipso quæ dicta sunt didiceritis. Quod si adhuc respuitis, et nostris sermonibus non creditis: interrogate aliquos qui hanc servitutem tulerint aliquando, et deinde liberati ad libertatem bonam recurrerint, et scietis admonitionis hujus lucrum. Etenim et Salomon cum sæcularium rerum concupiscentia teneretur, magnas

eas et admirandas putabat, multumque in eis laboris et sollicitudinis insumebat, magnificas ædificando domos, immensum coacervando aurum, congregando cantorum choros, varia genera ministrorum mensæ et popinæ, quærendo animæ suæ voluptatem ab hortorum et corporum formosorum gratia : et omnem, ut ita dicam, oblectationis et refrigerii viam sectando. At ubi inde ad se reversus, et quasi ex caliginosa quadam abysso ad lumen veræ sapientiæ respicere valuit, tunc sublimem illam, et cœlis dignam emisit vocem : « Vanitas vanitatum, dicens, et omnia » vanitas[1]. »

XIII. Hanc et vos et hac sublimiorem, si volueritis, efferitis sententiam de intempestiva hac voluptate, si aliquantisper a mala consuetudine vos sejunxeritis. Quamvis autem a Salomone sæculis superioribus non tam multa sapientiæ exigebatur diligentia : neque enim delicias Lex vetus prohibebat, neque aliis frui supervacuis dicebat, esse vanum : attamen et sic se habentibus rebus, in ipsis contueri potuit, quam viles et vanitati obnoxiæ res essent. Nos vero ad majorem vocati vitam, et ad excellentius fastigium ascendimus, et in majoribus exercemur palæstris. Et quid aliud, quam quod sicut supernæ Virtutes, intellectuales et incorporeæ illæ viam instituere jubemur? Annon igitur est turpe, extremoque supplicio dignum, illo multo minores apparere : et non solum concessis non fieri sublimiores, ut ille, sed et vetita aggredi, quæ intolerabilem pœnam afferant? Nam in anima malum amorem pascere, ex concupiscentia spectare mulierem, speculari alienam formositatem, dehonestare se ipsum, nocere infirmioribus, multas gentilibus et Judæis ansas præbere, domesticos et alienos supplantare, multamque contra Dei gloriam procurare blasphemiam, servili ministerio man-

[1] Eccle. I, 2.

cipatos esse, ad sæcularium negotiorum turbam nos ipsos intrudere, donatam nobis libertatem diabolo propinare, et cum immanissima tyrannide commutare : ridiculum quidem amicis, probrosum vero inimicis esse, malam omni ecclesiæ opinionem invehere, confundere honestam virginitatis dignitatem, et luxuriantibus multas præbere occasiones, aliaque his plura facere gravia ; neque enim omnia scire licet, aut verbis exprimere, quæcumque per hujusmodi opera sustinent; hæc et valde prohibita sunt, et cruciatum intolerabilem secum afferunt. Itaque licet parva etiam voluptas sit, opponantur ei risus, confusio, multorum suspiciones, reprehensiones, convicia, exprobrationes, vermis qui non moritur, tenebræ exteriores, ignis inextinguibilis, tribulatio, angustia, stridor dentium, vincula insolubilia : hæc sicut in statera appendamus, resiliamusque vel sero a pernicioso gravissimoque hoc morbo, ut cum fulgentibus coronis illuc migremus, et possimus libero ore ad Christum dicere : Propter te et propter gloriam tuam, et familiaritates contempsimus, et voluptati imperavimus, et animam nostram afflixumus, rejectaque omni amicitia et præjudicata opinione, te amoremque tui rebus omnibus præposuimus. Sic enim lucrabimur nos ipsos, lucrabimur miseras illas, lucrabimur eos, qui scandalizantur : et cum Martyribus collocabimur, primoque in ordine erimus. Nam iis, qui hoc maximo certamine vicerunt, et fortiter cruciatus tulerunt, non minorem pono hominem, concupiscentia veteri detentum, et in suavissima et antiqua consuetudine præoccupatum : et deinde per timorem Dei disrumpentem vincula, et ad id quod Deo probatur, recurrentem. Est enim et hoc multo difficilius, affectum et dilectionem inveteratam ejicere, et multiplices occasiones avellere, et assumptis alis ad cœlestes apsides recurrere. Et sicut Martyrum velox labor, ita et horum prolixior

dolor. Quapropter et pares coronæ, quoniam et certamina inter se sunt similia. Nam si qui educit et separat pretiosum a vili, sicut os Dei erit : qui et se ipsum liberaverit, et multos alios criminatione exemerit, cogita quantam accipiet mercedem : et præmiorum spe levis et alacris, contemne malam consuetudinem, ut juxta Dei voluntatem decursa vita hac, cum pura illam conscientia in cœlis videas, sanctissimaque illius conversatione fruaris. Nam ubi corporales affectiones solutæ fuerint, et extincta fuerit tyrannica concupiscentia, nullum erit obstaculum simul ibi esse mulierem et virum, e medio sublatis omnibus suspicionibus malis, et agere et servare cum liceat omnibus, qui in regnum cœlorum introducuntur, vitam, quam agunt Angeli, et intellectuales illæ Virtutes, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri una cum Spiritu sancto gloria, honor et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA.

Laus Maximi, et quales ducendæ sint uxores.

I. Quod quidem proximæ collectæ interesse mihi non contigerit, dolui : quod vero ipsi tum magis opiparam mensam nacti sitis, gavisus sum. Meus enim in trahendo jugo compar, nuper proscisso sulco ubere lingua inspersit etiam semina, omnique diligentia vestras excoluit animas. Vidistis linguæ puritatem, audistis bene tornatam orationem, datum est vobis aqua frui saliente in vitam æternam : vidistis fontem scatentem fluviis aurum purum deferentibus. Ferunt quemdam fluvium auri ramenta inferre accolis, non quod ejus aqua naturam auriferam habeat, sed quia fontes ejus oriuntur in montibus metallicis : per eos labens fluvius arenasque trahens aureas, accolentibus thesauros affert, ultro oblatis divitiis. Hujus fluminis in morem nuper hic magister labendo per Scripturas tanquam montes metallicos, quovis auro pretiosiores sententias intulit vestris animis : quapropter scio fore ut apparatus noster hodie vobis videatur exilior. Qui enim paupere mensa continue fruitur, si quando forte fortuna in copiosiorem inciderit, mox ad propriam reversus tanto magis sentit ejus inopiam. Attamen nihilo segnius orationem aggrediar. Nostis enim a Paulo docti et saturari, et esurire, et abundare, et egere, mirari divites, nec tamen pauperes contemnere [1]. Et quemadmodum vini amantes et potatores delectantur quidem generoso, sed deterius non fastidiunt : sic vos quoque qui deperitis divina elo-

[1] Philip. IV, 12.

quia, magistros doctiores suscipitis, ita tamen ut non vulgare studium impendatis etiam mediocribus. Qui enim luxu difflunnt, vel ad sumptuosam mensam nauseabundi discumbunt : contra sobrii qui esuriunt ac sitiunt justitiam, vel ad pauperem mensam magna alacritate accurrunt. Quod autem hæc non loquar ad gratiam, proximo, quem nuper ad vos habui, sermone satis apparuit. Cum enim multa verba faceremus de conjugio [1], docentes merum esse adulterium dimittere uxores, aut dimissas vivo etiamnum priore marito ducere, allegaremusque legem ab ipso Christo latam, ubi diserte legitur, « Qui dimissam » ducit, committit adulterium, et qui præter stupri cau- » sam dimittit uxorem, facit eam adulteram [2], » animadverti multos demisso capite cædere sibi faciem, ac ne vultum quidem posse attollere : ad quod spectaculum sublatis in cœlum oculis, Benedictus, dixi, Deus, quod non mortuis inclamemus auribus, sed nostra verba vehementer tangant auditorum animos. Satius quidem esset omnino a peccando abstinere, non parvum tamen ad salutem momentum est, agnitum peccatum damnare, et castigare diligenter conscientiam, utpote cum hoc ipsum justificationis pars sit, et in posterum a peccando arceat. Hinc est quod etiam Paulus eos, qui peccaverant, contristatos videns gaudebat, non ob eorum tristitiam, sed quod per hanc occasionem correcti essent. « Gaudeo, inquit, non quod » contristati fueritis, sed quod contristati sitis ad pœniten- » tiam [3]. » Nam qui secundum Deum est dolor, is pœnitentiam ad salutem non dubiam parit. Ergo sive propriis, sive alienis peccatis tunc indoluistis, ingenti laude estis dignissimi. Nam et qui pro alienis dolet, apostolica præ se fert viscera, et Beatum illum imitatur, dicentem, « Quis

[1] Supra Homilia de Libello repudii. — [2] Matth. v, 32. — [3] 2 Cor. vii, 9.

» infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et » ego non uror [1] ? » et qui propriis mordetur, debitam sceleribus suis pœnam extinxit, et per hunc dolorem, in futurum se cautiorem reddidit. Hac de causa ego quoque cum viderem vos demisso capite, gementesque et tundentes faciem, gavisus sum cogitans quantus sit fructus ejus tristitiæ. Quo fit ut et hodie idem argumentum tractare libeat, ut quibus cordi sunt nuptiæ, mature de hoc negotio deliberent. Si enim domum empturi aut mancipia, curiose consideramus tum venditores, tum priores dominos, ipsorum quoque venalium tam corporis habitudinem, quam indolem animi; quanto magis dispiciendum est de futura conjuge? Domum enim, si vitiosa sit, licet denuo vendere, sicut et servum nequam compertum venditori restituere : uxorem vero semel acceptam non item fas est a quibus acceperis reddere : sed necesse est in perpetuum eam domi habere, nisi malis ea ut improba ejecta reus adulterii juxta legem divinam fieri. Quando igitur uxorem ducturus es, non solum civile jus, verumetiam ecclesiasticum legito : nam secundum hoc, non illud, extrema die judicandus a Deo es : et illo contempto sæpenumero pecuniis tantum mulctaberis : hoc autem calcato in animæ supplicium incides et ignem inextinguibilem.

II. Tu vero uxorem ducturus externi juris peritos diligenter consulis, et illos frequentans sollicite disquiris, quid futurum sit, si ea decedat nullis relictis liberis, quid si filium relinquat, quid item si duo tresve fuerint superstites, tum quomodo vivo patre suo defunctove rebus suis usura sit, quantum ex ejus patrimonio marito, quantum fratribus mulieris obvenire debeat : quando item universa uxoris bona retinenda sint, ita ut nihil ex eis alii concedendum sit, quando contra cedendum omnibus : aliaque

[1] 2 Cor. XI, 29.

similia percontaris curiosius, modis omnibus circumspiciens ne quid ex uxoris bonis ad agnatos ipsius redeat, quamvis, ut jam dixi, si quid præter opinionem acciderit, damnum te sequatur tantum pecuniarum ; attamen nihil horum contemnis. Annon absurdum videtur, cum tantam rationem habeamus pecuniæ, animæ periculum et reddendam in illa die rationem contemnere, cum hic potissimum cura adhibenda sit? Ideo uxores ducturis suadeo ut beatum Paulum adeant, et leges apud eum de conjugio scriptas perlegant, cognitoque prius quid ille censeat faciendum, si uxor contingat malitiosa aut vino dedita, si maledica aut fatua similive obnoxia vitio, tum demum de nuptiis cogitent. Si enim videris eum tibi permittere in uno quovis tali vitio deprehensam expellere domo, et aliam pro illa introducere, ut extra periculum constitutus bono esto animo. Quod si hoc non sinat, sed jubeat quodcumque præter impudicitiam vitium habentem diligere, obfirma animum, quasi laturus quamlibet ejus nequitiam. Sin hoc grave videtur et intolerabile, omnem curam adhibe ut commodam, æquis moribus præditam, et obsequentem uxorem ducas, certus quod si malam duxeris, alterutrum necessario sequitur, ut aut feras perpetuam molestiam, aut si hoc nolis, ejecta illa reus fias adulterii. « Qui enim ejicit uxorem, inquit, absque » causa fornicationis, facit eam adulteram : et qui sic di» missam ducit, committit adulterium [1]. » Hæc si ante nuptias recte dispexerimus, et leges has cognoverimus, dabimus operam ut ab initio aptam et moribus nostris convenientem ducamus : quo facto non hoc tantum lucrabimur, quod eam nunquam ejiciemus, sed magno etiam affectu eam diligemus, quemadmodum Paulus præcipit. Cum enim dixisset : « Viri uxores diligant [2] : » non hic con-

[1] Matth. v, 32. — [2] Ephes. v, 26.

stitit, sed modum etiam amoris præfinivit[1]. [At quem tandem? «Viri diligite, uxores,» Dic quomodo? quem mihi diligendi modum præscribis?] «Sicut et Christus dilexit »Ecclesiam[2].» Et quomodo, quæso, Christus dilexit? «Ita »ut semetipsum pro ea traderet.» Itaque etiamsi mori pro uxore oporteat, nequaquam tergiversaberis. Nam si dominus servam ita dilexit, ut semet pro ea traderet, multo magis conservam oportet sic diligi. Sed videamus, ne forte pulchritudo sponsæ aut præclara indoles sponsum attraxerit. Ne hoc quidem dicere possumus. Quod enim deformis ac impura fuerit, audi quæ deinceps sequantur. Nam cum dixisset, «Tradidit se ipsum pro ea,» mox subjunxit, «Ut »sanctificaret eam purificatam lavacro aquæ[3].» Cum autem dicit «Purificatam,» ostendit impuram ante fuisse et contaminatam, idque non vulgari impuritate, sed longe maxima, ut quæ nidore ac fumo cruoreque cum aliis id genus innumeris sordebat maculis. Attamen non aversatus est ejus deformitatem, sed transformavit in meliorem faciem remissis peccatis pristinis. Hunc et tu imitare; etsi plurimum in te uxor peccaverit, totum ei remitte et condona: si male moratam nactus fueris, refinge eam ad bonitatem ac mansuetudinem, sicut et Christus Ecclesiam. Non solum enim immunditiam ejus abstersit, sed senium quoque abrasit exuto veteri homine, qui totus constabat e vitiis: Quod etiam Paulus subindicat his verbis, «Ut »exhiberet eam sibi ipsi gloriosam Ecclesiam, non haben»tem maculam aut rugam[5].» Non enim pulchram solum reddidit, sed et juvenem, non juxta naturam corporis, sed juxta voluntatis habitudinem. Nec hoc solum admiratione dignum est, quod nactus deformem, mala facie præditam, turpem ac vetulam, non aversatus est talem: sed quod morti se ipsum objiciens refinxit eam in pulchri-

[1] Ephes. v, 26. — [2] Hæc quæ uncinis clauduntur, in græco non extant, sed Interpres legit. — [3] Ephes. v, 26. Ibid. — [4] Ibid. 17.

tudinem incredibilem : sed quod etiam post hæc sæpe sordidatam animadvertens et maculatam, nec ejicit eam e thalamo, nec abrumpit nexus conjugii : sed mavult eam curare, et remediis corrigere. Quam multi enim, quæso, post acceptam fidem in peccata relapsi sunt : nec tamen eos ob hoc fastidiit : qualis fuit ille qui apud Corinthios stuprum commiserat, cum esset membrum Ecclesiæ : nihilominus non excisum est id membrum, sed sanitati redditum. Quin et Galatarum Ecclesia universa resiliit, et in judaïsmum lapsa est, attamen ne illam quidem repulit, sed curatam Pauli opera ad pristinam reduxit consuetudinem. Quemadmodum et in nostris corporibus si morbus acciderit, non membrum abscindimus, sed morbum pellimus : sic et cum uxore agendum est. Si quod insit ei vitium, ne ipsam ejicias, sed vitium abigito. Atqui uxor quidem emendari potest, membrum autem mutilum curare sæpe est impossibile; et tamen quamvis sciamus id incurabile, ne sic quidem rescindimus : sed cum alius loripes, alius ex crure laborans claudicet, alius manum aridam et emortuam circumferat, alius oculum lumine orbum, nemo tamen eorum oculum, aut manum, aut crus pedemque vult amittere : et quamvis sint inutilia, cæterisque membris dedecus afferant, tamen innato quodam affectu ut partem ejusdem corporis ea prosequimur. Annon igitur absurdum fuerit, ubi nulla speratur utilitas aut correctio, tantam adhibere sollicitudinem : ubi vero bona spes superest et facilis mutatio, nullam medicinam facere ? Nam innata vitia nullis cedunt remediis, voluntas autem depravata potest corrigi.

III. Quod si tuam uxorem post adhibita multa remedia neges curabilem, ut quæ obstinate mores suos retineat, ne tum quidem ablegandа est : neque enim membrum

incurabile recidimus. Est autem et hæc pars tui corporis : dictum est enim : « Erunt duo in carne una [1]. » Et membrum quidem curasse nullum operæ-pretium fuerit, si ex infirmitate insanabile maneat : contra uxoris vitio si medearis, licet insanabile maneat, magnum tibi propositum est præmium, si eam docueris et institueris. Quantumvis enim frustra sit omnis disciplina et institutio, tolerantia tamen tua mercede divinitus promissa non frustrabitur, quod propter Dei timorem tantum molestiarum sustinueris, et morosam fœminam æquo animo tuleris, et membrum tuum constanter pertuleris. Est enim uxor membrum nostrum necessarium; et hoc potissimum nomine debetur ei benevolentia : quod et Paulus his verbis præcipit : « Sic debent viri suas, diligere uxores sicut propria corpora. » Nemo enim unquam suam carnem odio habuit, sed nu- » trit et fovet illam, sicut et Christus Ecclesiam, quoniam » membra sumus ejusdem corporis, ex carne ejus et ossibus ejus [2]. » [Magnum hic subindicavit mysterium, dicens, « Ex carnibus ejus et ossibus ejus [3].] » Sicut enim Eva, inquit, ex latere Adami prodiit; ita et nos e Christi latere. Hoc enim est, « Ex carne ejus et ossibus ejus [4] : » sed Evam quidem e latere Adami prognatam scimus omnes, et diserte hoc in Scriptura legitur, quod immiserit in eum soporem, et exempta una e costis ejus ædificaverit mulierem : quod autem Ecclesia e Christi latere orta sit, undenam discere possumus? hoc quoque Scriptura indicat. Postquam enim Christus in crucem sublatus et affixus expiravit, « Accedens unus militum pupugit latus illius, » et exiit inde sanguis et aqua [5] : » et ex illa aqua et sanguine tota constat Ecclesia. Testis est ipse dicens : « Nisi

[1] Gen. II, 24. — [2] Ephes. v, 28, et 30. — [3] Hæc, quæ uncinis clauduntur, non sunt in græco, sed ita legit Interpres. — [4] Gen. II, 21. — [5] I Joan. XIX, 34.

» quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire » in regnum cœlorum [1] : » sanguinem autem appellat spiritum. Et nascimur quidem per aquam baptismatis, alimur autem per sanguinem. Vides quomodo simus ex carne ejus, et ex ossibus ejus, dum ex sanguine illo et aqua tum nascimur, tum alimur? et quemadmodum Adamo dormiente mulier est condita, sic Christo mortuo facta est Ecclesia ex ejus latere. Nec ob hæc tantum amanda est uxor, quod membrum nostrum est, et ex nobis originem habuit, sed quia legem etiam super hoc Deus statuit, sic dicens, « Propterea relinquet homo patrem suum » et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in » carne una [2]. » Nam ideo nobis hanc legem Paulus legit, ut modis omnibus nos ad hunc amorem compelleret. Hic mihi considera sapientiam apostolicam : non enim solis divinis aut solis humanis legibus nos inducit ad amandas conjuges, sed mixtim utrisque : ut sublimes quidem viri ac philosophici magis moveantur cœlestibus, infirmos autem et humiles naturale amoris incitamentum magis moveat. Ideo primum a Christi beneficiis doctrinam hanc incipit sic dicens, « Diligite uxores vestras, sicut et Christus di- » lexit Ecclesiam [3]. » Deinde rursus idem agit humanis rationibus : « Sic debent viri suas uxores diligere, ut sua » ipsorum corpora : » deinde rursum ad Christum revertitur : « Quoniam membra sumus ex corpore ejus, et ex » carne ejus, et ex ejus ossibus. » Ac rursum ad humanas rationes redit, « Propterea relinquet homo patrem suum » et matrem, et adhærebit uxori suæ. » Lectaque hac lege : « Mysterium, inquit, hoc magnum est [4]. » Quomodo magnum est, dic mihi? Quod virgo asservata omni tempore, sponsum nunquam ante visum mox a prima die sic desi-

[1] Joan. III, 5. — [2] Gen. II, 24. — [3] Ephes. III, 25, et seqq. — [4] Id. v, 32.

derat, et amat tanquam corpus proprium. Rursum vir quam nunquam vidit, nunquam allocutus est, mox a prima die præfert cæteris omnibus et amicis et familiaribus, denique ipsis parentibus. Parentes item, si per aliam causam auferatur eis pecunia, dolenter ferunt, et in jus trahunt eum qui abstulit : homini autem sæpe nunquam ante viso et ignoto etiam, dotem una cum filia luculentam in manus dant. Idque libenter faciunt, neque se damno affici existimant; sed videntes abduci filiam non meminerunt consuetudinis, non dolent, non anguntur, sed gratias agunt insuper, et rem optabilem putant filiam e domo cum multa abduci pecunia. Hæc igitur omnia Paulus considerans, quod parentibus relictis ambo sibi mutuis jungantur nexibus, novumque consortium majorem antiqua consuetudine vim accipiat : animadvertensque non esse hoc humanum negotium, sed divinitus amores tales inseri, ut nuptæ pari et tradentium et accipientium cum lætitia elocentur atque assumantur, « Mysterium, inquit, » hoc magnum est. » Et sicut recens natus infantulus aspectu statim parentes agnoscit, priusquam sciat voces edere : ita sane et sponsus ac sponsa, nemine sequestro, nemine hortatore, primo statim aspectu conciliantur invicem. Id cum in Christo etiam animadvertisset, et præsertim in Ecclesia, non sine stupore quodam admiratus est. Quomodo igitur in Christo et Ecclesia idem contigit? Sicut sponsus relicto patre ad sponsam properat, ita et Christus, relicto paterno solio, venit ad sponsam : non nos evocavit ad supera, sed ipse ultro ad nos advenit. Cum autem adventum audis, non migrationem, sed attemperationem intellige : nam etiam cum nobiscum esset, cum Patre erat : « Quapropter, inquit, mysterium hoc est magnum. » Magnum sane etiam apud homines; sed cum video in Christum quoque et Ecclesiam idem competere,

tum certe miraculo rei reddor attonitus. Quamobrem cum dixisset, « Mysterium hoc magnum est, » subjecit mox : « Ego autem dico in Christo et in Ecclesia. » Itaque cum scias quantum sit in conjugio mysterium, et quanti figura negotii, non temere de hoc delibera, neque ducturus sponsam, pecuniarum accessionem respice. non enim negotiatio, sed vitæ societas conjugium existimandum est.

IV. Multos enim audivi dicentes : Ille opulentior post nuptias factus est, cum fuisset pauper antea ; nunc ducta uxore divite et ipse agit in deliciis. Quid ais, bone vir? ex uxore lucrari cupis, et non erubescis? non præ pudore sub terram te abdis talium lucrorum appetens? hæccine sunt verba viri? mulieris unum est officium ut parta custodiat, ut conservet reditus, et curet rem domesticam : nam idcirco eam Deus dedit, ut hac in re et in cæteris nobis sit auxilio. Quoniam enim vita hæc nostra e duobus constat, e rebus privatis et publicis, suam utrique partem Deus attribuit, fœmineo quidem generi curam rei domesticæ, viris autem negotia publica, forensia, judicia senatoria, militaria, cætera denique omnia. Non potest mulier hastam torquere aut jaculari spiculum ; sed colum potest sumere, et telam texere, et cætera negotia domestica obire egregie. Non potest in senatu sententiam dicere; sed potest de re familiari ferre sententiam, et sæpe melius quam maritus prospexit rebus domesticis. Non potest administrare publica; sed pulchre potest educare liberos, quæ quidem præcipua est possessio : potest ancillarum malefacta deprehendere, et in officio continere familiam, alias securitates exhibere marito illumque liberare tali sollicitudine, dum ipsa domi curat penum, lanificium, culinam, decorem vestium, cæteraque neque decora maribus, neque facilia, si sibi illa usurpare voluerint. Est enim et hoc divinæ providentiæ, quod is qui in majoribus negotiis est utilis, in

minoribus reperitur deterior, ut necessaria sit mulierum opera. Si enim in utrisque vir præcelleret, facile contemneretur genus fœmineum : contra si in præstantioribus major esset usus mulierum, plenæ essent insolentia. Quamobrem non commisit uni utraque, ne alterius generis deterior fieret conditio ut supervacanei : nec tamen ex æquo distribuit officia, ne inter æquatos honore oriretur de principatu contentio, uxoribus non dignantibus viris prærogativa cedere : sed quo et concordiæ et decoro prospiceret, ita ordine suas cuique sexui functiones distribuit, ut utilior ac magis necessaria pars viro obtingeret, minor autem et inferior fœminæ; et ille quidem propter præcipuum sui usum fieret honorabilis, hæc vero propter viliora ministeria contra conjugem non insurgeret. Hæc igitur omnes cum sciamus, unum tantum quæramus, nempe virtutem animi, et morum egregiam indolem, ut pace fruamur, et oblectemur concordia perpetuaque benevolentia. Qui enim divitem duxit uxorem, dominam magis sibi quæsivit, quam conjugem. Cum enim et absque hoc mulieres ingenio superbo sint honorisque cupido, si opes quoque accesserint, quomodo erunt maritis tolerabiles? Qui autem æqualem duxit, aut opibus sibi imparem, is adjutricem duxit et sociam, et omnia bona suis induxit ædibus. Ipsa enim paupertatis necessitas ei persuadet, ut maritum colat modis omnibus, cedens illi et obsequens per omnia : sicque contentionis, rixæ, insolentiæ, contumeliarum materia tollitur : pacis autem, concordiæ, dilectionis consensusque accedit vinculum. Pax igitur et jucunda consuetudo quærenda est, non pecunia. In hoc factum est conjugium, non ut rixis plena sit domus et bello, non ut lites adsint et contentio, non ut mutuis laboremus dissidiis, et sic vivamus ut vitæ tædeat : sed ut fruamur adjutorio, et portum habeamus, refugium atque

solatium; quo levius feramus incommoda, utque jucundis uxoris recreemur colloquiis. Quot divites ductis opulentis uxoribus, re aucta exciderunt a voluptate concordiæ, ne mensa quidem vacante a quotidianis pugnis et contentionibus? quot pauperes ductis etiam pauperioribus vivunt in pace, et admodum læti solem hunc aspiciunt; divites contra omnibus affluentes deliciis, propter uxores vitam exosam habent, et mortem votis expetunt? adeo nulla est pecuniarum utilitas, nisi in bonam animam inciderint. Et quid opus est de pace loqui et concordia, quando ditiorem duxisse nonnunquam ad pecunias parandas fuit obstaculum? Fit enim interdum ut qui totam substantiam in accessione dotis uxoriæ contribuit, paulo post ob immaturum conjugis obitum totam dotem numerare cogatur affinibus: et quemadmodum naufragi enatant nudo corpore, ita et hic post tot contentiones, rixas, lites et injurias ægre tueatur libertatem corporis. Et sicut insatiabiles negotiatores repleta navi innumeris sarcinis, et congestis pluribus quam perferri possint oneribus, merso navigio perdunt omnia: ita et qui prægraves opibus sequuntur nuptias, dum majorem per conjugium adipisci se putant substantiam, amittunt et eam, quæ prius ipsis fuerat. Sicut enim illic unius fluctus impetu navis opprimitur: sic et hic immatura mors conjugis superveniens, cum uxore etiam rem omnem eripit.

V. Hæc igitur omnia cogitantes, non pecunias spectemus, sed probitatem, honestatem, et prudentiam. Mulier enim cordata, probata, modesta, sit licet pauper, paupertatem commodius feret quam divitias: sicut contra morosa, contentiosa, et intemperans; etiamsi ingentes thesauros in ædibus inveniat, quavis procella citius eos dissipat, maritumque et paupertate et innumeris involvit calamitatibus. Non igitur divitias quæramus, sed quæ præsentes facultates dispenset commode. Ante omnia disce quænam

fuerit causa conjugii, et quamobrem in communem vitam introductum sit, nec quidquam requiras amplius. Quæ igitur fuit causa conjugii, et cur illud datum est divinitus? Audi Paulum dicentem : « Ad vitandas autem scortationes » quisque suam uxorem habeat[1]. » Non dixit : Ut evitetur paupertas, et parentur divitiæ, sed quid? Ut scortationem evitemus, ut moderemur concupiscentiam, ut vivamus sobrie, ut Deo placeamus contenti uxore propria : hoc nobis affert conjugium, hic ejus fructus, hoc inde lucrum est. Cave igitur omissis potioribus secteris quæ minoris sunt pretii : mens enim sobria longe præstat divitiis. Hoc enim unum in conjugio spectandum est maxime, ut peccatum effugiamus, ut immunes simus a scortationibus : In hoc quærendæ sunt nuptiæ, ut ad vitam pudice degendam nos adjuvent. Quod ita demum futurum est, si talis sponsa contigerit, quæ ad pietatem, ad temperantiam et probitatem nos magnam redigat. Corporis enim pulchritudo nisi conjunctam habeat virtutem animi, poterit quidem maritum usque ad decem aut viginti, trigintave dies capere, sed eamdem vim non obtinebit ulterius, quod incentivum illud amoris vanescat detecta malitia. At quæ animi pollent pulchritudine, quo magis temporis processu generositatem suam approbant, tanto acriori flamma urunt maritorum pectora. Hoc pacto ubi fervida et germana innascitur benevolentia, omne stupri genus exulat, et sic amanti uxorem ne in mentem quidem venit voluptas nisi legitima, immanenti amoribus propriis, et per pudicitiam captanti favorem cœlestis Numinis, cujus auspiciis et benevolentia inter conjuges sit perpetua, et ejus ope administretur res domestica. Sic uxores sibi quærebant prisci illi virtute nobiles, præclaram animi indolem in eis spectantes, non pecuniarum copiam, quod ita esse ut dixi uno

[1] 1 Cor. VII, 2.

exemplo indicabitur. « Abrahamus jam senior provectæque » ætatis dixit servo majori domus suæ, qui præerat ejus » omnibus facultatibus : Pone manum tuam subter femur » meum, ut adjurem te per Dominum Deum cœli et terræ, » ut non accipias uxorem filio meo Isaac de filiabus Cha- » nanæorum, inter quos habito, sed ad terram meam ubi » natus sum, et ad cognationem meam proficiscaris, et » inde uxorem filio meo capias[1]. » Vides-ne Justi hujus virtutem, quanta cura nuptiis prospexerit? non enim adhibuit perductrices mulierculas, ut nunc fit, neque pronubas aut anus garrulas, sed famulo suo commisit hoc negotium : quod ipsum magnum pietatis Patriarchæ argumentum est, quod tam bene instituit famulum, ut dignus fieret, cui crederetur tale ministerium. Deinde mulierem quærit non formosam aut divitem, sed generosis moribus præditam : et hac de causa hominem jubet tam longinquam peregrinationem suscipere. Nunc contemplare et famuli mentem egregiam : non enim dixit : Quid hoc rei est? tot sunt propinquæ gentes, tot in eis filiæ nobilium et illustrium, simulque prædivitum ; et tu me mittis in terram tam longe dissitam, ad ignotos homines : quem illic compellabo? quis me agnoscet? quid si insidias mihi struant? quid si conentur decipere? nihil enim hospite magis injuriis expositum. Nihil tale dixit : sed missis talibus cogitationibus, quod maxime suspectum esse poterat, suspicatus est, sine contradictione obediens, necessaria tamen interrogatione declarans suam prudentiam. Quid igitur est quod interrogavit dominum? « Si noluerit, inquit, mulier venire me- » cum, numquid reducere debeo filium tuum ad regionem » ex qua egressus es? » respondit Abrahamus : « Cave ne- » quando reducas filium meum illuc. Dominus Deus cœli » et terræ, qui tulit me de domo patris mei, et de terra

[1] Gen. XXIV, 1-4.

» nativitatis meæ, qui locutus est mihi et juravit, dicens : » Tibi dabo terram hanc et semini tuo, ipse mittet Angelum » suum coram te, qui iter tuum prosperum faciet[1]. » Videsne viri fidem? non advocavit amicos, aut cognatos, non alium quemquam, sed Deum adjunxit ei sequestrum et comitem : et quo magis animum adderet famulo, non simpliciter dixit : « Dominus Deus cœli et terræ, » sed subjunxit, « Qui sumpsit me e domo patris mei. » Recordare, inquit, quomodo tantam peregrinationem suscepimus, quomodo relicto solo patrio, majorem apud exteros felicitatem invenimus : quomodo quæ impossibilia videbantur, facta sunt possibilia. Nec hoc solum in mentem ei revocans dixit : « Qui sumpsit me e domo patris mei, » sed etiam quod debitorem Deum habeat. « Obligavit se nobis, inquit, ipse » pollicitus est terram hanc mihi se daturum, et meo se» mini. » Quapropter etiamsi nos indigni simus, certe ne promissio fiat irrita, nobis aderit, et cuncta quæ destinavimus reddet facilia, et ad effectum qualem optamus, perducet. His dictis misit famulum. Ille ubi pervenit illuc, non adiit ullum ex civibus, non allocutus est homines, non compellavit mulieres : sed vide quam bona fide, quem acceperat sequestrum, retinuit, præter eum appellavit neminem; et stans oravit, et ait : « Domine Deus domini mei » Abrahami, sis mihi hodie præsens ac propitius[2], » nec dixit : Domine Deus meus, sed quid? « Domine Deus do» mini mei Abrahami. » Etiamsi ego abjectus sim, inquit, et humilis, certe herum meum pro me allego, non enim mihi, sed illi ministraturus huc veni : Illius igitur virtutis respectu conatus meos adjuva.

VI. Deinde ne putes eum tanquam debitum repetere, audi quæ sequuntur : « Et fac misericordiam cum domino » meo Abraham[3]. » Etiamsi plurima extarent, inquit, nostra

[1] Gen. xxiv, 5-7. — [2] Ibid. 12. — [3] Ibid.

merita, rogamus tamen ut tua nos serves gratia, totum ut beneficium acceptum ferentes, non ut debitum : et quid tibi postulas? « Ecce ego sto, inquit, prope fontem aquæ, » et filiæ habitatorum civitatis egredientur ad hauriendam » aquam. Igitur puella cui dixero : Præbe hydriam tuam » ut bibam, et illa responderit : Bibe, quin et camelis tuis » dabo potum; ipsa est quam præparasti servo tuo Isaac, » et per hoc cognoscam, quod feceris misericordiam cum » hero meo Abraham[1]. » Vide sapientiam famuli, quale signum ponat. Non dixit : Si quam videro mulis carpentove invehi, eunuchorumque agmen post se trahere, et numerosum famulitium, puellam ætate ac forma florida, eam præparasti tuo famulo. Sed quid? « Cui dixero : Præbe hy- » driam tuam ut bibam. » Quid agis, bone vir? adeo-ne vilem hero tuo quæris conjugem aquatum missam, et quæ te alloqui potest? Etiam, inquit : Missus enim sum non pecuniosam aut nobilem, sed moribus ingenuis præditam quærere. Multæ sæpe ex istis, quæ aquatum mittuntur, in solidum virtutem possident : aliæ contra in magnificis desidentes ædibus, ignavissimæ sunt et deterrimæ. Et qui scis hanc esse virtute præditam? e signo, inquit, quod dixi : Et quale hoc virtutis signum est? Indubitatum et maximum. Est enim hospitalitatis signum certissimum. Sic igitur, etsi non eisdem verbis, loquitur : Illam quæro virginem, quæ tam hospitalis est, ut nullum, quantum potest, recuset ministerium, idque non temere quærit, sed quia in eis fuerat educatus ædibus, in quibus maxime colebatur hospitalitas : ante omnia mores quærit herorum suorum moribus consimiles, ducturus sponsam in ædes patentes hospitibus. Sic ergo cogitabat : ne qua rixa oriatur inter ipsam et conjugem, dum maritus sua benigne communicat, in hoc a patre non degener, et hospites ultro

[1] Gen. XXIV, 13, 14.

invitans; hæc contra præ nimia parcimonia id vetat, et non sustinet, ut fit in plerisque domibus; jam nunc experiri volo quam hospitalis sit: quandoquidem hospitalitati omnem nostram felicitatem debemus. Per hanc sponsum ipsum herus consecutus est, per hanc pater factus est, vitulum mactavit, et accepit filiolum, farinam fermentavit, et quanta stellarum est, tantam multitudinem nepotum ei Deus est pollicitus. Quando igitur hinc omnia bona influxerunt in nostram familiam, hanc virtutem requiro ante omnia. Non hoc enim consideremus, quod homo aquam postulaverit, sed quod admodum hospitalis sit animi, non solum dare quod petitur, sed ultro offerre amplius. Et accidit, inquit, ut priusquam is finem loquendi faceret, prodiret Rebecca ex oppido. Prophetarum illud hic impletum est: « Adhuc loquente te dicam: Ecce ad- » sum[1]. » Tales sunt bonorum preces, ante finem earum sentiunt annuisse Deum propitium. Ergo tu quoque uxorem ducturus non confugias ad homines, aut ad mulieres quæstum facientes ex alienis infortuniis, et nihil aliud quærentes quam ut ipsæ operæ mercedem capiant: sed ad Deum confugito. Non gravabitur esse tuus pronubus, ipsius est promissio: « Quærite regnum cœlorum, et hæc » omnia adjicientur vobis[2]. » Ne dicas: Quomodo Deum videre possum? quî possum habere cum eo colloquium, et interrogare cominus? infidelis hæc verba sunt animæ. Potest enim Deus et absque voce quidquid vult e vestigio conficere: quod hic quoque factum est. Nam et iste nec vocem ullam audivit, nec visionem vidit, sed ad fontem stans ac precatus, confestim voti compos factus est. « Accidit, inquit, ut priusquam finem loquendi faceret, Rebecca prodiret gestans aqualem in humeris, filia Bathuelis e Melcha progeniti, virgo valde formosa, virgo et viro

[1] Isaï. LVIII, 9. — [2] Matth. VI, 33.

» incognita[1]. » Quid mihi narras pulchritudinem corporis? ut discas insignem ejus pudicitiam, ut discas animi pulchritudinem. Suspicienda namque res est ipsa pudicitia, sed magis etiam si conjuncta sit cum egregia specie. Hinc est quod et de Joseph nobis narraturus[2], ejusque temperantia, præfatus est de illius eximia pulchritudine corporis, dicens formosum fuisse, aspectuque gratum et in ipso flore pulchritudinis, atque ita demum subjunxit de juvenis temperantia, docens quod formæ decore non sit usus ad lasciviam. Haudquaquam enim pulchritudo scortationis causa semper est, sicut nec deformitas continentiæ. Multæ enim illustres insigni specie corporis, illustriores factæ sunt per pudicitiam : aliæ facie turpes turpiorem animam stupris sordidaverunt innumeris, utrobique causa est propositum animi, non natura corporis.

VII. Nec temere eam bis appellat virginem. Cum enim jam dixisset, « Virgo erat, » subjunxit : « Virgo erat et » viro incognita. » Quoniam enim multæ virgines corpus incorruptum servantes, animam habent plenam intemperantia, fucisque turbam amatorum attrahunt, et inescantes oculos juvenum in insidias eos trahunt, atque ad barathra pelliciunt, ostendens Moses quod hæc non talis, sed tam animo quam corpore virgo fuerit, dixit, « Virgo erat, et » viro incognita. » Tametsi multas habebat occasiones, per quas a viris cognosceretur : Primum corporis pulchritudinem, deinde modum ministerii, quo perfungi est solita. Si enim in thalamo desedisset perpetuo, sicut nostri temporis virgines, nec forum adiisset, nec exisset paternam domum, nulla esset laus, si diceretur viro incognita. Cum autem videas eam forum petere, quotidieque cogi aquatum ire semel, bis aut sæpius, atque ita manere viro incognitam, ea vero laus est non minima. Cum enim nonnunquam

[1] Gen. XXIV, 15, 16. — [2] Id. XXXIX, 6.

accidat, ut raro forum petens virgo, nec formosa, et comitata ancillis aliquot, amittat morum puritatem in ejusmodi evagationibus: hæc quæ quotidie sola prodit e paternis ædibus, idque non in forum tantum, sed aquatum ad fontem, quo et alios multos convenire est necesse, an non magna admiratione digna est? quippe cujus probitati, neque crebri e domo exitus neque egregia vultus forma, neque frequentes juvenum occursus, neque aliud quidquam, detrimentum ullum afferat, dum tam animo quam corpore servat puditiam diligentius, quam quæ nunquam e gynæceo se proferunt, plane talis qualem Paulus requirit dicens, « Ut sit sancta corpore et spiritu[1]? » Cum igitur ad fontem descendisset, jamque repleta hydria reverteretur, occurrens ei servus ait: « Præbe mihi pauxillum potus » de tua hydria. Quæ respondit, Bibe, domine; celeriterque » deposuit hydriam super ulnam suam, et præbuit ei do» nec desineret bibere. Moxque ait: Etiam camelis tuis » hauriam, donec omnes bibant. Festinansque effusa aqua » in alveum unde potum sumerent, accurrit ad puteum, ut » hauriret aquam camelis omnibus[2]. » Magna hospitalitas fœminæ, magna modestia, ut ex ipsius tam dictis quam factis est conspicuum. Vides-ne quomodo nec modestiæ hospitalitas obfuit, nec hospitalitati modestia? Quod enim non prior occurrit, nec appellavit virum, hoc fuit modestiæ: rursum quod ad postulata non renuit, neque negavit se facturam, hoc magnæ hospitalitatis ac humanitatis fuit officium. Ut enim impudenter fecisset si prior occurrisset, et ultro appellasset hominem; ita inhumanum erat et barbarum, si rogantis verba repulisset. Nunc vero neutrum fecit: nec modestiæ studio hospitalitati defuit, nec hospitalitatis cura laudem verecundiæ sibi minuit, sed utramque virtutem integram obtinuit, declarando suam modes-

[1] 1 Cor. VII, 34. — [2] Gen. XXIV, 17-20.

tiam, dum rogari expectat; miram vero hospilitatem, dum rogata sine mora obsequitur. Etenim summæ hospitalitatis fuit, non modo quæ postulavit dedisse; sed etiam plusquam ille petiit exhibuisse. Nec refert quod aqua erat quæ offerebatur: tum enim hanc solam habuit. Hospitales autem non ex sumptu censendi sunt, sed ex facultatibus; quando Deus eum etiam laudat, qui dedit frigidæ poculum; et eam, quæ duos aureos minutos obtulit, ait contulisse plus omnibus, quia totum quod habuit conjecerat. Sic et ista his bonum illum virum excepit xeniis, quæ sola tum ad manum aderant: nec temere additum est, quod festinans cucurrit, et similia, sed ut intelligas eam alacriter fecisse omnia, non ægre ac gravatim, nec invitam et coactæ similem. Et ne id parvum putes, sæpe aliquem prætereuntem rogavimus, ut paulisper gradum sisteret, summissaque sua face nostram accenderet, aut a bajulante aquam petiimus ut modicum inde bibere liceret: nec id facere sustinuit, sed tulit graviter: hæc autem non modo summisit ei hydriam, sed camelis etiam omnibus aquam hausit affatim, labori non parcens, st suo corpore hospitalitati comiter subserviens. Non enim factum hoc solum, verumetiam ala critas adjuncta virtutem puellæ indicat, quæ hominem ignotum et tum primum visum vocat dominum. Et sicut Abrahamus ipsius socer prætereuntes non interrogat, quinam sint et cujates, quove iter et unde faciant, sed simpliciter hospitalitati dat operam: ita et hæc non sciscitatur, quis es et unde? qua de causa venis? sed hospitalitatis opes congregans, non est curiosa cæterorum. Etenim gemmarii et nummularii hoc unum curant, ut lucrum capiant ex iis cum quibus negotiantur, parum solliciti quales tandem illi sint; sic hæc solum id quærit ut hospitalitatis fructum capiat, utque solidam ejus mercedem percipiat. Bene sciebat hospitem maxime verecun-

dum esse, ideoque magnam ei comitatem exhibendam esse et modestiam non curiosam: quod si de rebus ejus percontemur immodice, tergiversari eum et gravatim accedere. Quapropter neque hæc se ita gerit erga illum, neque ejus socer Abraham erga hospites, ne sic venationem suam absterreat: sed curatis prætereuntium corporibus et obsecutus suo animo, sic eos dimittit.

VIII. Hoc pacto etiam Angelos aliquando excepit, circa quos si fuisset curiosior, non parum decessisset mercedi ejus debitæ: admiramur enim eum non quod exceperit Angelos, sed quod nesciens esse Angelos, exceperit. Nec enim mirandum si prudens ac sciens tractasset eos comiter, quorum dignitas quantumvis immane pectus ac saxeum ad humanitatem benignitatemque posset cogere: sed hoc meretur admirationem, quod viatores vulgares ratus, tantum honoris eis habuit. Talis erat hæc quoque; nesciebat hominem quisnam esset, aut curnam venisset, neque quod conciliaturus esset ipsius nuptias, sed viatorem unum aliquem putabat et hospitem. Idcirco uberior ei hospitalitatis merces contingit, quod modis omnibus ignotum tanta prosecuta sit benevolentia, servata interim et modestia. Neque enim effrena temeritate, neque vim afferens aut stomachabunda hoc faciebat, sed cum decoro ita ut par erat. Hoc enim ipsum Moses subindicat his verbis: « Ille autem » contemplabatur eam tacitus, scire volens utrum prospe- » rum iter suum fecisset Dominus. » Quid est, « Contem- » plabatur eam[1]? » Et habitum, et incessum, et aspectum, et verba, omnia denique diligenter examinabat, ex corporis gestibus habitudinem animi colligens. Nec his contentus, alterum experimentum adhibet. Accepto enim ab ea potu non destitit, sed rogare pergit: « Cujus es filia in- » dica mihi: est-ne in domo patris tui locus quo possim

[1] Gen. XXIV, 21.

» divertere[1] ? » Quid illa ad hæc ? patienter ac mansuete suum patrem indicat. Non dixit indignabunda : Tu vero quis es tam curiosus percontator etiam de nostris ædibus ; sed quid ? « Filia sum Bathuelis filii Melchæ, quem Nachori » peperit. Palearum quoque et fœni apud nos est copia, et » locus ad divertendum : » sicut ante aquam peteti plusquam posceret obtulit : nam cum ille potum sibi soli petiisset, etiam camelis se præbituram est pollicita, et utrique præbuit : sic etiam hic requirenti tantummodo diversorium, insuper de paleis ac fœno prospicit, deque aliis multis, alliciens eum his omnibus, et domum pertrahens, ut hospitalitatis fructum et mercedem capiat. Hæc autem non obiter, neque negligenter audiamus, sed nosmetipsos considerantes, ad hoc exemplum conferamus : sic enim intelligemus virtutem hujus fœminæ. Sæpenumero notos aliquos et necessarios excipientes ægre ferimus, et gravamur, si unum aut alterum diem commorati fuerint. Hæc autem ignotum et hospitem magna alacritate domum pertraxit, præsertim cum non ipsi soli, sed tot camelis etiam offerret curam et ministerium. Postquam autem introgressus est hospitium, jam magis considera servi prudentiam ; apposita enim mensa, inquit, « Non prius cibum capiam » quam loquar verba mea[2]. » Vide quam vigilans fuerit et sobrius ? Deinde postquam permissum est ei dicere, videamus quomodo illos alloquitur. Num ista verba ad eos dixit herum se habere illustrem et splendidum, honoratum ab omnibus, virum magnæ auctoritatis apud cives regionis, in qua tum degeret ? Tametsi poterat, si voluisset, hæc vere dicere ; etenim tanquam rex colebatur ab ejus nationis hominibus. Attamen nihil horum dixit, sed omissis istis, quæ apud homines sunt in pretio, a divino eum favore commendat his verbis : « Ego Abrahæ servus. Do-

[1] Gen. XXIV, 25. — [2] Ibid. 33.

»minus benedixit domino meo valde, exaltatusque est, et »dedit ei oves et boves, argentum et aurum[1].» Divitias ejus memorat, non ut opulentum, sed ut pium esse ostendat, hoc nomine laudans quod a Deo hæc acceperit, non quod tantarum rerum sit dominus. Deinde loquitur de sponso: «Et peperit Sara uxor domini mei filium do»mino meo jam seni[2].» Hic et partus modum subindicat, docens quod et partus ei divina providentia concessus sit, non naturæ ordine. Ergo tu quoque sive sponsum, sive sponsam quæras, hoc inquire ante omnia, an pius et Deo charus sit. Si enim hæc adsint, consequenter et alia: sin autem desint, etiam si res familiaris abunde suppetat, nihil proderit. Deinde ne audiat ab eis, cur igitur nullam indigenam in uxorem accipit? «Adjuravit me, inquit, dominus »meus dicens: Non accipies uxorem filio meo ex filiabus »Chananæorum, sed ad domum patris mei proficisce»ris, et de tribu mea accipies uxorem filio meo[3].» Sed ne totam historiam in medium afferentes molesti videamur, ad finem transeamus. Cum enim retulisset, quomodo ad fontem astiterit, quid a puella petierit, quomodo illa plus, quam petitum esset, dederit, quomodo Deus mediator fuerit, cumque omnia diligenter nuntiasset, sermonis finem fecit. His omnibus auditis illi non amplius dubitaverunt, neque neglexerunt rem, sed quasi divinitus instincti sine mora ei promiserunt filiam. Respondentesque Laban et Bathuel dixerunt: «Mandatum hoc egressum est a Deo: »Ideo non possumus tuæ postulationi contradicere. En »Rebecca, tolle eam et propera, et sit uxor domini tui, »sicut locutus est Dominus[4].» Quis non obstupesceret? quis non admiraretur, quanta impedimenta brevi temporis momento sublata sint? Etenim vel quod hospes erat, vel quod servus, vel quod ignotus, vel quod longum esset iti-

[1] Gen. XXIV, 35. — [2] Ibid. 36. — [3] Ibid. 37. — [4] Ibid. 50.

neris intervallum, vel quod nec socer, nec sponsus, neque alius ex eorum necessariis notus erat, horum unumquodque per se satis erat impedimenti, quominus hoc connubiium succederet : attamen hæc universa facilia sunt reddita, et haud secus quam si notus esset, habitaretque prope, et totam ætatem cum eis versatus fuisset, commiserunt sponsam ejus fidei, hac de causa, quod auspice Deo res agebatur : sicut enim si quid eo parum favente aggrediamur, etiamsi omnia sint plana et facilia, voragines et salebras et innumeras frustrationes obiter offendimus : sic eodem præsente et adjuvante, licet omnia quæ habemus præ manibus, sint impeditissima, plana fiunt et facilia. Nihil igitur vel faciamus, vel dicamus, nisi invocato Numine, ut res quas tractamus dirigat, ut ille fecit.

IX. Nunc videamus postquam eam accepit, quo pacto adornet nuptias. Num cymbala, fistulas, choreas, tympana, tibias secum traxit, reliquasque apparatus species? Nihil horum, sed illa sola assumpta abiit, deducente et comitante Angelo, quem herus dum famulum e domo dimitteret, una mitti a Deo supplex impetraverat. Atque ita ducebatur sponsa nullis tibiis et citharis occinentibus, sed innumeris a Deo caput ornata benedictionibus, vice coronæ pretiosioris quovis diademate : ducebatur autem non auratis amicta vestibus, sed ornata modestia, pietate, hospitalitate, cæterisque virtutibus omnibus : ducebatur non in carpento camerato, aut apparatu aliquo simili, sed camelo insidens. Nam præter virtutes animi, etiam corpora virginum olim optima fuerunt habitudine. Non enim sic educabantur a matribus ut fit hodie, crebra inter unguenta et balnea, fucum et pigmenta, in mollibus indumentis, aliisque corruptelarum modis innumeris, quibus fiant plusquam decet molliculæ : sed modis omnibus dura erat earum educatio. Quamobrem et corporis na-

tiva florebant pulchritudine, nullis adjutæ externis lenociniis, et valetudine æque felici ac forma fruebantur, nulla infestante ægritudine, ablegataque omni mollitie. Labores enim et opera, quibus exercebantur, varia, languorem omnem pellebant, robur autem et sanitatem tutam eis conciliabant, reddebantque tanto magis maritis gratas et amabiles : sic enim non solum corpora, sed et animi in melius proficiebant. Vecta igitur camelo postquam ad destinatam regionem pervenit, sublatis procul oculis vidit Isaacum, moxque a camelo desiliit. Vides robur? vides bonam habitudinem? a camelo desiliit. Tantum illi virium una cum modestia supererat. Et ait ad servum : « Quis est » ille homo qui progressus est in campum? Respondit ser- » vus : Ipse est dominus meus; tum illa æstivo palliolo » sumpto se obnupsit[1]. » Observa omnia testari ejus modestiam, quam prudens erat ac verecunda. « Et accepit » eam uxorem Isaac, dilexitque in tantum ut leniret do- » lorem, qui illi ex morte Saræ matris acciderat[2]. » Hæc non temere dicuntur, quod dilexerit eam, quodque pro solamine luctus habuerit, sed ut discas, quibus rebus illa maritum in amorem sui pellexerit, quas domo secum attulerat. Quis enim talem non adamaret, tam modestam, tam honestam, tam hospitalem, humanam et amabilem, fortem animo et validam corpore? Hæc dixi, ut non audiatis tantum, aut auditis applaudatis, sed ut etiam æmulemini : et patres quidem providentiam Patriarchæ imitamini, qua usus est in paranda uxore simplici, non pecunias quærens, non splendorem generis, non pulchritudinem corporis, non aliud quidquam præter generositatem animi : vos autem, matres, date operam, ut ad hunc modum educetis vestras filias. Porro sponsi qui eas ducturi sunt, ducant cum honestate simili, exterminantes

[1] Gen. XXIV, 65. — [2] Ibid. 67.

risum, choreas, turpiloquium, fistulas, tibias, diabolicum illum apparatum et reliqua hujusmodi, semperque invocantes Deum, ut mediator adsit actionum nostrarum omnium. Si enim res nostras hoc pacto disposuerimus, nullum divortium erit, nulla adulterii suspicio, aut occasio zelotypiæ, non rixa, non contentio, sed multa fruemur pace, multaque concordia, a quibus non aberunt virtutes cæteræ. Sicut enim uxore a marito dissidente nihil sani est in ædibus, etiamsi alioquin res eorum secundo ferantur flatu : ita dum pax constabit et concordia, nihil erit insuave, etiamsi quotidie tempestates accidant plurimæ. Si hoc modo conciliabuntur nuptiæ, perfacile poterimus ad virtutem educare liberos. Ubi enim mater tam honesta fuerit ac sobria, omnique virtute prædita, profecto maritum desiderio sui capiet ac devinciet; atque ita habebit eum alacrem adjutorem in curandis, atque instituendis communibus liberis : simulque Deum ad prospiciendum eis attrahet, quo aspirante tam honestæ administrationi domesticæ, et exercente puerorum animos, omnia posthac jucunda erunt et felicia rebus tam bene compositis, et iis qui præsunt, sic affectis : poteritque unusquisque una cum sua domo, videlicet uxore, liberis ac famulis, et præsentem vitam secure peragere, et ad cœlorum regnum pervenire : quæ nobis omnibus per gratiam, benignitatem, et misericordiam suam concedat Dominus noster Jesus Christus, cum quo Patri, simulque Spiritui vivifico et sancto gloria, imperium, et honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

LIBER.

De non iterando conjugio. — Ad viduam juniorem.

I. Mulieres, quæ virorum consuetudinem, partus dolores, et cætera omnia, quæ secum trahens matrimonium in hominum domos ingreditur, nunquam usu cognoverunt, ad viros animum appellere, nihil sane mirandum est. Nam et bellum, rem adeo laboriosam, inexpertis dulce esse in proverbio est. At sexcentis malis affectas, quibusque dura ipsa rerum conditio persuasit, eas quidem, quæ solutæ a rebus hujus mundi vitam agerent beatas prædicare, se ipsas autem, et pronubas, et diem, quo in matrimonium sunt collocatæ, millies execrari, eas ipsas post tantum fastidii rursus earumdem rerum desiderio capi, hoc est, quod me propemodum obstupefacit, ac dubitare cogit, et quærere; ecquid causæ sit, quamobrem quas res antea, cum in iis versarentur, fugiendas existimabant, has nunc, cum ab iis liberæ sunt, tanquam expetendas persequantur. Ac multa quidem animo versans, vix tandem, ut puto, ad ipsam rei causam indagando perveni. Atque ea quidem non una est, aut altera, sed plane multæ. Partim enim ob temporis longinquitatem priorum oblitæ, et ea tantum, quæ in manibus sunt, recolentes, veniunt quidem ad matrimonium, quasi ad id, quod omnia viduitatis incommoda depellat: sed alia quædam ibi longe graviora invenientes, rursus easdem, quas antea, voces emittunt. Partim vero mundanis rebus rursus inhiantes, gloriamque præsentis vitæ admirantes et viduitatem rem

dedecoris plenam putantes, hujus inanis gloriæ et tumoris causa easdem appetunt matrimonii miserias. Nec vero desunt, quæ non hujusmodi causis adductæ; sed soli intemperantiæ cedentes, rursus ad priorem vitæ rationem redeunt, ac veram causam occultare iis, quas diximus, prætexendis conantur. Atque istas accusare, atqui hujusmodi matrimonii nomine condemnare neque ipse ausim, neque alteri, ut audeat, auctor sim, quandoquidem aliter visum est beato Paulo, vel potius Spiritui ipsi sancto. Nam cum dixisset, « Mulier alligata est legi, quanto tem» pore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, libera est, » cui velit, nubat, tantum in Domino[1], » atque ita viduæ potestatem fecisset rursus, si velit, nubendi, addidissetque; « Beatior autem est, si sic permanserit, » ne quis putaret humanum esse præceptum : hæc adjunxit. « Puto » autem quod et ego Spiritum Dei habeam, » plane ostendens Spiritu dictante ista sibi esse conscripta. Ne quis igitur, quæ modo dicturus sum, in eam partem accipiat, quasi eas, quæ matrimonio se jungunt, reprehendam, ac criminer. Summæ enim arrogantiæ, ac furoris fuerit, quas non castigavit Beatus ille, sed quibus pepercit, has contra a nobis acerbe condemnari, idque cum sexcentis nos criminibus premamur. Etenim qui vel a judicando abstinere, ne eadem mensura in nos judicium exerceatur, atque in aliorum peccata minime vehementes esse judices jubemur, sed lenes et ad veniam dandam faciles, si rem, quæ extra culpam sit, criminemur et condemnemus, quomodo non omnem nobis veniam præcidemus ex nostro in proximum facto in eam sententiam inducentes judicem, ut in nos vicissim se præbeat duriorem? Non igitur ut illas accusem, ac pungam, huc oratione delatus sum. Quod enim in Domino fieri potest, in id cadere crimen nullo modo

[1] Cor. VII, 39.

potest. « Tantum, inquit, in Domino. » Verum quemadmodum cum de virginitate verba facimus, non ut de matrimonii dignitate detrahamus, illam laudibus extollimus; ita cum de viduitate disputamus, non quidem ceu secundas nuptias in earum rerum numero, quibus interdictum sit, collocemus, mulieres, ut semel nupsisse contentæ sint, cohortamur : sed fatemur quidem secundis etiam legem non violari, verumtamen unas iteratis longe præstare non dubitamus. Itaque in hac comparatione, cum unum alteri præstare dicimus, nemo hoc ipsum, quod inferiorem locum tenere dicimus, vitium putet. Non enim illa inter se ideo conferimus, ut ipsorum alterum in malorum ordinem rejiciatur : sed concedentes id legi consentaneum esse, nostroque arbitrio permissum, alterum tamen præ hoc longe pluris facimus, magisque suspicimus. Quid ita? quoniam multum interest eamdem mulierem unius viri esse uxorem, ac duorum. Nam cui prior satis est, plane ostendit, neque ad illum ipsum se adjuncturam fuisse, si rem usu ipso probe novisset. Quæ autem alterum sponsum in prioris cubile inducit, magnum egregiæ erga mundum amicitiæ, atque erga res terrenas propensionis inducium præbet. Atque illa quidem nec dum viveret vir, erga alium commota animo est : hæc vero, etsi illo vivente ab aliis se pudicam servarit, attamen multos alios magis, quam illum suspexit.

II. Sed ne ex hoc facto conjecturam de præterita vita faciamus, rem ipsam expendamus. Etenim ut virginitas matrimonio melior est, ita hoc matrimonio illud. Vidua enim de principio tantum virginitati concessit, ad extremum vero ipsi rursus æquatur, et conjungitur. Hoc vero matrimonium utraque ex parte a virginitate abest. Huc accedit, eam quæ facile fert viduitatem, a viro quoque dum vivit, sæpe se continere: eam vero, quæ rem maxime mo-

lestam putat, ita animum instituisse, ut non cum duobus solum tribusve, sed etiam multo pluribus, si ita sors ferat, sibi res habenda sit, ac vix extrema ætate abstineat. Quemadmodum igitur matrimonium illud magnæ honestatis, ac temperantiæ specimen est : ita hoc minime quidem dixerim lasciviæ, absit, sed certe animi infirmioris, et qui carni deditus sit, terræque affixus, nec magnum, atque excelsum quidpiam animo concipere unquam possit. Quod si quis objiciat, quod honestum est, tale esse, sive semel obeatur, sive bis, sive sæpius : similiter enim honestum manere, quinetiam, cum qui sæpius functus est, laudabiliorem esse eo, qui rarius ; respondebimus hujusmodi sophisma incautioribus fortasse posse imponere, ab iis autem, qui animum advertere voluerint, facile refelli posse. Matrimonium enim non corporum commixtio facit, ita enim et fornicatio matrimonium esset, sed quod ea, quæ nupta est, uno viro contenta est. Atque hoc inter meretricem, atque ingenuam, pudicamque mulierem interest. Quod si uno viro contenta perpetuo sit, conjunctionem istam matrimonii nomine vere appellaris. Sin pro uno multos sponsos in domum inducat, non equidem fornicationem audeo dicere, sed illud contenderem, hanc illa, quæ unum duntaxat virum novit, longe inferiorem esse. Illa enim audivit Dominum dicentem : « Propter hoc dimittet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori » suæ, et erunt duo in carnem unam[1], » ac viro adhæsit, perinde ac vere sua caro esset, neque oblita est sibi semel impositi capitis. Hæc vero nec priorem nec posteriorem virum propriam carnem reputat : nam primus a secundo, secundus ab illo ejectus est. Neque enim mulier prioris viri memoriam colere poterit, quæ post illum alteri nupsit, nec posteriorem justo amore prosequetur, magna

[1] Matth. XIX, 5

adhuc mentis parte in eum, qui obiit, derivata. Ita fit, ut neutri is, qui viro debetur, amor, atque honos ab uxore exhibeatur. Ecquid vero animi putet posteriori sponso esse, qui in prioris thalamum ingreditur, et illius lectum scandit, ac præterea illius uxorem ridentem, et hac de causa jocantem, ac ludentem videt? Valde quidem commoveatur, neque ad illam magno cum amore accedat, necesse est. Nam tametsi omnium hominum durissimus sit, non tamen ita immanis, ut humano quodam sensu non afficiatur, etiam si illa sexcentis ornamentis et se ipsam et domum conserit. Dolor enim domui illatus non sinit puram, et sinceram esse voluptatem. Sed quemadmodum in muris usuvenit, ut cum pars aliqua valde exusta est, licet postmodum dealbetur, subjectus tamen, ac profundus nigror candorem tectorii obscuret, atque injucundum spectaculum præbeat: ita et hac in re, tametsi multa splendida excogitentur, in mediis tamen ipsis eminent tristia, ac molesta quædam ex iis mixtio fit. Nam et servi, et ancillæ, et agricolæ, et inquilini, et vicini, et gentiles prioris viri mœrentes intuentur quæ fiunt, ac gemunt. Quod si præterea pupilli affuerint, si quidem valde pueri sint, magnum ab iis, qui de rebus judicare queunt, in matrem odium excitant: sin autem puberes, tantam, quantam vix aliud quidquam, molestiam comparant. Quæ quidem omnia cum legislatores animadverterent, et eos, qui propterea anguntur, consolari vellent, et simul sui facti rationem reddere, quod non ex proposito vel ex professo, hujusmodi matrimonium instituerent, sed tantum metu adducti, ne gravius aliquod malum existeret, secundas nuptias omni illa splendida pompa spoliarunt: neque enim tibia, neque plausus, neque hymenæus, neque choreæ, neque coronæ nuptiales, neque aliud quidquam ejusmodi vesperam illam ornant, sed hæc omnia auferen-

tes, sic non coronatum virum ad viduam mulierem adducunt: tantum non per hæc clamantes, quæ fiunt, omnia esse quidem ejusmodi, quibus venia detur, sed laudibus, coronis, plausibus minime digna.

III. Cur igitur, dices, Paulus prohibet, ne juniores etiam si velint, viduæ maneant? ita enim scribit: « Adolescentiores autem viduas devita[1]. » Non sane Paulus impedimento est, quominus quæ volunt, virginitatem servent, sed ipsæ potius sunt, quæ Paulum eo necessitatis adegerunt, ut præter animi sui sententiam hanc ipsis legem ferret. Nam si Pauli sententiam vis cognoscere, audi quid dicat: « Volo omnes homines esse sicut me ipsum[2]: » id est, continentiam servare. Quamobrem non sibi ipsi adversatur Beatus ille, neque inter se pugnantia loquitur, nec qui velit omnes homines colere continentiam, obstaret quominus, quæ volunt, viduæ maneant. Cur ergo dicit: « Adolescentiores autem viduas devita? » Dic cur et qua de causa. Non enim ista absolute protulit, sed causam adjunxit: « Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt[3]. » Vides non eas, quæ viduitatem servare volunt, sed quæ postquam in viduitatem inciderunt, nubendum sibi statuunt, ab illo prohiberi, ne viduæ maneant, neve in sacrum illum chorum admittantur, idque valde sapienter. Nam si alteri matrimonio illiganda es, neque spondere etiam viduitatem debes. Nam post promissionem mutare sententiam longe deterius est, quam neque omnino promittere. Quemadmodum igitur assiduam liberis operam dare permisit, non legem statuens, sed ipsis indulgens, sic enim inquit: « Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium propter incontinentiam vestram[4]: » ita hoc etiam loco gravioris mali metu secundum instituit matrimonium, ostendens hoc quoque indulgentiæ esse ad multorum infir-

[1] 1 Tim. v, 11.— [2] 1 Cor. vii, 7.— [3] 1 Tim. v, 11. — [4] 1 Cor

mitatem sese accommodantis. Infirmitatem autem dico non potentiæ, sed voluntatis. Nam quemadmodum virgo, si post promissam virginitatem se violari siverit, facinus adulterio gravius perpetravit : ita et vidua, quæ semel promisit, si deinde pactionem cum Deo factam conculcans eodem crimine se polluerit, eidem quoque supplicio obnoxia est, ac forte etiam, si licet mirum quiddam dicere, longe majori. Non enim idem est, ut initio dicebam, imperitam, atque usu jam edoctam, iisdem succumbere tentationibus. Neque vero hoc loco duntaxat, sed etiam paulo post, cum hæc præmisisset : « Volo ego juniores viduas nubere, filios procreare, matresfamilias esse, » causam subdit, cur istud velit. Quæ ea est? « Nullam, inquit, occasionem dare adversario maledicti gratia[1]. » Nam quoniam verisimile est multas eo tempore viduas post viri obitum licentius, magisque arbitratu suo vivere solitas, a viri societate, quasi a necessitate quadam, ac dominatu liberas, ita ut impudentiæ nomine malam de se opinionem afferrent, abducens ipsas ab hac pestifera libertate, rursus ad pristinum jugum adducit. Nam si, inquit, futurum est, ut viduitatem præ se ferens quæpiam clam fornicetur, ac se ipsam dedecoret, longe satius nubere, « Ac nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. » Quamobrem, ne occasiones maledictis dent, ac vitam meretriciam, contumeliisque obnoxiam agant, matrimonium præcipit. Audi quot præterea sint, quæ ipsis vitio vertat. Nam cum deberent omne suum tempus orationibus, et supplicationibus instare, istæ vero, inquit : « Et otiosæ discunt circumire domos, non solum otiosæ, sed et verbosæ, et curiosæ, loquentes quæ non oportet[2]. » Hæc vero ipsi minime probantur, sed vult perpetuo affixas esse rebus spiritualibus. « Nam quæ in deliciis est, inquit, vivens mortua est[3]; »

[1] 1 Tim. v, 14. — [2] Ibid. 13. — [3] Ibid. 6.

quandoquidem, et virginem ipsam vult bonum hoc suum non corporis castitate definire, sed universum otium suum Deo consecrare, atque illi perpetuo deservire. Ita enim scribit : « Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut la- » queum vobis injiciam, sed ad id, quod honestum est, et » quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum » obsecrandi[1]. » Non enim ipsam patitur divisam esse, sed totam rebus spiritualibus, ac cœlestibus hærere vult, et quæ Domini sunt curare. Ad eamdem vitæ rationem viduam quoque vocat, dicens : « Quæ autem vere vidua est » et desolata, speravit in Deum : et instat obsecrationibus, » et orationibus nocte, et die[2]. » Quando igitur otium, quod in evangelicis negotiis insumendum erat, id non modo in rebus supervacuis, atque inutilibus, sed etiam valde noxiis perpetuo impendunt; merito ad matrimonium eas rursus adducit. Nam quemadmodum Judæis sabbatum dederat Deus, non ut otiarentur duntaxat; sed ut a turpibus actionibus abstinerent : ita vidua, et virgo, non ut viris non misceantur, hanc sibi deligunt vitam, sed ut ea, quæ Domini sunt, curent, atque se totas in Dei cultum conferant.

IV. Ita sane, inquiet aliquis. Verum intolerabile malum erit, mulierem nullo rerum usu peritam ea, quæ ad viros pertinent, subire cogi : neque enim ipsa perinde atque ille, tractare atque administrare res poterit; atque hinc nihil aliud lucrabitur, quam fortunarum ruinam. Ergo quæcumque a secundis nuptiis abhorruerunt, omnia sua pessum dederunt, omnia perdiderunt; neque mulierem viduam invenias, quæ rem suam recte gerat. Tergiversationes istæ sunt, ac prætextus, propriæque infirmitatis integumenta. Multæ enim præclarius, quam viri, et domum administrarunt, et filios pupillos educaverunt, et bona, quæ accepe-

[1] I Cor. VII, 35. — [2] I Tim. V, 5.

rant, aliæ auxerunt, aliæ non minuerunt. Nam ab ipsomet initio non omnia viris commisit Deus; neque ab ipsis solis pendere, quæ ad vitam pertinent, voluit; ne si mulier nihil ad vitam conferret, despicatui duceretur. Quamobrem id prospiciens Deus non inferiore illam loco constituit; atque id ab ipsomet initio clarum faciens, dixit: « Faciamus ipsi » adjutorem[1]. » Etenim ne eo quod ipse primum factus est, ac propter ipsum formata mulier, magnos adversus illam spiritus vir sumeret; hoc verbo tumorem ipsius compressit; ostendens mundana negotia nihilominus mulieris, quam viri egere. Quænam igitur ista sunt? quibusque in rebus ad vitam sustentandam nobiscum mulier societatem init? Sane, quoniam ad præsentis vitæ statum componendum non minus privata, quam publica negotia faciunt : hæc dispertiens Deus, forenias quidem viris commisit, domestica autem mulieribus : ac si munera, officiaque ista commutentur, omnia corruent, ac peribunt. Tanto uterque utilior altero in suo munere obeundo est. Igitur, si domestica ex muliebri scientia pendent, atque ista in re tantum viro mulier præstat, quantum rudi homini artifex in rebus, in quibus artifex est; cur vanum nobis timorem incutimus? Nam peregre quidem proficisci, resque colligere, virorum tantummodo est; mulieribus autem lucro operam dare, minime fas est; at quæ sunt apportata custodire, ac tueri, ipsius solius est. Ac tametsi præstantius quiddam videatur acquirere, quam tueri; attamen, si hoc absit, illud quoque inutile, ac vanum. Sæpe vero etiam si hoc absit, illud non solum nihil profuit, sed etiam cuncta evertit. Valde enim difficile est, hominem foris negotiantem, atque amplificando patrimonio operam navantem, juste quæstum facere. Majori enim ex parte ex alienis isti calamitatibus crescunt, ac suum negotium gerunt; sicque mulieris arti, et guber-

[1] Gen. II, 18.

nationi sæpe officiunt ea, quæ per injustitiam, et vim parta in manus ipsius pervenerunt. Quamobrem etsi majus sit acquirere, quam conservare; tamen altera ex parte minus esse deprehenditur; quando non solum ad bonorum amplificationem nihil confert, sed etiam perdit jam reposita. Quid igitur metuat vidua, ne viri absentia res domesticæ deterius se habeant, quarum vivente etiam viro ipsa procurationem susceperat? At facilius, inquiet, gubernabit, cum metu illius nemo reluctabitur, nemo molestiam afferet. Nam et famuli, et œconomi, et procuratores, ac reliqui omnes illum metuentes, ad parendum aderunt prompti; ac nemo erit, qui contradicat. At eo, quem metuebant, e medio sublato, omnes viduæ mulieri insultant; improbe versantur, confidentes sunt, atque omnia pervertunt, ac dissipant. Quod si ulcisci, ac vindictam sumere velit, torquens, verberans, in carcerem conjiciens, tum vero in vulgi reprehensionem, criminationem, contumelias incurrit. Cæterum si fidem ei, qui abiit, datam fregerit, atque illius amorem oblivione deleverit, et vesperam, qua ille ad se primum accessit, et plausum, et hymenæum, et faces nuptiales, et primos amplexus, et mensas, et convictus cujus una cum illo per omne tempus particeps fuit, et verba, quæ a viro magna cum voluptate uxorem audire verisimile est: si hæc, inquam, omnia, perinde ac si nunquam fuissent, repente abjiciat, atque alteri viro fores aperiat, ipsumque ad illius cubile trahat; rerum omnium priorum consciam, si hæc faciat, nemo-ne erit, qui reprehendat? nemo qui criminetur? nemo qui odio prosequatur, ac inhumanam, perfidam, fœdifragam vocet, atque hujusmodi aliis conviciis oneret?

V. Non enim etsi beatus Paulus rem istam permisit, propterea laudibus dignam putes, ac quæ vulgi reprehensionem fugiat: pœna tantum, ac supplicio caret, laudes

quidem, et encomia non est quod se reportare posse speret. Nam et remissum, atque ad libidinem proclivem esse, ac ne jejunii quidem tempore, aut quovis alio ab uxore abstinere, longe quidem, et multum a supplicio abest, non tamen laudi proximum est: nam hæc ipsa indulgentia nihil aliud est, quam signum magnæ cujusdam infirmitatis, ac socordiæ. Quamobrem si times, ne famulis puniendis audaciæ subeas opinionem, illud vicissim cogites, multo magis pertimescendum esse, ne tantam mollitiei, et libidinis famam subeas. Præterea vero licebit viduæ meliore quadam ratione rebus suis consulere, ut et magna ex parte in tuto illas collocet, et non solum reprehensionem fugiat, sed etiam ab omnibus laudetur, quodque præcipuum est, mercedes illas, quæ a Deo præbentur, reportet. Nam si pecunias in cœlo sibi deponendas censuerit, ibique tanquam in asylo quodam defodiendas, non solum non minuentur, sed multis partibus majores fient. Talis enim est hujus sementis natura. Quod si infirmiore animo est, quam ut perfectæ illi legi implendæ par sit, neque omnia simul eo trajicere velit, illud rursus cogitet, si virum accipiat, non sane talem accepturam, qui bona amplificet. Quod si etiam talis sit; non solam pecuniarum accessionem consideret, sed illud quoque, fore ut multis in rebus Deum, atque homines lædere cogatur. Nam si ille ex numero potentium, atque opibus abundantium fuerit, multa illam præter sententiam et facere, et ferre coget; et quod a viduitate metuebat, illi nunc multo gravius, et violentius imminebit. Adde, evenire facillime posse, ut celerrimam faciat mutationem. Nam dum vidua est, etiam si aliquod in bonis detrimentum accipiat: reliqua tamen illa salva, et tuta manebunt. At potenti viro, et rempublicam, vel aliam quampiam procurationem gerenti matrimonio juncta, sæpe omnia simul

amittet. Calamitatum enim, quæ viris accidunt, uxores quoque participes sint oportet. Sed esto, nihil ejusmodi accidat, ecquid lucri, dic mihi, servitutem libertati anteferre? ecquid utilitatis divitiæ afferunt, cum illis arbitratu suo uti minime queat? nonne multo præstabilius est, pauca ita possidere, ut illa in potestate habeas, quam omnia, quæ in orbe terrarum sunt, ea conditione, ut una cum illis te quoque alteri subjicias? Mitto nunc curas, contumelias, convicia, zelotypias, inanes suspiciones, dolores pariendi, et reliqua id genus. Hæc enim recte tunc afferuntur, cum ad virginem sermo habetur, quippe quæ rudis, atque imperita est hujusmodi difficultatum: viduæ autem si narrentur molestiam potius afferent. Quæ enim usu ipso optime didicit, ea si ipsam verbis docere velis, frustra operam sumas. Illud tantum addere par est, eam quæ virgo nupsit, multo majore cum libertate, ac fiducia viro usuram, quam quæ post viduitatem. Nam hanc qui acceperit, ut uxorem amare potest, ut virginem ductam, non potest. Quam vero amores illi his vehementiores, et magis quodam modo insani sint, nemini non exploratum est. Viduam enim tanquam viri non omnino insciam minime toto animo complectetur, atque amabit. Omnes enim fere homines solemus sive zelotypia, sive inanis gloriæ studio, sive nescio qua alia causa adducti, eas res præcipue in amore habere, quibus, antequam in aliorum potestatem venerint, fruimur, quarumque nos primi, ac soli domini sumus. Id et in vestimentis usuvenire animadvertas; non enim ea, quibus alii usi sunt, æque chara habemus, atque illa quibus nemo. Idem in domo, idem in vasis: domum enim nobis ab alio datam, non perinde amamus, atque illam, quam nobis ipsi paravimus. Ac vasis, quæ nuper facta sunt, nobisque primum usui fuerunt, valde parcimus, magnumque illis conser-

vandis studium impendimus. Quæ autem ab aliis ad nos venerunt, non magnopere in deliciis habemus, sed adeo aversamur, ut sæpe in aliam convertamus formam. Quod si in domo, in veste, in vasis hoc animo sumus, cogites velim, in uxore, qua nihil hominibus pretiosius est, quanto vehementius nos affici consentaneum sit. Nam alia quidem nec iis, qui cupiunt, recusamus communicare: hanc autem minime fas est, ac citius vitam profundemus, quam id ferre animum inducamus. Virginem igitur, ut dicebam, utpote intactam et sibi propriam omni animi impetu complectetur, eam vero, quæ alteri prius consuevit, non æque benevolis, atque amicis oculis aspiciet.

VI. Neque tu mihi, quæ raro, ac vix semel eveniunt, afferas, sed quæ quotidie in communi vita cernuntur. Neque vero hæ solæ causæ sunt, cur illa fidentius agat, verumetiam aliæ multæ. Nam viduæ quidem maritus facile exprobrare poterit, se quoque ab illa parvifieri, ac despectus indicium proferre infidelitatem, quam erga priorem virum adhibuit, atque ita os illi obstruere, idque tam de præteritis rebus, quam de iis, quæ fortasse futuræ non sunt. Mortui enim viri contemptus, viventem quoque, ut idem sibi expectet, admonebit; licet eventurum non sit. Neque vero ille solus hæc perpetuo uxori objiciens molestus erit, sed famuli etiam, atque ancillæ, si minus palam, certe tacito quodam murmure sexcentis ipsam conviciis incessunt. Quod si filios impuberes ex priore viro habuerit, quomodo illos educabit? quomodo curabit? Quibus autem pupillis non illi miserius vivent, qui paterna omnia in alterius potestate videbunt, famulos, domum, prædia, et quod caput omnium est, uxorem? quomodo matris loco ipsam colere illi poterunt? quomodo

ipsos illa filiorum loco diligere? quos cum intuetur, erubescat, ac pudore suffundatur, necesse sit? quibusque non omnem impendere maternum affectum potest, magna animi, atque amoris parte in filios, quos ex altero suscepit, translata? Quid igitur, inquies, si valde tenera ætate fuerit, atque exiguo tempore frui viro potuerit? Quin ad puellas hæc mihi dicta sunt, non illas, quæ jam senuerunt: nam cum illis, si ad nuptias animum adjiciant, ne verbum quidem faciam, neque enim nostra illis oratio a secundo matrimonio abstinendum persuaderet, quod neque temporis longinquitas, neque ætas, neque aliud quidquam persuadere potuit: sed ad juvenes omnis mihi est instituta oratio. Quæris igitur, quid si puella, et quæ uno tantum anno cum priore viro fuerit, alteri nubat? Cur illam præferes ei, quæ viginti aut triginta annos in matrimonio egit? Non hoc meum est, sed beati Pauli. Ille enim inquit: «Beatior autem erit, si sic permanserit[1].» Cæteroqui, tametsi illa diu cum viro vixit, tamen cum uno, eodem, ac solo, quemque ab initio accepit: hæc autem duobus se ipsam dedit, idque intra breve tempus. At non voluntate sua, inquit: nam si prior viveret, unum illum amaret, præterea neminem. Nunc quando immatura morte sublatus est, necessario alteri jungitur. Sed qualis est hæc necessitas? Ego enim hac, quam affers, aliam longe majorem video, quæ ipsam mortuo viro contentam esse suadeat, nimirum gustando percepisse, quantum amari insit in rebus mundanis. Nam, quæ in ipsis perdiu versata, et satiata est, ad easdem rursum se conferet, quasi similes inventura. Quæ autem principia ipsa adeo molesta experta est, quid sibi volens, aut sperans, molestiarum periculum faciet? Nam si quis ad mercaturam ani-

[1] 1 Cor. VII, 4.

mum appulit, si antequam quidquam lucri faciat, simul ac e portu exiit, naufragium fecit, non facile mercaturam posthac exercebit : ita consentaneum est, hanc multa sibi e matrimonio jucunda pollicentem, verum antequam ad ea bene percipienda pervenire queat, tantum luctum deprehendentem, rerum humanarum amorem nisi valde sit intemperans, deponere. Quinetiam si valde iis afficiatur, atque inhiet, principii tamen injucunditas satis idonea est, quæ omnem extinguat cupiditatem. Tunc enim in iis, quæ suscepimus, potissimum perseverare consuevimus, cum principia ipsa ex sententia processerint : quod si ab initio, atque ab ipsis, ut ita dixerim, carceribus in molestias ac difficultates incurrimus, statim cupiditas defervet, ac totum negotium deponimus. Quamobrem, quarum immatura viduitas est, has mihi alterum matrimonium facilius repudiaturas verisimile videtur, ne eadem rursus perpetiantur. Nam quæ servat viduitatem, in tuto se collocabit, nec similem posthac luctum timebit : quem sane expectare cogetur, quæ secundo matrimonium contraxit. Huc accedit eamdem quidem esse viduitatem, non tamen eamdem omnibus viduis propositam esse mercedem, sed uni ampliorem, alteri parciorem. Quæ enim ab adolescentia jugum susceperunt, multo majore honore potientur, atque amplioribus muneribus; quæ autem in ipsa jam senectute, non æque, atque illæ. Quid ita? quod illa quidem, cum multa obstarent, ob Dei timorem omnia sibi perferenda duxit, huic autem nullo sudore, ac labore opus fuit : quis enim labor, ubi nihil quod vim afferat? Quemadmodum igitur, quæ se ipsam alteri viro dedit ei, quæ unicum agnovit, concedat oportet : ita quæ in ipsomet ætatis flore in viduitate perseverat, longo intervallo eam, quæ in senectute virum amisit, anteibit. Atqui utraque unum habuit virum, sed hæc tamen ipsum castitatis cur-

riculum confecit, illa vero longo abest intervallo. Igitur non ad laborem solum, sed etiam ad mercedem spectes. Sic pleraque virtutum officia difficilia nobis videntur, cum sudores, atque ærumnas, quæ subeundæ sunt, assidue animo versamus, neque proposita illis præmia animadvertimus. Quod minime faciendum est, sed circumspectis simul laboribus, ac præmiis, summa subducenda : tunc autem, ut vere sunt, ita a nobis facilia judicabuntur. Nam qui in bello præclare se gerit, non vulnera duntaxat, casus, ac mortem, sed etiam tropæa, victorias, cæterosque honores omnes reputans, in aciem fortiter descendit. Sic agricola non solum laborem, qui arando, ac fodiendo sumendus est, sed etiam aream, ac torcularia ob oculos proponens, alacriter opera sua urget. Itidem igitur, et nos spe bona ærumnam viduitatis levem reddamus, atque eo magis nos, quam illi : quod illis quidem multa sæpe ex iis, quæ in ipsis sita non erant, expectationem præciderunt. Nostras autem spes nemo est, qui confundat, nisi voluntas nostra accesserit. Quæ utinam non accedat, sed illud nobiscum cogitantes viduam a virgine non procul abesse, atque etiam interdum illam antecellere, nimirum, cum virgo negotiis se implicarit : « Vidua autem, ex Pauli » sententia, desolata, et in Deo spem ponens, institerit ob» secrationibus, et orationibus [1], » atque ab hujus vitæ negotiis abstinuerit. In arenam hanc descendamus, ut quæ inde nos manent præmia, consequamur. Hæc, non quo necessaria judicaremus, attulimus, aut quo illas, quæ in viduitate permanere nolunt, condemnaremus, sed hoc unum cohortatione, admonitioneque nostra agentes, ut ne terræ perpetuo affixæ hærere velint, sed semel solutæ in libertate maneant, ad cœlum aspirent, cœlestem vivendi rationem adhibeant, ac junctæ Christo ea omnia

[1] 1 Tim. v, 5.

præstent, quæ iis conveniunt, quæ tantum nactæ sunt sponsum : quoniam ipsum decet omnis gloria, honor et adoratio una cum experte principii Patre ac vivifico sanctoque ipsius Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

SERMO.

De consolatione mortis.

1. Præbete silentium, fratres; ne vos transeat sermo utilis et in tempore necessarius. Nam tunc vel maxime opus est medicina, quando gravis nascitur ægritudo : et tunc sollicite collyrium adhibendum est, cum fuerit oculus dolore turbatus. Quicumque ergo non habet hunc dolorem, non obstrepat, sed potius audiat; quia non impedit sanum scire medicinam quæ prosit. Qui vero per hunc casum turbatum habet oculum mentis, et doloribus cruciatur, magis intentus sit ut aperiat oculum ad suscipiendum salutaris verbi collyrium, quo non solum consolationem, sed etiam remedium consequatur. Certum est autem, quia is qui dolet oculum, si eum medico infundenti collyrium aperire noluerit, collyrium quidem foris extra pupillam funditur, oculus vero remanet in dolore. Sic et mens dolentis, si propter nimiam tristitiam verbo se clauserit, non recepta salubri admonitione, incipiet plus dolere, et forsitan pati illud quod in Scriptura continetur, « Quia tristitia mundi, mortem operatur[1]. » Beatus Paulus apostolus, fidelium doctor, medicus salutaris, duas esse dixit tristitias; unam bonam, et alteram malam; unam utilem, et alteram inutilem; unam quæ salvat, et alteram quæ perdit. Et ne dubium alicui videatur id quod dico, ipsa ejus verba recitabo. Ait enim, « Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem » operatur[2] : » hæc est illa bona tristitia. Sequitur deinde :

[1] 2 Cor. VII, 10. — [2] Ibid.

« Nam sæculi hujus tristitia, mortem operatur : » hæc est illa mala.

II. Videamus ergo, fratres, ista tristitia quæ nunc est in manibus, quæ nunc agitur in pectore, et auditur voce ; utilis sit, an inutilis : prodesse valeat, an nocere. Jacet ecce corpus exanime, jacet in tabula homo sine homine, membra utique sine spiritu : clamatur, nec respondet; vocatur, et non audit; jacet facies pallida, forma mutata, per quam mors ipsa cernitur : cogitatur præterea ejus perpetuum silentium, cogitatur delectatio, aut quæ fuit, aut quæ futura erat utilitas ; cogitantur necessitates, veniunt in mentem verba dulcissima, longa consuetudo requiritur. Hæc sunt sine dubio quæ movent lacrymas, incitant ululatum, et totum animum in profundam tristitiam demergunt. Contra hæc tam valida tam fortia doloris arma, illud primo omnium opponendum est, quia omne quod nascitur in hoc mundo, necesse est mori. Hæc est enim lex Dei et sententia immutabilis, quam post delictum princeps generis humani accepit, dicente Deo, « Terra » es, et in terram ibis[1]. » Quid ergo novi contigit, si homo ad hoc natus, divinæ legi ac sententiæ satisfecit? Quid novi accidit, si ex mortalibus natus, naturæ propriæ, quia nec poterat excusare, respondit? Non est inusitatum quod antiquum est, non est inauditum quod quotidianum ess, non est proprium quod commune est. Si avos et proavos novimus per hanc viam mortis profectos, si ipsos denique Patriarchas et Prophetas ab Adam protoplasto non sine occasu audivimus migrasse de sæculo; elevemus animum de profundo tristitiæ : quia quod debebat, hoc reddidit. Et utique debitum cum redditur, quam potest habere tristitiam? Hoc est vera debitum, quod nulla potest pecunia redimi : hoc est debitum, quod nec virtus excu-

[1] Gen. III, 19.

sat, nec sapientia, nec potestas, nec ipsi denique reges poterunt declinare. Plane hortarer ego ut augeres tristitiam, si fuisset talis res, quæ cum posset tua substantia redimi, vel differri, negligentia aut parcitate provenisset. Cum vero Dei decretum firmum sit et immutabile, frustra dolemus, et de nobis quærimus quare sit mortuus, cum scriptum sit, « Domini Dei sunt exitus mortis[1]. » Ista ergo communis vitæ conditio si recipiatur in animo, incipiet gravatus cordis oculus, quasi prima infusione relevari.

III. Sed dicis, scio communem esse hunc casum; scio quia is qui mortuus est, debitum solvit : sed delectationem cogito, necessitates repeto, consuetudinem requiro. Si propter hæc tristitia afficeris, errore duceris, non ratione gubernaris. Scire enim debes, quia Dominus, qui hanc dederat delectationem, dare potest et aliam potiorem, et qui tibi hanc intulit necessitatem, sufficiens est per aliam occasionem supplere. Utilitatem vero, sicut tuam vides, debes et ejus qui defunctus est cogitare : quia sic ei forsitan expediebat, sicut scriptum est : « Raptus est, » ne malitia mutaret ejus intellectum. Placita enim erat » Deo anima ejus, ideoque properavit de media iniquitate » educere eum[2]. » De consuetudine autem quid dicam, quam dum tempus sic facit oblivisci, ut nunquam fuisse videatur. Quod ergo tempus præstat et dies, multo magis debet ratio et bona præstare cogitatio. Et vel illud maxime cogitandum est, quod divina per Apostolum sententia definivit, « Quia tristitia mundi mortem operatur[3]. » Quod si tam oblectatio quam utilitas præsens sive consuetudo, res mundi sunt et gaudia sæculi transitoria; propter hæc animum dejicere, et spiritum contristari, vide ne sit vere mortifera valetudo. Repetens autem iterum atque iterum dicam : « Quia tristitia mundi mortem operatur. » Quare

[1] Psal. LXVII, 21. — [2] Sap. IV, 11 et 14. — [3] 2 Cor. VII, 10.

autem mortem operatur? quia tristitia aut ad dubitationem, aut ad perniciosam perducere blasphemiam.

IV. Sed dicet aliquis, prohibes lugere mortuos, cum et Patriarchæ plorati sunt, et Moyses ille famulus Dei, et multi deinde Prophetæ, præsertim cum Job quoque justissimus vestem suam supra filiorum consciderit necem[1]? Non ego prohibeo lugere mortuos, sed gentium illuminator Apostolus, qui sic ait: « Nolo vos ignorare, » fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut qui » spem non habent[2]. » Non potest Evangelii claritas obscurari, si ii qui ante legem, aut sub legis umbra positi fuerant, suos mortuos flebant. Et merito flebant, quia nondum de cœlis venerat Christus, qui fontem illum lacrymarum sua resurrectione siccavit. Merito flebant, quia adhuc mortis sententia permanebat. Merito lamentabantur, quia nondum resurrectio prædicabatur. Sperabant quidem sancti quique adventum Domini; sed mortuos interim flebant, quia nondum viderant quem sperabant. Denique Simeon unus de veteribus sanctis, qui prius fuerat de sua morte sollicitus, postquam Jesum Dominum adhuc puerum secundum carnem suscepit in manibus, de suo exitu gratulatur dicens, « Nunc dimittis, Domine, » servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare » tuum[3]. » O beatus ille Simeon! Quia quod sperabat viderat, jam mortem suam pacem et requiem computabat. Sed dices, ecce in Evangelio legitur archisynagogi ploratam filiam, et sorores Lazari Lazarum flevisse[4]. Sed illi adhuc secundum veterem legem sapiebant, quia necdum a mortuis Christum resurrexisse conspexerant. Flevit plane et ipse Dominus Lazarum jam sepultum, non utique ut flendi mortuos formam daret, sed ut et se per lacrymas suas

[1] Job. I, 20. — [2] I Thess. IV, 12. — [3] Luc. II, 29. — [4] Id. VIII, 52, et Joan. XI, 31.

verum corpus assumpsisse monstraret. Vel certe flevit amore humano Judæos, quia nec tali signo monstrato in eum fuerant credituri. Neque enim mors Lazari causa esse poterat lacrymarum, quem ipse Jesus et dormivisse dixerat et suscitaturum se promiserat, sicut et fecit.

V. Habuerunt ergo veteres suum morem, suamque fragilitatem, Christi adventum præcedentes. Jamvero ex quo Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, ex quo primo Adæ datam sententiam Adam novissimus solvit, ex quo nostram mortem sua morte destruxit, et ab inferis die tertia Dominus resurrexit, jam non est terribilis mors fidelibus : non timetur occasus, quia Oriens venit ex alto. Clamat ipse Dominus qui mentiri nescit : « Ego sum, in» quit, resurrectio et vita : qui credit in me, etiam si mor» tuus fuerit, vivet : et omnis qui vivit et credit in me, » mortem non videbit in æternum[1]. » Manifesta est, fratres charissimi, vox divina, quia qui credit Christo, et ejus mandata custodit, si mortuus fuerit vivet. Hanc vocem beatus Paulus apostolus accipiens, et totis fidei viribus retinens, instruebat : « Nolo, inquit, vos ignorare, fra» tres, de dormientibus, ut non tristes sitis[2]. » O mira Apostoli pronuntiatio! uno sermone antequam doctrinam proferat, resurrectionem commendat. Dormientes namque appellat illos qui mortui sunt, ut dum dormire eos dicit, resurrecturos sine dubitatione consignet. « Non, in» quit, tristes sitis de dormientibus, sicut et cæteri[3]. » Qui spem non habent, contristentur : nos autem qui spei filii sumus, collætemur. Quæ autem nobis spes sit, ipse commemorat dicens, « Si credimus, quia Christus mortuus » est, et resurrexit : ita et Deus eos qui dormierunt, per » Jesum adducet cum eo[4]. » Jesus enim nobis et hic viventibus salus est, et hinc recedentibus vita est. « Mihi, in-

1 Joan. XI, 25, 26. — 2 I Thess. IV, 13. — 3 Ibid. — 4 Ibid. 14.

» quit Apostolus, vivere Christus est, et mori lucrum[1]. » Lucrum plane, quia angustias et tribulationes, quas habet longior vita, mors accelerans lucrifacit. Jamvero ordinem et habitum spei nostræ describit Apostolus. « Hoc » inquit, vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vi» vimus, qui residui sumus, in adventu ejus non præve» niemus eos qui dormierunt : quia ipse Dominus in jussu » et voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo, » et mortui qui in Christo sunt resurgent primi : deinde nos » qui vivimus, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam » Christo in aëra, et ita semper cum Domino erimus[2]. » Hoc est quod dicit, quia cum venerit Dominus, inveniet multos in corpore Christianos, qui nondum experti sunt mortem : et tamen non ante rapientur ad cœlum, quam mortui sancti de monumentis resurrexerint, tuba Dei et voce Archangeli suscitati. Cum autem fuerint suscitati, juncti pariter cum viventibus rapientur in nubibus obviam Christo in aëra, et sic semper cum ipso regnabunt. Nec sane possit dubitari quod possint corpora, quamvis sint gravia, in aëra sublevari : cum jubente Domino Petrus ipsum corpus habens super undas ambulaverit maris[3]; Elias quoque ad hujus spei confirmationem[4], per hunc aëra curru flammeo sit raptus ad cœlum.

VI. Sed quæris forte, quales erunt qui a mortuis resurrexerint? Audi ipsum dicentem Dominum tuum : « Tunc, » inquit, justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui[5]. » Quid splendorem commemorem solis? Cum fideles transfigurari necesse est ad ipsius Christi Domini claritatem, ut testatur apostolus Paulus : « Nostra, inquit, conversatio » in cœlis est. Unde et ipsum Salvatorem expectamus Do» minum Jesum Christum, qui transformabit corpus hu-

[1] Philip. I, 21. — [2] I Thess. IV, 15-17. — [3] Matth. XIV, 29. — [4] 4 Reg. II, 11. — [5] Matth. XIII, 43.

» militatis nostræ ad conformationem corporis gloriæ suæ[1]. » Transfigurabitur sine dubio caro ista mortalis ad conformationem Christi claritatis, induet mortale immortalitatem : quia quod seminatum fuerat in infirmitate, prótinus surget in virtute. Non timebit caro amplius corruptionem, non patietur famem, non sitim, non ægritudines, non casus adversos. Pax enim tuta, et firma secūritas vitæ est. Alia utique cœlestis est gloria, ubi et gaudium sine defectione præstabitur.

VII. Hæc in sensu et oculis gerens beatus Paulus dicebat, « Optabam dissolvi, et cum Christo esse multo magis » melius[2]. » Et adhuc aperte docens, « Dum sumus, inquit, in corpore, peregrinamur a Domino : per fidem enim » ambulamus, et non per speciem. Habemus autem magis, » inquit, bonam voluntatem peregrinari a corpore, et » præsentes esse ad Dominum[3]. » Quid agimus nos parvæ fidei homines, qui anxiamur et deficimus, si aliquis de charis nostris migret ad Dominum? Quid agimus, quos peregrinatio in hoc mundo magis delectat, quam repræsentari ad Christi conspectum? Vere, vere peregrinatio est omne quod vivimus : nam sicut peregrini in sæculo, sedes habemus incertas, laboramus, desudamus, vias ambulantes difficiles, periculis plenas : undique insidiæ, a spiritualibus, a corporalibus inimicis, undique errorum calliculi sunt præparati. Et cum tantis periculis urgeamur, non solum ipsi non cupimus liberari, sed etiam liberatos tanquam perditos lugemus et plangimus. Quid vobis præstitit Deus per suum Unigenitum, si adhuc mortis timemus casum? Quid nos renatos ex aqua et spiritu gloriamur, quos peregrinatio de hoc mundo contristat? Ipse Dominus clamat, « Si quis mihi ministrat, sequatur me : et ubi ego » sum, ibi erit et minister meus[4]. » Putas si rex terrestris

[1] Philip. III, 20. — [2] Id. I, 23. — [3] 2 Cor. V, 6. — [4] Joan. XII, 26.

ad suum palatium vel convivium aliquem vocet, non cum gratiarum actione properabit? Quanto magis ad cœlestem currendum est Regem, qui quos receperit, non solum convivas, sed etiam conregnatores efficiet, sicut scriptum est: « Si commortui sumus, et convivemus; si sustinemus, et conregnabimus [1]. » Nec hoc ego dico, ut quis manus sibi inferat, aut se interficiat contra voluntatem Dei creatoris, aut animam ut de corporis sui expellat hospitio; sed hoc dico, ut lætus et gaudens, cum aut ipse vocatur et proximus, et ipse vadat, et euntibus gratuletur. Hæc enim est christianæ fidei summa, vitam veram expectare post mortem, reditum sperare post exitum. Accepta igitur voce Apostoli, cum fiducia jam dicamus gratias Deo, qui nobis contra mortem victoriam dedit, per Christum Dominum nostrum, cui est gloria et potestas, nunc et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

De consolatione mortis.

I. Superiori quidem libello perstrinximus breviter de consolatione mortalitatis, de spe resurrectionis: nunc plenius et validius de eisdem dicere properamus. Siquidem hæc quæ locutus sum, fidelibus quidem certa sunt, infidelibus autem ac dubiis videntur esse fabulosa, ad quos pauca strictius proferamus. Certe quicumque estis increduli, omnem dubitationem de substantia corporis sustinetis. Discreditur enim a quibusdam, carnem conversam in pulverem, iterum posse resurgere, iterum reviviscere. Cæterum de anima nullum posse hominum dubitare: siquidem de animæ immortalitate nec philosophi ipsi, cum sint pagani, dissentiunt. Nam

[1] 1 Tim. II, 11.

quid est mors nisi separatio corporis animæque : recedente enim anima quæ semper vivit, quæ mori nescit, quia de flatu Dei est, solum corpus emoritur : quia aliud in nobis mortale, aliud immortale est. Sed recedens anima, quæ carnalibus oculis non videtur, ab Angelis suscipitur, et collocatur aut in sinu Abrahæ, si fidelis est; aut in carceris inferni custodia, si peccatrix est : dum statutus veniat dies, quo suum recipiat corpus, et apud tribunal Christi judicis veri reddat suorum operum rationem. Ergo quia de carne tota cunctatio est, hujus est infirmitas defendenda, et resurrectio consignanda.

II. Quod si quis requirat a me dubius et incredulus, Quomodo mortui resurgent, quo autem corpore venient? respondebo ei ore ac verbis Apostoli, « Insipiens, tu quod » seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur : et quod se» minas, nudum seminas granum tritici; aut alterius alicujus » seminis[1], » mortuum et aridum sine humore; et cum putrefactum fuerit, fœcundius surgit, fitque vestitum folliculis, aristis armatum. Qui ergo granum tritici suscitat propter te, ipsum te non poterit suscitare propter se, qui solem quotidie quasi de sepulcro noctis suscitat et lunam quasi de interitu reparat, et tempora recedentia revocat ad utilitatem scilicet nostram : ipsos nos, propter quos omnia reparat, non requiret, et semel patietur extingui, quos suo flatu accendit, quos suo spiritu animavit : et in perpetuum jam non erit homo, qui illum pie et agnovit et coluit? Sed iterum dubitas quod possis reparari post mortem, restitui post cinerem et ossa consumpta? O homo, dic mihi, quid fuisti antequam in matris utero conciperceris? Nihil utique. Deus ergo qui te creavit ex nihilo, nonne facilius poterit reparare de aliquo? Mihi crede, facilius poterit reficere quod ante jam fuit, qui potuit creare quod

[1] I Cor. xv, 36.

non fuit. Qui te ex gutta informis liquoris in tuæ matris utero, in nervos, venas et ossa jussit excrescere, poterit, mihi crede, de utero terræ iterum generare. Sed times ne forte ossa tua arida vestiri pristina carne non possint? Noli, noli secundum tuam impotentiam, Dei æstimare majestatem. Deus ille rerum omnium procreator, qui vestit arbores foliis, et prata floribus; poterit et tua ossa illico veris tempore in resurrectione vestire. Dubitaverat aliquando de hoc ipso propheta Ezechiel, et interrogatus a Domino utrum viverent ossa arida, quæ videbantur sparsa per campum : respondit, « Tu scis, Domine[1]. » Sed postquam Deo jubente, et se ipso prophetante vidit ossa ad sua loca et juncturas currentia ; postquam vidit ossa arida nervis ligari, venis intexi, carne contegi, cute vestiri, postea prophetavit in spiritu : et veniens spiritus uniuscujusque introivit in corpora illa jacentia, et resurrexerunt, et mox steterunt. Sic confirmatus de resurrectione Propheta, scripsit visionem, ut ad posteros tantæ rei cognitio perveniret. Merito ergo clamat Isaïas, « Exurgent mortui, et resurgent qui sunt in monumentis, et lætabuntur qui sunt in terra. Ros enim qui abs te est, sanitas est illis[2]. » Vere enim sicut rore madefacta semina germinant et exurgunt, sic rore spiritus ossa fidelium germinabunt.

III. Sed dubitas, quomodo de parvis ossibus totus homo restitui possit? Revera tu ex modica scintilla ignis ingentem suscitas flammam; Deus non poterit ex modico cineris tui fermento totum corpusculi tui redintegrare conspersum? Nam etsi dicas : Nusquam comparent carnis ipsius reliquiæ; forsitan enim aut igne consumptæ sunt, aut a bestiis devoratæ : hoc primum scito, quia quidquid consumitur, in terræ visceribus continetur, unde rursus

[1] Ezech. XVII, 3. — [2] Isaï. XXVI, 19.

poterit Deo præcipiente produci. Nam et tu cum non appareat ignis, adhibes lapillum, et modicum ferri, et excutis de visceribus lapilli quantum opus est ignis. Quod ergo per tuam industriam et sapientiam, quam tibi Deus ipse concessit, facis ut producas quod non apparet : majestas illa divina facere sua virtute non poterit, ut quæ interim non videntur excutiat? Mihi crede, potest omnia Deus.

IV. Hoc tantum require, utrum promiserit se facere resurrectionem : et cum promissam tantorum didiceris testimoniis; imo cum ipsius Christi Domini certissimam habeas cautionem; confirmatus fide, mortem desine jam timere. Qui enim timet adhuc, discredit : qui discredit, peccatum contrahit insanabile; quia sua incredulitate audet Deum aut impotentem, aut certe asseverare mendacem. Sed non ita beati Apostoli, non ita sancti Martyres probant. Apostoli propter hanc prædicationem resurrectionis, Christum resurrexisse prædicant, et in ipso mortuos suscitandos annuntiant, nec mortem nec tormenta recusaverunt nec cruces. Si ergo in ore duorum vel trium testium stat omne verbum : resurrectio mortuorum, cui tot et tam idonei testes existunt, cui cum effusione sanguinis testimonium dicunt, quomodo potest in dubium revocari? Quid autem sancti Martyres? Habuerunt certam spem resurrectionis, annon? Si non habuissent, non utique per tantos cruciatus et pœnas mortem pro lucro maximo suscepissent : non cogitabant supplicia præsentia, sed præmia secutura. Sciebant dictum, « Quæ videntur, ad tempus sunt; quæ autem non videntur, æterna » sunt[1]. » Audite, fratres, virtutis exemplum. Mater septem filios hortabatur, et non lugebat, sed potius lætabatur : videbat filios suos ungulis radi, ferro concidi, sartagine

[1] 2 Cor. IV, 18.

assari; et non lacrymas fundebat, non ululatus tollebat, sed sollicite ad tolerantiam filios hortabatur. Non enim erat illa crudelis utique, sed fidelis: amabat filios, non delicate, sed fortiter. Hortabatur filios ad passionem, quam gaudens ipsa quoque suscepit. Erat enim de sua, et suorum filiorum resurrectione secura. Quid loquar viros, quid fœminas, quid pueros, quid puellas? Quomodo sibi de ista morte luserunt, quomodo summa celeritate ad cœlestem militiam transierunt? Poterant utique ad præsens vivere si voluissent quia in ipsis erat positum, Christum negando viverent, aut confitendo morerentur: sed magis elegerunt vitam projicere temporaneam, et vitam assumere sempiternam; excludi de terra, et incolere cœlum.

V. Inter hæc, fratres, quis dubitationis est locus? Ubi potest adhuc mortis residere formido? Si Martyrum sumus filii, si eorum socii volumus inveniri, non contristemur morte, non lugeamus charos, qui nos præcedunt ad Dominum. Nam si plangere voluerimus, ipsi nobis insultabunt beati Martyres, et dicent: O fideles! o regnum Dei cupientes! vos qui charos vestros delicate morientes, in lectis utique et plumis cum mœrore plangitis et lugetis; si eos a gentilibus propter nomen Domini cruciari et interfici videretis, quid facturi essetis? Aut non vobis præcessit exemplum? Abraham patriarcha filium unicum offerens sacrificium, gladio obedientiæ jugulavit[1]: nec ei quem tanto amore dilexit, pepercit, ut Domino obediens probaretur. Sed si dicatis, illum propter Dei hoc fecisse præceptum: et vos habetis præceptum, ut non tristes sitis de dormientibus. Qui ergo minima non servant, majora quando servabunt? An nescitis quia animus qui in talibus frangitur, ad fortiora reprobus invenitur? Quis timens ri-

[1] Gen. XXII, 10.

vum, mare aliquando ingreditur? Sic qui plangit impatienter amissum, quando poterit ad martyrii pervenire certamen? Nam qui in his constans et magnanimus existit, jam sibi gradum ad potiora substernit.

VI. Sufficiant hæc, fratres, ad mortis contemptum, et ad spei futuræ confirmationem. Superest ut unum de veteribus exemplum proferam, quod omnem consolationem faciat, et quod etiam patientibus cordis auribus volo omnes audire. David rex magnus filium dilectum, quem sicut animam propriam diligebat [1], infirmitate percussum, impatientissime ferebat : et cum humana jam auxilia nihil prodessent, se ipsum convertit ad Dominum : deposita regali gloria, sedit in terra, jacuit in cilicio, non manducavit, non bibit, septem diebus continuis orans Deum, si forte sibi filius donaretur. Accesserunt seniores domus ejus, consolantes rogaverunt ut panem sumeret, veriti ne forte dum filium vellet vivere, ipse ante deficeret. Non potuerunt extorquere, non cogere; amor enim impatiens solet pericula ipsa contemnere. Jacet rex in squalore cilicii ægrotante filio : nec verba faciunt consolationem, nec ipsa escarum necessitas vocat. Mens tristitia pascitur, pectus dolore reficitur, oculi lacrymas pro potibus fluunt. Inter hæc factum est quod decreverat Deus : moritur puer. Uxor in luctu, tota domus in planctu, servuli pavidi, quid fieret exæstuantes : nemo enim audebat Domino filium mortuum nuntiare, timentes utique, ne ille qui sic impatienter adhuc vivum lugebat, si audisset mortuum, vitæ faceret finem. Dum strepunt famuli inter se, dum tristes, alter ad alterum dicere aut suadet aut vetat, intellexit David, prævenit nuntios, an vitam filius exhalasset interrogat. Negare non possunt, factum fletibus indicant. Fit concursus insolitus expectatio grandis et metus,

[1] 2 Reg. XII, 16.

ne quid sibi periculi pius pater inferret. Surgit continuo rex David de cilicio, surgit hilaris, quasi filium suum audisset incolumem : vadit ad balneas, lavat corpusculum, vadit ad templum, adorat Deum, epulatur cum amicis, compressis suspiriis, gemitu omni deposito, vultu jam læto. Mirantur domestici, stupent amici novam et subitam conversionem : audent denique interrogare, quid sibi vellet hoc, ut cum vivente filio sic doluerit, mortuo non doleret? Respondit vir ille magnanimitate præcipuus ; Necesse fuit cum adhuc viveret filius, et humiliari, et jejunare, et lugere in conspectu Domini; erat enim spes impetrandi commeatus vitæ : at vero postquam voluntas Domini facta est, stultum est et impium, animum lamentatione inutili macerari : sic dicens : « Ego ibo ad illum, » ille non revertetur ad me. » Ecce exemplum magnanimitatis atque virtutis. Quod si ille David, adhuc sub lege positus, sub illa, non dico licentia, sed necessitate lamentationis, sic animum a luctu irrationabili separavit, sic tristitiam suam suorumque compescuit : nos qui jam sub gratia sumus, sub certa spe resurrectionis, quibus omnis tristitia interdicitur, qua fronte mortuos nostros gentilium more plangimus, ululatus insanos attollimus, veluti alio genere bacchantes, conscissis tunicis pectora nudamus, verba inania et nænias circa corpus et tumulum defuncti cantamus? Postremo etiam qua ratione vestes nigras tinguimus, nisi ut nos vere infideles et miseros non tantum fletibus, sed etiam vestibus approbemus? Aliena sunt ista, fratres, extranea sunt, non licent : et si licerent, non decerent. Sed aliquantos de fratribus et sororibus, licet fides propria et præceptum Domini fortes faciat, parentum tamen et vicinorum opinio debilitat et frangit : ne lapidei et crudeles judicentur, si pepercerint vestimento, si non insanis luctibus fuerint debacchati. Et

hoc quam vanum est, quam ineptum, opiniones hominum errantium cogitare : et non timere, ne quid minus faciat de fide quam suscepit? Quare non magis discit tolerantiam ille qui talis est? quare non a me discit fidem ille qui dubius est? Quando etiam si tantus sit dolor ejusmodi pectoris, tacite debeat luctum sensu digerere, et non levitate sui animi publicare.

VII. Unum adhuc volo proponere exemplum ad corrigendos eos qui plangi mortuos arbitrantur. Exemplum autem de paganorum historia est. Fuit quidam princeps paganus (3) qui habebat filium unicum, satisque dilectum. Hic cum in Capitolio idolis suis gentili errore sacrificaret, nuntiatur ei quod filius ille unicus defuisset. Non reliquit sacra quæ gerebat in manibus, non lacrymavit, nec omnino suspiravit : sed quid respondit, audite : Sepeliatur, inquit, memini enim me filium genuisse mortalem. Vide responsum, vide hominis pagani virtutem; ut nec expectari se jusserit, vel ut præsente se sepulturæ filius traderetur. Quid agimus, fratres, si diabolus hunc in diem judicii coram Christo contra nos producat et dicat : Hic meus cultor, quem ego præstigiis decipiebam meis, ut serviret cæcis et surdis simulacris; cui ego nec resurrectionem a mortuis, nec paradisum, nec cœlorum regna promiseram, hic filii nobilis sapiens unici mortem nec doluit nec ingemuit, nec tali nuntio mea sacra deseruit : tui autem Christiani, tui fideles, pro quibus ideo crucifixus et mortuus es, ut mortem ipsi non timerent, sed essent de resurrectione securi, non solum lugent mortuos et voce et habitu, sed etiam ad Ecclesiam procedere confunduntur, aliquanti etiam ipsi clerici tui et pastores ministerium suum intermittunt, vacantes luctui, quasi insultantes tuæ voluntati? Quare? Quia quos voluisti, de sæculi caligine ad te vocasti. Quid ad hæc respondere poterimus,

fratres? Nonne confusio nos apprehendet, cum in hac parte inferiores gentibus invenimur? Et utique lugere debet paganus, qui nesciens Deum, mox ut moritur, recto cursu pergit ad pœnam. Plangi debet Judæus, qui Christo non credens, animam suam perditioni deputavit. Dolendum est plane de catechumenis nostris, si aut sua incredulitate aut negligentia proximorum, sine baptismo salutari recesserint. Cæterum qui sanctificatus gratia, signatus fide, conversatione probatus, vel innocentia securus, de hoc mundo recedit, beatificandus est, non lugendus, desiderandus, non plangendus; sed desiderandus cum moderatione, cum sciamus nos ipsos accedentibus temporibus secuturos.

VIII. Terge igitur lacrymas, intermitte suspiria, compesce gemitus, o fidelis, et pro hac tristitia salutarem illam indue tristitiam, utique quam beatus Apostolus secundum Deum esse memoravit, quæ salutem stabilem solet operari[1]; utique pœnitentiam facinorum commissorum. Scrutare pectus tuum, propriam interrogans conscientiam, et si invenias aliquid pœnitendum; invenies autem cum sis homo; trahe suspiria in confessione, funde lacrymas in oratione, esto sollicitus de morte illa vera, de pœna animæ, esto sollicitus de peccato, sicut David dicit: « Quoniam iniquitatem meam pronuntio, et » sollicitus ero pro peccato meo[2]: » et non de corporis hujus solutione terreberis, quod suo tempore in melius Deo jubente reparabitur. Vide quemadmodum utrumque sententia divina complexa est, dicens, « Venit hora cum mor» tui qui sunt in monumentis resurgent[3]: » ecce securitas, ecce contemptus mortis. Sed quid sequitur? « Qui bona » fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui autem mala ege» runt, in resurrectionem judicii: » ecce diversitas resur-

[1] 2 Cor. VII, 10. — [2] Psal. L, 4. — [3] Joan. V, 28.

gentium. Omnem quidem necesse est carnem resurgere duntaxat humanam : sed bonus resurget ad vitam, malus resurget ad pœnam, sicut scriptum est : « Ideo non resur» gent impii in judicio, neque peccatores in concilio jus» torum[1]. » Ut ergo non in judicium resurgamus, intermissa mortis tristitia illam pœnitentiam et tristitiam sumamus, et curam bonorum operum ac vitæ melioris habeamus, et ad hoc sit nobis cogitatio hujus funeris et cadaveris, ut nos mortales esse noverimus, et per hanc cogitationem, salutem nostram, dum tempus est, dum licet, minime negligamus : scilicet aut fructificantes in melius, aut emendantes, si ignorantes erravimus : ne subito præoccupati die mortis, quæramus spatium pœnitentiæ, et non invenire possimus, quæramus eleemosynas erogare, et satisfacere pro delictis, nec quod volumus concedatur.

IX. Ostensa igitur, fratres, mortis communis, ostensa lacrymarum interdictione, monstrata veterum adhuc fragilitate et non christianitatis virtute, monstrato Domini sacramento et Apostolorum de resurrectione documento, commemoratis Apostolorum actibus, et Martyrum passionibus, ostenso præterea David exemplo, et gentilis hominis insuper facto, ad ultimum exposita et noxia et utili tristitia, illa quæ nocet, ista quæ per pœnitentiam salvat : his omnibus sic ostensis, quid nos facere jam aliud oportet, fratres, quam gratias agentes Deo Patri dicere, « Fiat voluntas » tua sicut in cœlo et in terra[2] : » tu dedisti vitam, tu constituisti mortem; tu inducis in sæculum, tu educis de sæculo, et cum eduxeris servas ; nihil enim deperit tuorum, qui nec capillum capitis eorum perire dixisti : « Auferes » enim spiritum eorum et deficient, et in terram suam re» vertentur; sed emittes spiritum tuum et creabuntur, et » renovabis faciem terræ[3]. » Hæc verba, fratres, digna fi-

[1] Psal. I, 5. — [2] Matth. VI, 10. — [3] Luc. XXI, 18, et Psal. CIII, 29.

delibus, hæc medicina salutaris : hac spongia consolationis detersus oculus, hoc infusus collyrio rationis; non modo cæcitatem ex desperatione non sentiet, sed nec lippes aliquas tristitiæ sustinebit? quin potius oculis cordis lucida cuncta respiciens, dicet secundum patientissimum illum Job, « Dominus dedit, et Dominus abstulit, » sicut Domino visum est, ita factum est : sit nomen Domini benedictum in sæcula sæculorum [1]. Amen. »

[1] Job. I. 21.

HOMILIA.

De futurorum deliciis, et præsentium vilitate.

I. Vehemens æstus est, et molestus ardor ; attamen alacritatem vestram non debilitavit, nec audiendi cupiditatem repressit. Talis est auditor fervens et attentus, audiendi desiderio corroboratus omnia patienter ferre potest, ut cupiditatem hanc præclaram et spiritualem expleat, et nec a frigore, nec ab æstu, non a negotiorum turba, non a multitudine curarum, non ab aliis rebus ullis ejusmodi potest supplantari : quemadmodum et supinum ac desidem non aëris bona temperies, non otium et securitas, non facilitas, aut voluptas potest excitare, sed correptus somno quodam residet crimine ac vituperatione dignissimo. Vos autem tales non estis : sed iis qui nostram incolunt urbem multo meliores estis : siquidem vos urbis caput ac vertex estis adeo erecti ac vigiles, et qui ea quæ dicuntur, perpetuo persequi studiose soletis. Hoc mihi theatrum regum aulis est augustius. Nam illic quidem ea quæ tribuuntur, una cum hac vita finiuntur, et tumultus plena sunt ac turbis redundant : hic vero nihil tale ; sed et securitas omnis, et honor a turbis immunis est, et magistratus qui nunquam finiuntur, nec ipsa morte interrumpuntur, sed tum temporis tutiores fiunt. Nolo enim mihi commemores eum qui sedeat in curru, supercilia attollat, multoque sit satellitio cinctus, neque cingulum et vocem præconis : nolo mihi magistratum inde designes : sed ab animi statu, si affectibus imperet, si vitia subigat, si non invidia tabescat, si non inanis gloriæ perturbatione distrahatur, si egestatem

non metuat et tremat, si non in deterius mutationem, si hoc timore non exanimetur. Talem mihi magistratum ostende, hoc enim est gerere magistratum. Quod si hominibus quidem imperet, sed affectibus animi serviat, hunc ego dixerim plus quam omnes homines esse servituti obnoxium. Et quemadmodum qui febrim habeat visceribus ac venis intus inclusam, tametsi nihil tale species corporis externa præ se ferat, omnino febre maxime correptum asserent medici, licet ignorent imperiti : sic et ego illum cui serva sit anima et animi affectibus mancipata, licet nihil tale facies externa, sed contrarium præ se ferat, servituti obnoxium præ cæteris dixerim, utpote qui vitiorum febrim grassantem intus habeat, ac tyrannidem passionum ipsi animæ insidentem : magistratum autem gerere, et liberum esse ac regibus ipsis augustiorem, quamvis pannis indutus sit, quamvis in carcere habitet, quamvis catena sit circumdatus, eum qui hujus tyrannidis jugum excusserit, et neque pravis cupiditatibus teneatur, nec absurdo paupertatis et ignominiæ, neque eorum quæ in hac vita molesta videntur, timore correptus contremiscat.

II. Ejusmodi magistratus, non pecunia venales prostant, neque invidorum patent incursibus : hunc accusatoris lingua non novit, nec oculus invidorum, neque insidiatorum machinæ, sed tanquam in inviolabili quodam philosophiæ domicilio residens permanet semper invictus, neque tantum cæteris rerum adversarum casibus, sed nec ipsi morti cedit. Ostendunt hoc Martyres, quorum corpora quidem dissoluta sunt, et in pulverem cineremque redacta : magistratus autem ac principatus quotidie vivit, et operatur, dum dæmones abigit, et morbos in fugam convertit, dum integras urbes excitat, et populos in hunc locum deducit. Tanta magistratus et imperii istius est virtus, non vivorum tantum principum, sed etiam vita func-

torum; ut necessitate compulsus nemo, sed sponte ac proprio inducti affectu huc omnes accurrant, nec ulla temporis longinquitate minuatur. Videtis quam non sine causa theatrum istud regum aulis augustius esse dixerim? Nam quæ illic sunt, foliis similia sunt exarescentibus, et umbris prætereuntibus: ea vero quæ hic traduntur, adamantem imitantur, vel potius illo firmiora sunt, utpote quæ immortalia sint, et immota, nec ulli cedant unquam mutationi, et ad suos amatores intrepide accedant, pugnæ ac contentionis expertia, atque ab invidia, judiciis, et insidiis, ac calumniis sint immunia. Siquidem sæcularia multos patiuntur invidos, spiritualia vero, quanto pluribus communicata fuerint, eo majorem suam ubertatem ostendunt. Atque id ex hac ipsa oratione intelligere potestis. Quam enim in omnes orationem effundo, siquidem domi apud me detineam, pauperior fiam: sin autem in omnes effundam, tanquam si in vacuum quoddam arvum semen jactem, facultates meas augeo, divitias meas amplifico, locupletiores reddo vos omnes, nec idcirco tamen pauperior evado, sed opulentior multo: quod in pecuniis non licet, imo plane contrarium evenit. Nam si reconditum aurum habeam, et in omnes illud velim distribuere, non amplius tantas possidere potero divitias, cum hac divisione fuerint imminutæ.

III. Cum igitur spiritualium rerum tanta sit præstantia, tanta facilitas, utpote quæ cunctis volentibus gratis obveniant, has potissimum adamemus, et umbras omittamus, nec præcipitia et scopulos persequamur. Ut enim hunc amorem Deus augeret, etiam ante obitum hominis, a quo possidentur, ista morti obnoxia esse præcepit. Verbi gratia: non cum interierit is, qui hæc possidet, et ista intereunt, sed et ipso adhuc vivente marcescunt et pereunt,

ut eorum caduca conditio summo illorum amore flagrantes, et insana cupiditate ductos, ab illa sæva rabie revocet: eorumque naturam admoneat, et experientia magistra doceat, ea quavis umbra imbecilliora esse, atque hac ratione cupiditatem illam extinguat. Exempli causa, divitiæ non solum cum interit dives, pereunt, sed illo potius vivente discedunt. Juventus possessorem suum non morientem solum, sed spirantem adhuc relinquens evanescit, quæ in ætatis adultæ via finitur, et senectuti locum cedit: pulchritudo simul et forma, vivente adhuc muliere, desinit et in deformitatem transit: gloria, principatus rursus pari ratione: honores, magistratus, diurni sunt et ad breve tempus durant, et amplius quam homines ipsi, qui eos obtinent, mortales sunt: et quemadmodum quotidianos corporum videre licet interitus, ita quoque rerum. Porro id accidit, ut præsentia contemnentes, adhæreamus futuris, et eorum simus expectatione suspensi, ac dum in terris ambulamus, desiderio in cœlo versemur. Etenim duo sæcula condidit Deus, præsens, et futurum; unum visibile, alterum invisibile: unum quod sub sensus cadit, alterum quod est spirituale: unum quod corporali quiete perfruitur, alterum quod incorporea: unum in experientia, alterum in fide: unum in manibus, alterum in spe; et unum esse stadium jussit, alterum bravium: atque huic quidem certamina, labores ac sudores attribuit, illi vero coronas, præmia et retributiones: hoc pelagus, illud portum effecit, et hoc breve quidem, illud vero senectutis expers, et immortale. Quoniam igitur homines multi spiritualibus illis ea quæ sensibilia sunt præferebant, his caducam conditionem ac temporariam attribuit, ut hoc pacto a præsentibus abductos, vehementer amori futurorum addicat. Deinde quoniam invisibilia erant illa et spiritualia, in fide atque in spe posita, vide quid agat: cum

huc advenisset, ac nostram carnem assumpsisset, et mirabilem illam dispensationem perfecisset, futura ponit ob oculos, et hac ratione crassiores mentes securas reddit. Nam quoniam conversationem ac vitæ rationem angelicam afferens veniebat, ac terram in cœlum convertebat, eaque mandabat, quæ similes redderent incorporeis Virtutibus eos qui ea perficerent, homines reddebat Angelos, ad spem cœlestium rerum vocabat, longiora certamina proponebat, altius evolare jubebat, et ad ipsa fastigia cœlorum ascendere, adversus dæmones pugnam inire, contra universas diaboli copias aciem eos instruere, qui corpus habebant, et cum carne copulati erant, mortificare corpora, ac perturbationum tumultum ablegare, et corpore utcumque esse circumdatos, cæterum cum incorporeis Virtutibus certatim contendere.

IV. Hæc ubi præcepit, vide quid agat; quo pacto facile certamen reddat, quinimo, si videtur, prius mandatorum sublimitatem exponamus, et quo pacto in altum nos voluerit evolare, cum ex humana propemodum natura emigrare, atque in cœlum omnes transferri jusserit. Cum enim oculum pro oculo reddi lex præciperet, ipse dixit, « Si quis te percusserit in dexteram maxillam, obverte » illi et alteram[1]. » Non dixit tantum, Fer patienter ac leniter contumeliam, sed ulterius philosophia modestiaque progredere, atque ad majora patienda paratus esto, quam ille facere cupiat: et patientiæ tuæ ubertate petulantiam ejus et insolentiam vince: ut summam tuam reveritus modestiam recedat. Et rursus ait, « Orate pro calumniantibus » vos: orate pro inimicis vestris: benefacite iis, qui oderunt vos[2]. » Consilium de virginitate rursus introducens dixit: « Qui potest capere capiat[3]. » Nam quoniam e pa-

[1] Matth. v, 39. — [2] Ibid. 44. — [3] Id. xix, 12.

radiso illa evolavit, et post transgressionem recessit, de cœlo descendens ipsam rursus reduxit, et tanquam exulem in antiquam patriam suam restituit, et a diuturna relegatione liberavit; primum adveniens nimirum ex virgine natus est, et leges naturæ mutavit, cum ab ipso exordio vitæ suæ illam honore affecerit, et virginem matrem reddiderit. Cum igitur veniens talia præcepisset, et ad tantam sublimitatem conversationem hominum evexisset, præmia quoque laboribus digna proposuit, imo vero majora multo et sublimiora. Verumtamen invisibilia erant hæc quoque atque in spe, fide et expectatione posita futurorum. Itaque cum laboriosa mandata essent ac sublimia, præmia vero et bravia in fide, vide quid faciat, quo pacto levem agonem, quo pacto facilia reddat certamina. Quo tandem pacto? Duabus scilicet viis, una quod eadem ipse exequatur: altera, quod præmia ostendat et sub aspectum proferat. Nam quæ ab illo dicta sunt, quædam mandatum erant, quædam præmia. Mandatum quidem, « Orate pro calumniantibus vos et persequentibus: » præmium autem: « Ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est. » Rursus, « Beati cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum verbum adversum vos mentientes: gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis[1]: » vides unum mandatum esse, alterum præmium? Rursus, « Si vis perfectus esse, vende quæ habes, et da pauperibus: et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlo[2]. » Vides aliud mandatum, et præmium? alterum enim ipsis præcepit, alterum ipsis paravit, quod merces erat ac retributio. Et rursus: « Quicumque reliquerit domos, et fratres et sorores[3]: » hoc mandatum est: « Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit, » hoc præmium est, et corona.

[1] Matth. v, 11 et 44. — [2] Id. xix, 21. — [3] Ibid. 29.

V. Quoniam igitur magna erant præcepta, et præmia non apparebant, vide quid agat : ipse operibus illa ostentat, et in aspectum coronas profert. Ut enim qui minime tritam viam jubetur insistere, si quem viderit per eam prius incedentem, facilius eam aggreditur, et majorem animo concipit alacritatem : ita quoque fit in mandatis : qui vident eos, qui præcesserint, facile sequuntur · ut igitur natura nostra facilius sequatur, carnem et naturam nostram assumens, ita per illam incessit, et operibus mandata expressit. Siquidem illud, « Si quis te percusse» rit in dexteram maxillam, obverte illi et alteram [1]. » ipse præstitit, quando alapam illi pontificis servus impegit. Non enim ipsum ultus est, sed tantam modestiam præ se tulit, ut diceret : « Si male locutus sum, testimonium per» hibe de malo : si autem bene, quid me cædis [2] ? » Vides tremendam lenitatem? vides humilitatem stupendam? Percutiebatur, non a libero quopiam, sed a servo, a verberone, et vernaculo, et tanta cum modestia respondet. Ita quoque Pater ejus dicebat Judæis : « Popule meus, quid » feci tibi, aut quid contristavi te, aut quid molestus fui » tibi? responde mihi [3]. » Quemadmodum ipse dicit, « Testi» monium perhibe de malo, » sic et Pater ejus, « Responde » mihi : et quemadmodum ait ipse, « Quid me cædis? » sic etiam Pater, « Quid constristavi te, aut in quo molestus » fui tibi? » Paupertatem rursus docens, vide quo pacto illam opere exhibeat dicens : « Vulpes foveas habent, et » volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi » caput suum reclinet [4]. » Vides extremam paupertatem? Non mensam habebat, non lucernam, non domum, non sellam, non aliud quidquam ejusmodi. Docebat ut male

[1] Matth. v, 39. — [2] Joan. xviii, 23. — [3] Mich. vi, 3. — [4] Matth. viii, 20.

audientes patienter ferrent, id vero ille opere exhibuit. Quando enim dæmonium habentem, et Samaritanum ipsum appellabant, cum illos rursus necare posset, et contumeliæ pœnam ab illis exigere, nihil tale faciebat, imo etiam bene de illis merebatur, et ex illiis dæmones expellebat. Cumque dixisset, « Orate pro calumniantibus vos, » in crucem cum ascendisset id fecit. Postquam enim eum crucifixerunt, et clavis affixerunt, pendens dicebat: « Di» mitte illis; non enim sciunt, quid faciunt [1]. » Hæc ab eo dicebantur, non quod ipse dimittere minime posset, sed ut nos orare pro inimicis doceret. Nam quia non sermone tantum, sed opere quoque doctrinam præ se ferebat, propterea preces etiam adjunxit. Nullus igitur ex hæreticis ob nimiam ejus humanitatem, infirmitatem hæc verba judicet indicare. Ipse enim est qui dicit: « Ut autem sciatis, » quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi » peccata [2]. » Sed quoniam docere volebat; is autem qui docet non verbis tantum suis, sed etiam factis doctrinam profert in medium, hac de causa preces etiam adjunxit. Nam alioqui Discipulorum etiam pedes lavit, non quod inferior esset: verum cum Deus esset ac Dominus, ad tantam se humilitatem demisit.

VI. Hanc etiam ob causam dicebat: « Discite a me » quia mitis sum, et humilis corde [3]. » Alio modo rursus ipsa bravia præmiaque in medium afferri, ac subjici oculis audi, Pollicitus erat corporum resurrectionem, immortalitatem, occursum in aëra, raptum in nubibus: hæc rebus ipsis ostendit. Quo tandem modo? Mortuus cum esset, resurrexit: quapropter et quadraginta diebus cum ipsis versatus est, ut certiores illos redderet, et qualia corpora nostra post resurrectionem futura sint, ostenderet. Rursus qui per Paulum dixit: « In nubibus rapiemur obviam illi

[1] Luc. XXIII, 34. — [2] Matth. IX, 6. — [3] Id. XI, 27.

» in aëra[1], » hoc etiam opere demonstravit. Siquidem post resurrectionem, cum esset in cœlos ascensurus, præsentibus ipsis « Elevatus est, inquit, et nubes suscepit eum ab » oculis eorum[2] : » et cum intentis oculis essent, dum abiret ille. Sic nimirum et corpus nostrum consubstantiale corpori erit illi, utpote quod ex eadem sit massa : sicut enim caput, ita et corpus ; sicut principium, ita et finis. Atque hoc manifestius indicans Paulus dicebat : « Qui re- » formabit corpus humilitatis nostræ, ut conforme fiat » corpori claritatis suæ[3] : » si igitur conforme sit, eamdem etiam viam conficiet, et in nubibus pariter elevabitur. Hæc tu quoque in resurrectione expecta. Nam quoniam ad illud usque tempus obscurum fuerat audientibus verbum regni cœlorum, propterea cum ascendisset in montem, coram Discipulis suis transfiguratus est[4], eisque futurorum gloriam præmonstravit, et obscure tanquam in ænigmate, quale corpus nostrum futurum esset, ostendit. Verum cum vestibus tum quidem apparuit : at non ita in resurrectione : neque enim vestibus indiget corpus nostrum, neque tecto, neque concameratione, neque alia ulla re simili. Nam si ante transgressionem Adam, cum esset nudus, non erubescebat, gloria circumdatus : multo magis corpora nostra, quæ ad præstantiorem melioremque conditionem transferentur, nullo horum indigebunt. Hac nimirum de causa cum et ipse resurgeret, vestes in sepulcro et loculo manere permisit, nudumque corpus suscitavit, immensæ gloriæ et beatitudinis plenum. Hæc igitur nobis cum explorata sint, dilectissimi, et verbis eruditi, et per oculos edocti, talem conversationem exhibeamus, ut in nubibus rapti, semper cum illo versemur, ejusque gratia salvi facti, futuris bonis perfruamur : quæ nobis omnibus

[1] 1 Thess. IV, 17. — [2] Act. I, 9. — [3] Philip. III, 21. — [4] Matth. XVII.

assequi contingat in Christo Jesu Domino nostro, cum quo Patri, una cum Spiritu sancto gloria, imperium, honor, adoratio, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

LIBER I.

Ad Demetrium monachum, de compunctione.

I. Cum te video, beate Demetri, assidue insistentem mihi, et multa cum vehementia de compunctione sermones exposcentem, beatum te semper prædico, animique tui puritatem demiror. Neque enim fieri potest, quemquam in hujusmodi sermonis venire desiderium, nisi prius sese probe purgaverit, atque omnibus sæcularibus curis superior evaserit. Quod facile deprehendas ex iis, qui pari desiderio tenentur, in quibus tanta repente mutatio efficitur, ut confestim in cœlum transferantur : animam quippe mundanis curis, ceu vinculis gravissimis solutam, ita sinunt ad proprium naturalemque sibi locum advolare. Sed hoc multis quidem per totam vitam raro contingit : te autem, o divinum caput, hoc semper compunctionis igne flagrare novi. Cujus rei testes sunt noctes insomnes, lacrymarum fontes, solitudinis amor in anima tua perpetuo residens et accrescens. Quænam igitur ex sermone nostro tibi accessio speranda? Nam vel hoc ipsum, quod cum ad verticem jam perveneris, putes te cum humi repentibus incedere, animamque tuam alis instructam, lapideam appelles, quodque frequenter dexteram meam contingens ac deosculans cum lacrymis dicas : contere obduratum cor meum, quantæ pietatis, quanti fervoris signum esse putandum est? Certe si ut nos dormientes excitares, ad hoc argumentum pertraxisti, magnam illam tuam sapientiam providentiamque approbo; sin autem ut

[1] Vide D. Guillon, tom. XVII, p. 396-417.

tibi consuleres, ratus te excitante opus habere, nescio quo pacto nos aliunde docueris, te non nostra egere opera. Ut ut vero sit, tibi obtemperabimus et obsequemur nullis non rationibus permoti, tua nempe in Deum fiducia, studioso rogatu, amore nostri. Tu gratiam rependas velim precibus tuis, ut possimus et vitam emendare nostram, et in præsenti dignum quidpiam proferre, quod possit et jacentes animas erigere, et remissas constringere, restituereque. Unde igitur nobis, unde sermonis exordium erit? Quod illi fundamentum, quam crepidinem ponemus, nisi verba Christi, qui miseros prædicat eos, qui rident, beatos autem eos qui lugent, his verbis: « Beati » qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur[1]: et, Væ qui » ridetis nunc, quoniam lugebitis et flebitis[2]; » ac jure merito quidem: luctus enim vere, luctus ac gemituum est totum præsentis vitæ tempus: tanta calamitas universum invasit orbem; tanta omnes homines detinent mala, ut si quis velit ea accurate perpendere, si tamen accurate possit, nunquam finem lugendi et lacrymandi facturus sit: ita nempe omnia eversa et confusa sunt, ita nullum usquam virtutis vestigium. Quod autem longe infelicius est, nos occupantium malorum ne sensum quidem vel habemus, vel aliis præbemus: sed similes sumus corpori extrinsecus florenti, intrinsecus vero igne liquescenti. Omnisque sensus expertes, nihil differimus a mente captis, qui multa periculosa et turpia sine metu dicunt et faciunt, nec ullo pudore tenentur, sed gloriantur, astantibusque se sapientiores esse putant. Ita et nos cum omnia quæ ægrotorum sunt agamus, ne hoc ipsum quidem, quod ægrotemus, scimus. Atenim quod ad corpus spectat, si vel levis infirmitas adsit, medicos advocamus, pecunias impendimus, perseverantiam exhibemus, nec prius finem

[1] Matth. v, 4. — [2] Luc. vi, 25.

omnia agendi facimus, quam ægritudinem deponamus; animæ vero quotidianis vulneribus confossæ, discerptæ corporeis affectionibus, adustæ, per præcipitia actæ, ac modis omnibus pereuntis, ne minimam quidem rationem habemus. Hujus autem rei causa est, quod morbus omnes occuparit. Ac quemadmodum si inter ægros corpore, nemo sanus adsit, nihil impedit quominus omnes in extremam ruant perniciem, nemine effrenes eorum cupidines cohibente: sic et apud nos, quod nemo perfecte sanus in fide sit, sed omnes, alii plus, alii minus infirmentur, nemo est qui jacentibus opituletur. Nam si quis extrinsecus accedens, et Christi præcepta, et vitæ nostræ confusionem probe didicerit, nescio an quospiam alios Christo inimiciores, quam nos esse arbitretur; ita enim hanc viam decurrimus, ac si contrariam ejus mandatis ingredi vellemus.

II. Ne quis autem hæc per hyperbolen dicta esse existimet, demonstrationem jam afferre aggrediar, nec aliunde, quam ex ipsis Christi mandatis. Quid ergo ait Christus? « Audistis quia dictum est antiquis : Non occides. Ego au- » tem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo sine » causa, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, » Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus » erit gehennæ ignis[1]. » Hæc quidem Christus. Nos autem plus, quam ii qui increduli sunt, hanc legem calcamus, dum innumeris quotidie fratres nostros afficimus contumeliis. Quodque magis ridiculum est, dum ab hac voce, « Fatuus, » cavemus, sæpe hac graviores contumelias irrogamus; quasi vero illud solum verbum sit, cui deputata est pœna. At res non ita se habet; sed omni contumelioso hanc indicit pœnam; ut palam est ex his Pauli verbis : « Nolite errare : neque fornicarii, neque idololatræ, neque

[1] Matth. v, 21.

» adulteri, neque molles, neque masculorum concubito-
» res, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque
» maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt[1]. »
Quod si is, qui fatuum vocat fratrem suum, extremo dignus est supplicio; qui maleficum, invidum, temerarium inanis gloriæ cupidum dicit, et similia innumera in eum maledicta conjicit; quantis se gehennæ flammis obnoxium reddit? Illud enim, « Fatue, et Raca » longe levius est supra dictis. Quamobrem illo omisso, hoc apposuit Christus; ut discas ex ejus verbis, si levius convicium gehennam attrahit, multo magis quæ graviora et atrociora sunt id effectura esse. Quod si qui existiment id per hyperbolen dici, nonnullos enim sic affectos novi, qui putant terrendi solum causa hasce minas intentari; restat ut adulteros, masculorum concubitores, molles, idololatras a memorato supplicio eximant. Nam si terrendi solum causa maledicis comminatus est; palam est et de reliquis eamdem esse rationem: cum enim omnes simul posuisset, sic regni amissionem intulit. Quid igitur, inquies, maledicus-ne cum adultero, et molle et avaro et idololatra ponetur? Utrum easdem, quas illi, pœnas daturus sit, alterius est temporis inquirere: quod autem a regno cœlorum similiter excidat, Paulo credo dicenti; imo potius Christo per illum operanti; quod nempe neque hi, neque illi regnum Dei possessuri sint. Neque hac solum in re, sed etiam in aliis multis plurimi ita affecti sunt, ut quæ omnino eventura sunt, hyperbolice dicta putent. Diabolicus autem est hic laqueus. Ut enim futuri supplicii metum solveret iis, qui in charitate Dei compuncti erant, eosque ad obsequendum mandatis remissiores efficeret, hyperboles consolationem induxit, quæ in præsenti quidem segniores animos inescare potest; sed in die judicii redarguetur, quando nihil

[1] 1 Cor. VI, 9.

inde lucri accedere poterit. Quid enim, quæso, utilitatis iis, qui nunc decepti sunt, si tunc fallaciam agnoscant, cum nihil ex pœnitentia poterunt in resurrectione juvari? Ne itaque nosmetipsos decipiamus, neque circumveniamur in perniciem nostram, neque aliud nobis supplicium procuremus, nempe ex incredulitate. Non enim solum mandatis Christi non obtemperare, sed etiam iis non credere, gravissimum inducit supplicium. Illa porro incredulitas paritur ex segnitie in exequendis mandatis. Cum enim obsequentiæ securitatem nobis comparare nolumus, neque ea facere quæ præcepta sunt, ut animum futurorum metu liberemus: conscientiæ onere gravati et præfocati, ingentem parati supplicii metum abjicere studentes, in aliud nos barathrum præcipites agimus, dum tormentis illis fidem abrogamus. At quemadmodum ii, qui ardente febri tenentur, etiamsi in aquas se frigidas conjecerint, præfocationem illam non amittunt, sed novum adjiciunt ignis ardorem; sic et nos conscientiæ stimulis agitati, in hyperboles Euripum nos præcipitare cogimur, ut omnia in posterum sine metu peccata admittamus. Non solum enim præsentibus irascimur fratribus, sed etiam cum absentibus sæpe litigamus: quod sane feritatis excessus est. Et majores quidem potentioresque nobis, etiamsi injuriis nos et contumeliis afficiant cum moderatione magna toleramus eorum metu cohibiti, æquales autem inferioresve, ne læsi quidem, aversamur tamen, tantum hominum metus Christi timori prævalet.

III. Ecqua tandem nobis salutis spes, tantam segnitiem, tantum contemptum exhibentibus? Undenam, dic mihi? Quid grave, quid onerosum a nobis exigit Christus? Ne irascaris, inquit, fratri tuo sine causa: id porro longe facilius est, quam alterum ferre sine causa iratum. Ibi enim jam congregata est ignis materia; hic vero cum nihil

causæ subsit, tu ipse flammam accendis. Neque enim par res est, alio facem admovente id tolerare, neque accendi, ac nullo concitante, quiescere. Siquidem qui illud superare potuit, summæ philosophiæ documentum exhibuit: qui autem hoc præstitit, nihil admiratione dignum egit. Cum ergo quod majus est propter metum hominum perficimus, quod autem minus, propter Dei timorem præstare nolumus, perpende quanto supplicio, quanto cruciatui nos obnoxios constituamus. Fratrem porro non æqualem, non liberum tantum esse putes, sed etiam famulum: « Nam in Christo Jesu neque servus neque liber[1], » secundum Apostolum; ita ut si vel contra famulos sine causa ferociamus, easdem pœnas daturi simus. Nam ille quoque frater est, et vera libertate donatus, cum unum eumdemque habeat Spiritum. Quis itaque vitam omni convicio puram, ira irrationabili aut inani vacuam exhibere potest? Nec mihi quempiam alleges cui hæc raro contigerint, sed qui in ea nunquam inciderit. Donec enim id nobis ostenderis, non ideo sane minas solvere poteris, quod hoc non frequenter acciderit. Etenim qui furatur, vel qui fornicatur, etsi semel in hoc peccatum incidant, non ideo à supplicio liberantur, quod non frequenter id perpetrarint, sed quia vel semel ausi sunt, haud dubie puniuntur. Quod autem postea sequitur, quis non, etsi infidelis sit, fabulam esse reputet, cum videat a nobis cum tanta vehementia violari? Nam cum Deus dicat: « Si » offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, » quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi » munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri » tuo: et tunc veniens offer munus tuum[2]; » nos bella mutuo gerentes, et exulcerati animo, ad altaria accedimus. Ac cum Deus tantam reconciliationis nostræ curam ha-

[1] Galat. III, 28. — [2] Matth. v, 23, 24.

beat, ut patiatur sacrificium suum imperfectum manere, et ministerium interrumpi, donec inimicitia et ira deponatur; nos rem ita flocci facimus, ut capitis nostri damno multis diebus inimicitiam servemus. Neque iracundos tantum plectit Deus, sed etiam eos, qui hujusmodi morbo liberi, offensos fratres negligunt. Quia enim læsorum est irasci, is vero qui injuria afficit, non ita facile hoc morbo capiatur; ideo hunc ad illum adducit, ostendens pœna digniorem esse eum, qui peccati radicem posuit. At nos ne sic quidem emendamur, sed pro levissimis etiam rebus fratres contristamus. Deinde ac si nihil molestiæ intulerimus, ita negligimus, illatam injuriam oblivioni damus, inimicitiamque in longum tempus extractam despicimus, ignorantes tanto majus nos supplicium luituros esse, quanto pluribus diebus mœstitiæ locum dederimus; ad hæc vero difficiliorem postea fore reconciliationem. Quemadmodum enim amicitia obstringente, nihil facile distrahere, nihil adversum credi poterit. Sic inimicitia animos nostros occupante, omnia facilia et obvia sunt iis, qui rixam augere velint, cum bona minime, mala vero solum credantur. Ideo jubet, dono ad altare dimisso, prius reconciliari fratri; ut discamus, si in illo tempore reconciliationem differre non liceat, multo minus licere in aliis. Nos vero symbola quidem rerum tenemus, a veritate autem ipsa excidimus, dum nos ante doni quidem oblationem mutuo amplectimur; sed labiis tantum et ore id agimus. At non id solum vult Dominus, sed animæ etiam osculum, et amplexum cordis proximo dari: hoc enim vere amplecti dicitur; illud vero quasi scena quædam et larva dicenda est, ita ut qui sic osculatur, magis Deum irritet, quam placet. Sinceram enim et radicibus firmam amicitiam requirit a nobis, non hanc, cujus speciem et simulacrum quodam circumferimus, vim autem omnem extinxi-

mus, quod et ipsum indicium est earum, quibus detinemur, iniquitatum. « Nam quoniam abundabit iniquitas, » inquit, refrigescet charitas multorum[1]. » Et hæc agimus homines, quibus vetitum est vel irasci, vel inimicos habere quospiam : aut si forte habeamus, ad unum tantum diem habere permittimur : « Sol, inquit, non occidat super iracundiam vestram[2]. » Neque hic consistimus, sed et insidias alii in alios struimus, et verbis et gestis nostris membra propria mordentes ac devorantes : quod utique apertæ insaniæ est. Etenim insanabiles dæmoniacos et furiosos hoc maxime signo dignoscimus. Quid autem de lege circa adversarium, circa illegitimam concupiscentiam, oculos impudicos, amicitiam irrationabilem et damnosam, dicemus? Oculus enim dexter et manus dextra, non aliud nobis subindicant, quam eos qui damno nostro nos amant. Lex vero de repudiatis uxoribus, a quibusnam non violata et conculcata frequenter fuit?

IV. Nam leges de non jurando erubesco proferre in medium; non solum ob juramenta, sed etiam ob perjuria frequentia. Etenim si jurare, etsi vere, crimen est, et præcepti prævaricatio, perjurium ubi ponemus? Et si id quod « Est » et « Non » excedit, a malo est, quod hoc etiam exuperat, a quo tandem erit? Deinde vero ait : « Si » quis te percusserit in dexteram maxillam, converte illi » et alteram. Et ei qui vult tecum judicio contendere, et » tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium : et quicum- » que te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia » duo. Qui petit a te, da ei : et a volente mutuari a te, ne » avertaris[3]. » Quid ad hæc dici potest? Pro singulis enim hujusmodi dictis restat solum ut fleamus, et pudore suffundamur; ita ex diametro oppositam viam sectantes, judiciis, pugnis, litibus et rixis omne tempus insumentes,

[1] Matth. XXIV, 12. — [2] Ephes. IV, 26. — [3] Matth. V, 37-42.

ne minimam quidem aut rerum aut verborum molestiam toleramus, sed vel pro levissimis ferocimus. Quod si quospiam proferre possis, qui multa pauperibus erogarint, et postea paupertatis causa in contemptum venerint, innumeraque mala perpessi sint, paucos rarissimosque tales numerabis. Attamen nullum, qualem hic describimus, philosophum ostendes. Hæc quippe vita longe magis, quam illa, spiritualis est. Neque enim æquale est sponte largiri, et omnibus spoliatum patienter ferre. Ecquid dico ferre? Nam quod Christus dixit hoc longe præstantius est. Siquidem sermo ejus læsorum animos ab ira contra lædentes usque adeo avertit, ut non modo de raptis conqueri non sinat, sed etiam ea, quæ relicta sunt, sponte offerre jubeat, et majorem ad mala ferenda alacritatem exhibere, quam illi ad inferenda insaniam. Nam cum is, qui lædere vult, eum quem lædit paratiorem ad patiendum invenit, quam ille voluerat; et postquam implevit concupiscentiam suam, eum quem læserat, ex abundanti videt ad alia patienda proniorem, superatus discedit, de tolerantiæ magnitudine erubescens: quamvis fera, quamvis immanius quidpiam fuerit, moderatior tandem evadet, conspecta tum nequitia sua, tum illius virtute per factam utriusque comparationem. Hanc ego nunc quæro vitam, quam in Scripturis tantum propositam video; alibi vero operibus exhibitam nusquam. Nec mihi dicas quempiam læsum patienter tulisse; id enim potuit defectu virium contingere. Sin etiam cum æqualibus, quos ulcisci poterat, id exhibuerit; at non eo usque processit, ut ejus concupiscentiam superaret, et plusquam vellet daret, magnanimitatemque suam, præter rapta additis libenter aliis, ostenderet. Quod autem his longe superius est, ad ipsumque verticem pertingit, eos, qui talia agunt, et sive in pecuniis, sive in corporibus, aliisque omnibus nocu-

mentum importaut, in amicorum, imo amicorum genuinorum numero constituere jussit Christus. Nam dicit, Rapienti, et auferenti ne solum dona alia addas, sed etiam ipsum vehementissimo et sincero amore dilige. Hoc sane, hoc declarare cum vellet, ait : « Orate pro calumniantibus vobis[1], » quod pro solis iis, quos admodum diligimus facere solemus. Ne vero putes hæc verba hyperbolice dicta fuisse, neve diabolicam inducas fallaciam, rationem et causam congruentem affert his verbis : « Si enim dilexeritis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habetis? Nonne publicani idipsum faciunt? Et si amplexi fueritis eos, qui vos amplectuntur, quid amplius facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt[2]? » Cum igitur a publicanis, atque ethnicis nihil hac in re differamus, quomodo a luctu et a lacrymis temperemus? Sed utinam hoc duntaxat malum adesset : nunc enim tantum abest ut inimicos diligamus, ut etiam eos qui nos diligunt aversemur et odio habeamus. Invidere namque illis, verbis atque gestis nostris gloriam et famam illis auferre, odientium et aversantium est. Ita non solum ab ethnicis nihil differimus, sed ea in re longe pejore quam illi affectu sumus. Ac Christus quidem pro calumniantibus orare jussit; nos autem dolos concinnamus, et maledicentibus benedicere jussi, eosdem innumeris maledictis oneramus. Quid hac contraria agendi ratione vehementius? quid gravius hac pugna, qua contra legislatorem decertamus, omnibus ejus præceptis adversi stantes? Nam vanæ gloriæ tyrannidem, quam ipse sequentibus verbis destruit, nos auximus, dum eam non in preces modo, jejunia et eleemosynas, sed in alia quoque omnia induximus, eique plusquam servi quilibet nos subjicimus : quam rem, quod manifesta omnibus sit, prætereo, hoc adjecto; nempe ex hominibus, alios postquam

[1] Luc. VI, 28. — [2] Ibid. 32-34.

extremo contemptui se dediderunt, nulla præcepta curare; alios vero tantisper obsequi volentes, et aliqua servare præcepta studentes, in idem, atque illi, detrimentum ruere, quod nolint vanæ gloriæ vincula deponere. Et alius quidem nullatenus eleemosynam erogat; qui autem egenis suorum quædam largitur, sed vana permotus gloria, non meliore conditione est, quam is, qui nihil dedit. Sic omnes undique in laqueos suos injecit malignus. Quod si quis hoc detrimentum vitare possit, amentia iterum correptus, in eamdem ruinam incidet; imo in longe graviorem: non solum enim, ut ante, cum detrimento recedit, sed novo etiam affectus malo. Multos ego novi, qui non his solum causis ducuntur, sed amore etiam vel reverentia, aliisve similibus, egenis opem procurantes, non autem ex Dei timore aut præcepto. Cum itaque tot hujusmodi sint quæ opera bona labefactent, quis ex iis, qui in hæc mala incidunt, facile poterit salutem consequi?

V. Illud autem: « Dimitte nobis debita nostra, sicut » et nos dimittimus debitoribus nostris[1]: » hoc, inquam, quis cum fiducia dicat? Etiamsi enim non lædamus inimicos, vulnus tamen insanabile servamus. Christus vero non ut ita solum dimittamus optat, sed ut eos inter primos amicos numeremus. Ideo itaque, ut prius dixi, pro iis orare jussit. Si porro nihil quidem lædas, sed averseris, nec placide respicias, vulnusque in animo conserves, nondum præceptum executus es, quod Christus dedit. Cur ergo Deum iis, qui in te peccaverint, propitium esse rogas, cum nondum tu ipsis propitius sis? Illud autem irridens quidam sapientum ait: « Homo homini conservat » iram, et a Domino quærit medelam[2]? » Misericordiam non habet erga hominem sibi æqualem, et pro peccato suo precatur: caro cum ipse sit, servat iram: et quis propi-

[1] Matth. VI, 12. — [2] Eccli. XXVIII, 3.

tiabitur peccatis ejus? Vellem jam silere et sermonis cursum sistere, ita pudore afficior, vereorque ulterius progredi; hoc enim bellum, quod movimus contra præcepta Christi, inimicitiamque irreconciliabilem, clarius hoc sermone demonstratur. Sed quid lucri ex silentio nostro, rebus ipsis pugnam illam clamantibus, et illo, qui nos judicaturus est, omnia perspicue cognoscente vel ante rerum eventum? Præceptum illud non thesaurizandi in terra, sed in cœlo, etiamsi paucos, nonnullos tamen reperias, qui accurate custodierint. Nam cæteri omnes, ac si contrarium prorsus audissent, jussique essent in terra thesaurizare, dimisso cœlo, terrenis omnibus prorsus adhærent, et insano pecunias colligendi studio tenentur, Deumque odio habentes mammonam diligunt. Illud autem, « Ne solliciti sitis de crastino[1], » neminem vel audisse vel amplexum esse novi, ob fidei nostræ tenuitatem. Quapropter hoc præceptum præ pudore prætcribo. Oportebat Christo eam sententiam simpliciter ferenti fidem habere; nunc autem licet invicta ratiocinia et exempla afferat, avium videlicet et fœni, ipsi tamen non credimus. Sed quemadmodum ipsi gentiles, imo fortasse timidius, quam illi; etsi pro illis precari non jubeamur, omnem in his ipsis rebus sollicitudinem impendimus. Hoc igitur, ut dixi, præceptum cum rubore præteribo, et ad sequentia pergam, si forte pro hujusmodi pudore aliquam vel tenuem, consolationem reperiam. Quid ergo dicit postea? « Nolite judicare, ut non judicemini[2]. » Putabam ego hic me aliquam pudoris consolationem reperturum esse; sed video ejusdem pudoris accessionem non minimam. Etenim tiamsi nihil aliud mali fecissemus, vel hoc unum posset nos in extremam gehennam abducere; ita scilicet alienorum delictorum acerbi judices sedemus, dum trabes nos-

[1] Matth. VI, 34. — [2] Id. VII, 1.

tras despicimus : atque in alienis curiose inquirendis et damnandis tota vita consumitur nostra. Ac neminem facile invenias, sive sæcularem virum, sive monachum aut clericum, ab hac culpa liberum : etiamsi tanta comminatio adjaceat; « In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, » inquit, et, « In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis[1]. » Attamen cum hoc peccatum tantam annexam pœnam, nullamque voluptatem habeat, omnes in hoc malum præcipites currimus, ac si id studeamus, in hoc contendamus, ut non per unam solum, sed per multas quoque vias in gehennæ caminum ingrediamur. Neque solum in ea quæ laboriosa esse videntur, sed etiam in leviora illis similiter incidimus, et hæc et illa pariter transgredientes : ac per levia ostendimus, nos difficiliora ob contemptum, non ob gravitatem præceptorum, non perficere. Nam, dic mihi, quid laboris inest in non curiose perquirendis alienis negotiis, et in non damnandis proximorum delictis? Contra vero, laboratur sane in curiosa tali perquisitione et in judicio de aliis ferendo. Quis igitur hæc audiens, nobis unquam credat, quod scilicet ex segnitie, non autem de industria et defectu voluntatis ad prævaricandum accedámus? Cum enim quæ præcipiuntur, levia et facilia sunt volentibus; quæ autem vetantur, gravia et laboris plena, nosque tamen dimisso præcepto, quæ vetita sunt facimus : annon contendendi cum Deo causa, nos hæc peccata admittere dicent inimici? Atenim quod nihil laboris præceptis Christi insit, ipse pronuntiavit his verbis : « Tollite jugum meum super vos, » jugum enim meum suave est et onus meum leve[2]. » Sed nos incredibili segnitie id facimus ut quæ levia sunt, multis gravia appareant. Sane ei, qui semper otiari et dormire velit, vel ipse cibus et potus prorsus onerosus esse videtur;

[1] Matth. VII, 2. — [2] Id. XI, 29.

qui vero vigilant et excubant, ne mirabilia quidem et ardua refugiunt : sed cum majori fiducia hæc aggredi audent, quam levia segnes et somnolenti. Nihil enim, nihil utique ita facile est, quin admodum grave et onerosum ingens nostra segnities ostendat : quemadmodum nihil ita durum aut difficile, quod non sollicitudo et alacritas admodum facile reddat. Quidnam, dic mihi, molestius erat, quam quotidie periclitari, imo capitis periculum subire? Attamen id leve vocavit beatus Paulus his verbis : « Id » enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribu» lationis, supra modum in sublimitate æternum gloriæ » pondus operatur in nobis[1]. » Nam etsi res natura gravis sit, spe tamen futurorum levis efficitur : quam ille causam posuit dicens : « Non contemplantibus nobis quæ videntur, » sed quæ non videntur. »

VIII. Videamus quæ sequuntur. « Nolite, inquit, dare » sancta canibus, neque mittatis margaritas vestras ante » porcos[2]. » Certe Christus hanc præcepti more legem dedit : nos autem præ inani gloria et absurda ambitione, hoc item præceptum pessum dedimus : dum corruptores, incredulos, hominesque sexcentis vitiis onustos, temere et sine examine ad mysteriorum participationem admittimus, et antequam accuratam mentis sententiæque suæ probationem dederint, omnia illis dogmata revelamus ; ac licet vestibula nondum videre potuerint, confestim eos in adyta ducimus. Quæ causa fuit ut quidam ex non initiatis cito resilientes, innumera mala perpetrarint. Ac non in aliis tantum, sed in nobis ipsis horribilissimum hoc præceptum despicimus, quando immortalibus mysteriis participaturi, impuritate et impudentia pleni id agimus. Nec illa solum præcepta, sed etiam ea quæ sequuntur ab omnibus violari videas. Cum enim Christus dixerit : « Quæ-

[1] 2 Cor. IV, 17. — [2] Matth. VII, 6.

» cumque vultis ut faciant vobis homines, ita et vos facite » illis[1]; » nos omnia facimus ea, quæ pati nolumus: ac jussi per angustam portam intrare, latam ubique perquirimus. Quod porro sæculares quidam hanc amplectantur et ament, non usque adeo mirum est; quod autem viri qui sese crucifixisse videntur, eam plusquam illi sectentur, hoc sane stuporem ingentem affert; imo potius ænigmati similis res videtur. Monachos enim propemodum omnes, si ad quoddam ministerium venire rogaveris, hæc statim et imprimis loquentes audias; sciscitantur nempe, num ibi quietem invenire possint: et num requiem procurare possit is, qui accersit: ac ultro citroque quietis nomen jactitant. Quid ais, mi homo? In arcta via incedere jussus, de quiete interrogas? Et per angustam portam intrare jussus, latam quæris? Quid hac perversitate deterius? Ne vero putes me hæc dicentem alios condemnare, rem me spectantem narrabo. Cum nuper ego decrevissem, relicta urbe, ad tabernacula monachorum accedere sollicite quærebam et sciscitabar, undenam necessariorum commeatus affuturus esset, et num fieri posset ut panis recens ac diurnus comederetur: an quis me coacturus esset eodem uti oleo pro lucerna et pro cibo; an quis me impulsurus ad miseram leguminum escam, an assignaturus opus durum, ut est, fodere, ligna deferre, aquam comportare, et cætera omnia hujusmodi ministeria: et ut summatim dicam, multa de quiete corpoporis percontabar. At ii qui vel principum ministeria, vel publicorum negotiorum administrationem suscipiunt, nihil horum sciscitantur; sed solum si res lucro futura sit, lucro, inquam, temporali: quod si hoc sperare valeant, non labores, non pericula, non ignominiam, non servilia ministeria, non peregrinationes longas, non diuturnam in

[1] Matth. VII, 12.

alia regione commorationem, non contumelias, non cruciatus, non temporum mutationem, non periculum a sperato fine aberrandi, non præmaturam mortem, non separationem a domesticis, non uxoris et liberorum solitudinem, non aliam quempiam difficultatem cogitant; sed pecuniarum cupidine, ceu amentes effecti, omnia subeunt mala, quæ ad hanc conducere possint. Nos autem quibus non pecuniæ, neque terra, sed cœlum proponitur et cœlestia bona, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, de quiete scistamur; usque adeo sumus illis miserabiliores et molliores. Quid ais, mi homo? In cœlum-ne mittendus, ibi regnum accepturus, percontaris an quid sit arduum in via et peregrinatione hujusmodi, et non te pudet, non erubescis, nec te sub terram defodis? Etiamsi omnia, quæ hominibus contingere possunt mala occurrant, sive convicia, sive contumeliæ, sive ignominiæ et sycophantiæ; seu gladius, ignis, ferrum, feræ, demersiones; sive fames, morbus, et omnia quæ ab initio in hac vita contingunt acerbiora, annon, quæso, hæc irridebis, et despicies? An de illis vel minimum cogitabis? Ecquid hujusmodi animo stolidius, quid vilius, quid miserius? Cœlestium desiderio captum non dico tantum quietem quærere non debere, sed ne ejus quidem præsentis affectu moveri. Quomodo absurdum non fuerit eos, qui ineptis amoribus tenentur, amatis ita se totos dedere, ut præter eos eorumque consortium, nihil eorum quæ in hac vita sunt, sunt autem bene multa, dulce existiment; nos autem, qui non inepto quodam, sed omnium supremo amore tenemur, non solum præsentem quietem non despicere; sed etiam absentem requirere?

VII. Nullus hactenus, charissime, ita cœlestium desiderio correptus est, ut corripi par erat: alioquin quæ gravia videntur esse, umbram et risu digna esse putasset. Sane

qui præsentia suspicit, nunquam futurorum contemplatione dignabitur: qui autem illa despicit, et omnia nihilo meliora esse, quam umbras et somnia existimat, cito magna illa et spiritualia assequetur. Iis enim quibus bonum istud vere obtigerit, tantam vim exhibebit, quantam ignis in spinis: etsi innumeris hominem invenerit præfocatum malis, multis peccatorum funiculis obstrictum, cupiditatum flamma incensum, magno sæcularium negotiorum tumultu obsessum, omnia illa seu quodam flagello statim expulsa ab anima procul abigit. Ac quemadmodum contra venti violenti impetum, pulvis exiguus nunquam steterit; sic absurdarum concupiscentiarum multitudo compunctionis ingruentem vim ferre non poterit, sed de medio tolletur ac dispergetur citius, quam pulvis et fumus. Quod si corporum amor usque adeo animam in servitutem redigit, ut ab omnibus eam avellat, et solius amicæ tyrannidi obstringat, quid non faciat Christi amor, et illius amittendi metus? Quemadmodum enim difficile est, imo fieri nequit ut aquæ misceatur ignis, ita nec voluptatem et compunctionem simul cogere possumus. Nam hæc contraria sunt, seque mutuo destruunt, Etenim hæc quidem lacrymarum et temperantiæ mater est; illa vero risus et insaniæ: hæc levem et alis instructam animam reddit, illa plumbo graviorem constituit. Et hoc non ego verbis meis, sed ejus qui præclara hujusmodi cupiditate tenebatur, demonstrare tentabo. Quis ille est? Ipse amore Christi incensus Paulus; qui ejus desiderio usque adeo vulneratus erat, ut de mora et de peregrinationis hujus diuturnitate ingemisceret. Nam, « Qui sumus, inquit, in » tabernaculo hoc, ingemiscimus[1]. » Desiderabat tamen et volebat adhuc hic manere propter Christum: « Perma- » nere, inquit, me in carne necessarium propter vos[2]; » id est,

[1] 2 Cor. v, 4. — [2] Philip. I, 24.

ut fides in Christum augeretur. Ideo famem, et sitim, et nuditatem, et vincula, et mortes, et transmarina itinera, et naufragia, et alia omnia, quæ recensuit, sustinebat : ac non solum hæc non moleste ferebat, sed etiam gaudebat. Causa autem horum erat amor Christi; quare dicebat, « In »his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos[1]. » Nec ideo mireris. Nam si amor hominum mortem sæpe audacter adire fecit, quid non faciat amor Christi? Quam difficultatem non levem faciet? Sic omnia illi tolerabilia erant, quod ad dilectum solummodo respiceret, et quod propter illum omnia pati, omni voluptate et deliciis majus existimaret, quod sane verum est. Non enim arbitrabatur se in terra esse, vel in præsenti vita degere, vel cum hominibus conversari. Sed ac si jam cœlestem sortem obtineret, ac cum Angelis degeret, regnum acciperet et facie ad faciem illo frueretur, sic et dulcia et tristia, quæ in hoc mundo sunt, contemnebat, nullamque requiei illius, quam assidue inquirimus, rationem habebat; sed clamabat dicens : « Usque in hanc horam esurimus, et sitimus, et »nudi sumus et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et »laboramus operantes manibus nostris : maledicimur et »benedtcimus, persecutionem patimur et sustinemus, »blasphemamur et obsecramus, tanquam purgamenta »mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc[2]. » Cum enim semel oculos animæ in cœlum convertisset, et cœlestium pulchritudine captus esset, in terram reverti non sustinebat; sed velut pauper quidam et inops, in obscura et vili domuncula semper inclusus, si regem videat auro multo, et lapillorum splendore fulgentem, nunquam volet postea de paupercula domo sua cogitare; sed nihil non aget ut in illam domum se transferat, si fieri possit; sic Beatus ille cum cœlestia intuitus esset, hujus vitæ pau-

[1] Rom. VIII, 37. — [2] 1 Cor. IV, 11-13.

pertatem despiciebat : et cum hominibus quidem pro necessitate corporis versabatur, ad nullam vero rerum sæcularium se convertebat; sed se totum in illam civitatem transferebat. Ecquid loquar de præsentis vitæ ærumnis? Tanto quippe Christi amore flagrabat, ut si propositum sibi fuisset immortales illos cruciatus pro Christo subire, ne hoc quidem recusasset. Non enim quemadmodum nos mercenarii, qui gehennam formidamus et regnum concupiscimus, sic ille Christo serviebat; sed alio longe præstantiore beatioreque amore captus, omnia patiebatur et agebat, nulla alia de causa, quam ut amori erga Christum suo satisfaceret, qui amor adeo mentem ejus vicerat, ut quod illi charius erat, nempe esse cum Christo, pro quo et gehennam et regnum cœlorum despiciebat; hoc ipsum, inquam, libenter desereret : ac propter Christum, inenarrabilem illum lapsum, quasi rem optabilissimam vellet amplecti, et magna cum alacritate suscipere.

VIII. At fortasse nunc obscurum multis videtur esse quod dictum est. Cum autem id clarius enarravero, tunc incredibile videbitur iis ipsis, quibus antea obscurum erat. Nihilque mirum: nam Beatus ille cum sibi fidem circa hæc non habendam esse expectaret, hæc præmisit : « Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto[1]. Attamen his adjectis, advocatisque talibus conscientiæ suæ testibus, etiam nunc non creditur. Quid igitur vult dicere? Audi. Postquam de hujus mundi ærumnis disseruit ac dixit: « Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius[2]? » et omnibus quæ in terra sunt recensitis, in cœlum ascendit : utque ostendat, non magnum quidqiam esse hujus vitæ cruciatus propter Christum des-

[1] Rom. IX, 1. — [2] Id. VIII, 35.

picere, sic infert: « Neque Angeli, neque Principatus, ne- » que Virtutes, neque instantia, neque futura, neque alti- » tudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos » separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino » nostro[1]. » Quod autem dicit tale est. Non solum homines me non poterunt ab hoc amore abstrahere; sed neque Angeli, neque si omnes cœlestes Virtutes in hoc conspirarent, id efficere possent. Quid dico? Neque si e regno excidere, neque si in gehennam incidere propter Christum oporteret, id mihi formidabile esset. Nam altitudo et profundum, vita et mors, nihil aliud, quam hoc declarant. Id vero dicebat, non quod Angeli tentaturi essent ipsum a Christo separare; sed ea quæ nunquam contingere possunt, verbo tenus proponit, ut magnitudinem amoris sui declarare, omnibusque palam facere possit. Talis namque amantium mos est: non possunt silentio amorem suum tegere, sed familiaribus omnibus flammam efferunt, ut assiduitate narrandi, animum desiderio ingenti flagrantem mitigent ac recreent. Quod ipsum tunc fecit Beatus ille, omniaque sermone complexus, præsentia, futura, præterita, quæ nunquam contingere poterant, visibilia et invisibilia, omnem cruciatum, omnem quietem; quasi hæc non sibi sufficerent ad affectum suum declarandum; postquam tot alia non existentia supposuit et extulit; nam illud, « Creatura alia, » de non existentibus dicitur; sic intulit ostendens nihil supra dictorum posse nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Et ille quidem amorem suum in tantam sublimitatem extulit: nos autem qui jussi sumus ejus imitatores esse, ne vitæ quidem hujus ærumnas facile ferimus; sed non minus, quam febricitantes, mœremus, et indignamur. Nam longus hic morbus, qui animas nostras occupavit, diuturnitate

[1] Rom. VIII, 38, 39.

insanabilis evasit, ut ita dicam, ac perfectam valetudinem ne cogitare quidem possumus. Imo etiam nobis ea non ultra recuperari posse videtur. Si vero quempiam audiamus Apostolos in medium proferentem, et eorum præclara opera narrantem; cum statim lugere deberemus, quod usque adeo illis inferiores simus, ne peccatum quidem eam rem esse putamus: sed quasi non possit culmen illud attingi, ita remisse degimus. Si quis causam petat, statim ineptam hanc excusationem proferimus: Ille Paulus erat; ille Petrus; ille Joannes. Quid sibi vult illud: Ille Paulus erat, ille Petrus erat? Annon, dic mihi, ejusdem naturæ consortes erant? Annon eadem via in hanc vitam prodierant? Annon iisdem cibis nutriti fuerant? Annon eumdem respiraverant aërem? Nonne iisdem rebus utebantur? Nonne quidam ipsorum uxores duxerant, et liberos susceperant; alii vero artes sæculares exercebant, alii demum in ipsum nequitiæ barathrum delapsi fuerant? At magna, inquies, fruebantur Dei gratia. Sed si quidem juberemur mortuos suscitare, cæcorum oculos aperire, leprosos mundare, claudos erigere, dæmonas ejicere, aliosque similes morbos sanare, opportune posset hæc excusatio proferri: sin accurata vitæ ratio proponatur et obsequentiæ exhibitio, quæ consonantia inter hoc et illud? Tu enim in baptismo divina potitus es gratia, ac spiritus particeps fuisti, etiamsi non ut signa ederes, sed quantum satis erat ad rectum et accuratum vitæ institutum; ita ut pernicies ex sola segnitie nostra procedat. Sane Christus in die illa non signa edentibus simpliciter munera dat; sed iis qui mandata sua sunt executi: nam, « Venite, in» quit, benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis » regnum a constitutione mundi, » non quia miracula edidistis; « sed quia esurivi et dedistis mihi manducare; sitivi, » et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me;

» nudus, et operuistis me; infirmus fui, et visitastis me; in » carcere eram, et venistis ad me[1]. » Et in beatitudinibus nusquam signa operantes ponit, sed qui vitam probe ducunt.

IX. Itaque licet illa gratia nunc contracta sit, id nihil nobis nocebit: neque inde nos excusare poterimus, quando facinorum nostrorum rationem dabimus. Siquidem beatos illos non ob signa miramur: nam illa ad divinam prorsus potentiam pertinent; sed quod vitam angelicam exhibuerint; hoc autem cum superno nutu, etiam illorum propositi opus est. Et hoc non ego dico, sed is ipse Christi imitator: quando enim discipulis scribens contra pseudoapostolos contendebat, ut discrimen inter probatum et improbum ministerium declararet, non a signis sed ab operibus id faciebat his verbis: « Ministri Christi sunt, ut » minus sapiens dico, plus ego: in laboribus plurimis, in » carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mor» tibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas, una » minus, accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus » sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo ma» ris fui: in itineribus frequenter, periculis fluminum, peri» culis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, » periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in » mari, periculis in falsis fratribus: in labore et ærumna, » in vigiliis frequenter, in fame et siti, in jejuniis frequen» ter, in frigore et nuditate: præter illa quæ extrinsecus » sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ec» clesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis » scandalizatur, et ego non uror[2]? » Ideo ego Apostolos admiror Ita ut qui sine operibus per dispensationem quamdam signa exhibere concessi sunt, non modo non admirabiles, sed etiam reprobi fuerint, ut declarat Chris-

[1] Matth. xxv, 34-36. — [2] 2 Cor. xi, 23-29.

tus his verbis : « Multi dicent mihi in die illa : Domine, » Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in no- » mine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes » multas fecimus? Et dicam illis : Recedite a me omnes » qui operamini iniquitatem ; nunquam novi vos[1]. » Idcirco Discipulos sic monebat : « Nolite gaudere quia dæmonia » vobis subjiciuntur ; sed quia nomina vestra scripta sunt » in cœlis[2] : » vita enim proba, etiam illis destituta, coronas accipiet, nec quidpiam minus habebit quod illis careat : vita autem iniqua ne cum signis quidem supplicium effugere poterit. Itaque supervacanea est illa loquendi ratio ; nec tantum supervacanea, sed etiam periculosa, quæ multis hæreticorum ansas præbere possit. Nam si illi non ex proposito suo sic mirabiles evasissent, sed per Christi gratiam tantum, quid impediat quominus omnes tales efficiantur? Gratia namque nisi operam nostram prius requireret, confertim in omnium animas effusa esset neque enim personarum acceptor est Deus. Sed quia operam nostram requirit, ideo alios quidem sequitur et cum illis permanet ; ab aliis evolat, reliquos autem ne a principio quidem attingit. Quod vero propositum prius scrutatus, sic gratiam dederit Deus, antequam beatus ille quidpiam mirabile exhibuisset, audi quid de illo dicat : « Vas electionis est mihi, ut portet nomen meum coram » gentibus et regibus, et omni genere Israël[3]. » Hæc gratia nondum præsente testificatus est is, qui corda nostra scrutatur. Ne itaque nosmetipsos decipiamus, dilecti, dicentes non posse quempiam Pauli similem esse. Etenim quantum ad gratiam quidem et signa non alter Paulus postea erit ; sed quantum ad vitæ diligentiam, quisquis voluerit hujusmodi esse poterit : quod si tales nusquam existant, ex eo quod nolint tantum contingit. At nescio quo-

[1] Matth. VII, 22, 23. — [2] Luc. X, 20. — [3] Act. IX, 15.

modo in hanc absurditatem delapsus sim, ut Pauli similes nunc requiram; cum nec tertio nec quarto post illum gradu positos videre queam. Ideo nempe lugendum, lamentandum et plangendum est non una vel altera die; sed per totam vitam. Nam si quis hocce modo affectum præstiterit, non facile deinceps peccabit. Quod si his non credas dictis, lugentes considera eos, qui luctu sæculari cruciantur: non ex multitudinis numero, neque eorum, qui laboriosam vitam ducunt; sed ex numero delicatorum illorum, qui nihil aliud norunt, quam delicias. Hi enim, hi, qui ebrietati et ventri student, qui prandia usque ad vesperam producunt, et cœnas ad mediam usque noctem, qui aliena rapiunt, qui neque pauperi, neque viduæ, neque inopi parcunt, qui magnam exhibent crudelitatem; si quando luctu gravi corripiantur, qui possit animam funditus movere et perturbare; tunc missis illis voluptuosis iniquisve cogitationibus, in philosophorum vitam se transferunt, severitatem, vigilias, humi cubationem, tolerantiam, jejunium, silentium, modestiam, humilitatem, humanitatemque plurimam exercent: ac licet aliena rapere soleant, sua tunc placide largiuntur: etiamsi quis eorum bonis et domui toti ignem subjicere velit, non commoventur. Multos ego novi post charissimorum amissionem, relicta urbe ejusque commodis, in agro sedes posuisse; aliosque prope defunctorum sepulcra structis ædibus, ibi vitam clausisse. Verum de his alias. Porro donec luctus perseveraverit, nulla ipsis est præsentium ratio. Verum insanam illam sollicitudinem, quam de servandis et colligendis pecuniis, de acquirenda potentia et gloria apud multitudinem, ceu quoddam fœnum aut fœni florem mœroris igne comburentes, ab animo suo repudiant, in tantamque tunc philosophiam mens eorum se transfert, ut de vitæ voluptatibus ne verba quidem facere quempiam

patiantur, sed omnia, quæ in deliciis antea erant, odiosa tunc et acerba videantur : nemoque tunc sive domesticorum, sive amicorum de rebus hujus mundi, vel admodum urgentibus, vocem emittere audeat; sed omnia repudiantur, et philosophicis sermonibus cedunt; animaque tunc, magistro luctu, ceu in sacro quodam loco docetur humanæ naturæ vilitatem, præsentis sæculi brevitatem, sæcularium rerum corruptibilitatem et instabilitatem, scenæ rerum quæ geruntur histrionicam. Tunc magnus pecuniarum contemptus, ira tollitur, ambitio despicitur : nec livor occupare, nec arrogantia ultra modum extollere potest eum, qui luctu atteritur : non concupiscentia lascivum incendit. Sed illis omnibus fugatis, una solum cogitatio obtinet, quæ defuncti imaginem indesinenter offert. Hoc cibus, potus, somnus, voluptas, requies, consolatio multa : hoc gloria, divitiæ, potentia, voluptas.

X. Sic nos oporteret amissam lugere salutem, ne quid amplius dicam. Desiderio illo tanto et alacritate opus esset omnes oculum mentis illuc dirigere, ejusque memoriam et formam omnium loco nobis esse. Nunc autem qui filios et uxores amiserunt, nihil aliud in mente versant, quam ut ablatorum imagines sibi confingant. Nos autem, qui regnum cœlorum perdidimus, omnia potius, quam illud cogitamus. Ac illorum quidem nemo etsi regio sit genere, de luctu solito erubescet : sed humi sedebit, acerbe lugebit, vestem mutabit, aliaque omnia, quæ hujusmodi cruciatum comitantur, magna cum alacritate feret : non cogitabit de educatione, de corporis habitu, non de morbis qui ab ejusmodi ærumnis accidere possunt; sed omnia admodum facile feret. Et hæc non modo viri, sed etiam mulieres, etsi valde infirmæ, exhibent, hisque etiam majora. Nos autem qui non filios, non uxores, sed animæ perniciem lugemus, animæ, inquam, non alienæ,

sed nostræ, corporis imbecillitatem fingimus, victusque mollitiem : atque utinam hic stet malum : at ne illa quidem facimus, in quibus corporis opere non egemus. Quid enim, dic mihi, corporis viribus opus est, quando cor conterere debemus, cum vigiles precari oportet, cum peccata recogitare, arrogantiam et tumorem deponere, mentem deprimere. Hæc quippe sunt, quæ Deum nobis placant, nec multo egent labore. Neque tamen hæc facimus. Neque enim hic solus est lugendi modus, si sacco accingamur, in domuncula nos claudamus, vel in tenebris sedeamus; sed si assidue memoriam delictorum circumferamus, conscientiam examinemus, viæ longitudinem frequenter metiamur, quantum scilicet a regno cœlorum distemus. Et quomodo, inquies, hoc fieri poterit? Qua ratione? Si gehennam semper præ oculis habeamus, nec non Angelos ubique locorum tunc discurrentes, atque ex universo orbe congregantes eos qui in gehennam abducendi sunt : si cogitemus etiam quantum malum, gehenna seposita, excludi a regno cœlorum. Etenim etiamsi nulla esset ignis illius comminatio, etiamsi immortalia supplicia non nos manerent; illud solum quod abalienandi essemus a Christo, mansueto illo, et hominum amatore, qui se ipsum pro nobis ad mortem tradidit, et omnia passus est, ut nos ab illo supplicio liberaret, et patri suo reconciliaret, qui per delicta nostra ipsius inimici eramus, etiamsi a bonis illis propositis, ineffabilibus et immortalibus, excidere non deberemus; illud, inquam, solum omni supplicio majus est, sufficitque ad excitandas, et ad semper vigilandum inducendas animas nostras. Nam si vel cum legimus exemplum quinque virginum, quas olei penuria extra sponsi cubiculum exclusit, de illarum infortunio perinde atque illæ dolemus atque turbamur; si cogitemus nos ipsos ob segnitiem nostram idipsum passuros esse, quis

ita lapideus erit ut, anima semper hoc exemplo concitata, in negligentiam cadat? Poteramus quidem sermonem longius producere; sed quia obedientiæ gratia solum, et non alia de causa hæc a nobis dicta sunt, plus quam satis erunt. Nam probe novi te compunctionis virtutem perfecte tenere, et aliis eam posse vel silentem tradere, si vellent tantum ad breve tempus cum pietate tua vivere, vitamque illam crucifixam videre. Ita ut si velint ii, qui nunc vivunt, compunctionem ediscere, ad habitaculum tuum se conferant; qui vero post futuri sunt, gesta tua audiant, oporteat. Magnam enim ad id opem allaturam esse puto vel vitæ tuæ narrationem. Quamobrem obsecro vices mihi rependas, precesque tuas in mercedem tribuas; ita ut non modo de compunctione loquar, sed et rem ipsam operibus exhibeam. Quandoquidem doctrina sine opere, non modo nihil lucri, sed etiam detrimentum magnum et condemnationem affert ei, qui cum tanta socordia vitam ordinat suam. « Non enim, inquit, omnis qui dicit mihi, » Domine, Domine, sed qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum[1]. »

LIBER II.

Ad Stelechium, de compunctione.

I. Et quomodo fieri possit, sancte Dei homo Stelechi, quod imperas, ut ab anima ita infirma et frigida de compunctione sermones edantur? Puto enim opus esse eum, qui in hac materia aliquid boni dicturus est, præ omnibus aliis hoc studio fervere, et incendi; ita ut verba quæ pro-

[1] Matth. v, 19.

ferunt candenti ferro vehementius in auditorum animos incidere valeant. Nobis autem ignis hujusmodi non adest, sed omnia interiora nostra sunt cinis et pulvis. Undenam, dic mihi, unde flammam accendamus illam, cum neque scintilla adsit, neque ligna subjaceant, neque spiritus ad illam perflandam adveniat, ob caliginem nempe illam ingentem, quam vis peccatorum animæ nostræ obtendit? Ego quidem non novi, sed tuum est dicere, qui imperas, quo pacto jussum tuum in opus procedat, et congruentem finem assequatur. Nos certe linguæ præbebimus ministerium; tu vero precare eum, qui sanat contritos corde, qui dat pusillanimis longanimitatem, qui suscitat de terra pauperem ut hunc in nobis incendat ignem, qui humanam omnem infirmitatem solet absumere, ac somnum, segnitiem, gravitatemque carnalem præscindere, animæque alas ad cœlum sublimes erigere. Ab illa autem apside, ceu ex quodam excelso vertice, omnem ostendit præsentis vitæ vanitatem ementitamque speciem. Qui enim neque illuc avolare, neque in illa specula sedere potuit, is neque terram, neque terrena negotia, ut videre par est, videre potest. Quia enim multa sunt, quæ visui tenebras offundunt, multa quæ auditum turbant, multa quæ linguam præpediunt, oportet eum, ab omni tumultu atque fumo subductum, ad illam solitudinem secedere, ubi magna tranquillitas, pura serenitas, tumultus nullus; sed oculi in unum Dei amorem intenti non alio declinant, aures vero inconcussæ, uni tantum rei vacant, nempe divinorum eloquiorum auditui, et suavissimæ spiritualique audiendæ symphoniæ, quæ semel capto animo tanta vi dominatur, ut illa pertractus melodia neque cibum, neque potum, neque somnum cum voluptate capiat. Itaque nec sæcularium negotiorum tumultus, neque corporalium turba rerum, tenorem illum relaxare valeat. Ad tantam

enim animæ sublimitatem infimæ hujus tempestatis strepitus non pertingit. Verum quemadmodum ii, qui ad altissimos se contulere montes, nihil eorum vident vel audiunt, quæ in urbe geruntur vel dicuntur, sed obscurum duntaxat et injucundum clamorem audiunt, stridentibus vespis nihilo suaviorem; sic ii, qui a sæcularibus rebus sese abduxerunt, et ad spiritualis philosophiæ cacumen advolarunt, nihil eorum quæ apud nos geruntur sensu percipiunt; corpus enim et corporis sensus, donec anima circa terram versatur, innumeris illam vinculis constringunt, gravissimam fluxarum voluptatum tempestatem undique colligentes. Etenim auditus, visus, tactus, odoratus et lingua, externorum malorum plurima in illam inducunt. Cum vero sublimis efficitur, et otium suum ad spiritualia convertit, tunc malignas cogitationes ingressu arcet non sensus obturans, sed eorum operationem ad sublimitatem illam traducens. Quemadmodum enim domina quædam formidabilis et severa, quæ unguentum condit pretiosum, magnisque sumptibus, ac multorum manibus ad condituram opus habet, ancillas suscitans et accersens, aliam jubet aromata nondum in opus admissa cribro secernere, aliam arrepta bilance et statera accurate dispicere ne plus vel minus quam par est in condituram admissum justam mensuram perdat; aliam coquere quæ coquenda sunt, aliam terere quæ terenda, illam alia aliis commiscere; illam cum alabastro stare, aliam cum alio vase; aliam aliud quidpiam tractare: sicque earum mentes simul et manus operi applicans, nihil corrumpi sinit, semper insistens, non permittens extra vagari, aut alio aspectum divertere; sic et anima pretiosum hoc unguentum præparans, nempe compunctionem, sensus ad se ipsam evocat, eorum præscindens segnitiem. Si quando autem contingat illam in se conversam quid-

piam eorum cogitare quæ ad probitatem et Dei placitum spectant, sensus operatione sua vacuos constituit; ne quid supervacaneum intempestive inducentes, internam tranquillitatem perturbent. Quare si voces auribus, spectacula oculis accidant, nihil intromittitur, singulis membrorum operationibus ad animam conversis. Ecquid voces et spectacula memoro, cum multi in hoc positi statu, non modo prætereuntes coram, sed etiam se exagitantes non sentiant? Tanta quippe est animæ virtus, ut volenti facile sit in terra quidem versari, sed ac si in cœlo sedeat, nihil eorum quæ in terra geruntur sensu percipere.

II. Talis erat beatus Paulus, qui mediis in urbibus versans, tantum a præsentibus aberat, quantum a mortuorum cadaveribus absumus. Cum enim dicit, « Mihi mundus crucifixus est, » hanc memorat « Insensibilitatem; » imo potius non hanc tantum, sed aliam talem, ut duplex illa fuerit. Non enim solum dixit, « Mihi mundus crucifixus est, » ita ut postea tacuerit, sed per adjunctum aliam significavit dicens, « Et ego mundo. » Magna certe philosophia est, putare mundum esse mortuum; sed longe major, erga mundum quasi mortuum affectum esse. Quod itaque Paulus declaravit hujusmodi est. Dicit enim, non se tantum abesse a præsentibus, quantum viventes a mortuis, sed quantum mortui a mortuis. Qui enim vivit, etiamsi mortuum non concupiscat, at alio modo sentit, sive miretur prostrati pulchritudinem, sive ipsum misereatur ac deploret: mortuus autem erga mortuum, ne tali quidem affectu est. Hoc igitur declarare cum vellet, postquam dixerat, « Mihi mundus crucifixus est, » addidit, « Et ego mundo. » Vides quam longe aberat ab orbe? quomodo in terra gradiens, ad ipsum transilierat cœli verticem? Ne mihi commemores montium cacumina, non saltus, non valles, non solitudinem inviam, neque enim hæc

sola satis sunt ad animæ tumultum auferendum. Sed illa opus est flamma, quam Christus in Pauli incendit; Beatus autem ille per spiritualem hanc cogitationem ipsam fovit, et ad tantam sublimitatem extulit, ut cum a terra incœpisset, ad ipsum cœlum pertigerit: imo et ad cœlum illo superius, et ad aliud iterum: ipse namque usque ad tertium cœlum raptus est. Amor autem ejus et erga Christum dilectio, non tres solum, sed omnes etiam cœlos transcendit. Nam corpore quidem pusillus erat, nihilque amplius quam nos in hac re habuit: spirituali autem affectu omnes qui in terra versantur homines longo intervallo superavit. Neque errabit si quis sanctum illum circa rem hanc imagine tali exprimat. Quemadmodum si flamma quædam totam terræ superficiem occupans, et in altum elata undique cœlestem apsidem prætereat, et aërem supra illam positum pervadens, sive aër ille sit, sive aliud quidlibet, intermedium duorum cœlorum igne repleat, neque hic cursum sistat, sed ad tertium etiam repente transmeet, omniaque unum rogum efficiat, tantæ latitudinis quantam habet universa terra, tantæ altitudinis, quantum spatii a tertio cœlo ad nos usque est. Ne sic quidem puto vel partem aliquantulam amoris ejus me expressisse. Quod autem hæc non sint per hyperbolen dicta, videre poterit quisquis ea legerit, quæ ad Demetrium eadem de re scripsimus. Sic oportet Christum amare, sic a rebus præsentibus absistere. Tales erant sanctorum Prophetarum animæ, ideoque alios acceperunt oculos. Sane quod illi a præsentibus se segregarent, id illorum diligentiæ opus erat: quod vero postea alii sibi aperirentur ad futurorum contemplationem oculi, illud demum divinæ gratiæ erat. Talis erat Eliseus, qui postquam omnia sæcularia despexit, regni cœlestis amore captus est, præsentiaque omnia respuit, regnum nempe, potentiam, gloriam

et honorem ab omnibus exhibitum; vidit ea quæ nullus unquam viderat, montem integrum, equorum igneorum, curruum, militumque similium exercitu opertum. Nam qui præsentia admiratur, futurorum contemplatione nunquam dignus habebitur; qui autem illa despicit, et nihilo meliora putat umbra et somnio, cito magna illa et spiritualia consequetur. Quandoquidem et nos divitias viris congruentes filiis nostris exhibemus, cum illos viros esse, et puerilia omnia despicere videmus. Quandiu enim illa mirantur, his illos indignos arbitramur. Anima quippe quæ parva et sæcularia despicere non didicit, cœlestia mirari non poterit; parique modo si illa miretur, non poterit hæc non irridere. Hoc et beatus Paulus dicebat: quanquam enim dictum illud de dogmatibus prolatum est; opportune tamen de moribus et de donis dicatur, « Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. »

III. Ut itaque dicebam, solitudinem requiramus, non locorum tantum, sed etiam propositi: atque ante omnia animam ducamus in ipsam non habitatam terram. Cum tali namque animi affectu, beatus David urbem incolens et regnum administrans, infinitisque circumdatus curis, ardentius quam ii, qui solitudinem occuparunt, amori Christi adhærebat. Lacrymas enim illas, gemitus, et fletus die nocteque effusos, vix unum duosve eorum, qui nunc crucifixi sunt, exhibere videamus, si tamen quispiam reperiatur. Neque enim fletus tantum considerandi sunt, sed quis illos emitteret diligenter perspiciamus. Non idem est in tanta dignitate positum, ab omnibus honori habitum, quem nemo increpare posset, humiliari, incurvari seque ipsum macerare, atque hoc ipsum facere illum, cui nihil horum competat. Siquidem multa rex habet, quæ ipsum ad sese effundendum adducant, quæque impediant quominus animam colligat suam. Diurnis namque deliciis et

conviviis dissolvitur, ac mollis efficitur, inflatur potentia sua et in arrogantiam effertur. Illum gloriæ amor urit, nec minus corporum: natum scilicet in potentia, educatum in deliciis. Ad hæc curarum turbines ipsum undique invadentes non minus, quam illi alii affectus ipsius animum perturbant: quare ne minimum quidem compunctio aditum invenire poterit tot munitionibus repulsa: ægre namque vel in anima his obicibus libera hoc bonum inseri potest. Privatus autem homo, hujusmodi tumultus expers omnino est, nisi sit admodum perversus; quamobrem cum minori difficultate poterit hanc rem adire, quam is qui in potentia, imperio et cultu tali degit. Ac quemadmodum difficile, imo potius impossibile est ignem cum aqua miscere; ita non puto delicias et compunctionem simul esse posse: nam hæc contraria sunt, et unum ab altero destruitur. Illa enim mater est lacrymarum et temperantiæ; hæ risus et insaniæ: illa levem et alis instructam efficit animam; hæ vero plumbo graviorem constituunt. At nondum id quod majus est dixi, Davidem scilicet illo tempore vixisse, quo non tanta postulabatur vitæ diligentia; nos autem nunc in certamen descendimus, cum non alia modo delicta, sed ipse risus magnis obnoxius est pœnis, sed luctus et afflictio ubique laudatur. Attamen Beatus ille his omnibus fractis obicibus, sic illam fortiter suscepit, quasi unus esset ex multitudine, ac ne per somnium quidem regnum, regiamve magnificentiam vidisset: tantamque in purpura, in diademate et in regio solio compunctionem exhibuit, quantam is qui in sacco, in cinere, et in solitudine sedet. Atenim iis, quibus hoc bonum vere supervenerit, tantum robur exhibet, quantum ignis in spinis. Hoc quamvis hominem innumeris præfocatum malis reperiat, quamvis multis peccatorum funiculis constrictum, quamvis vehementem offendat concupiscentiarum

flammam, quamvis multum circumstantem sæcularium rerum tumultum, hæc omnia subito ceu quodam flagello depellit, et procul abigit ab anima. Ac quemadmodum contra vim venti vehementis nunquam tenuis pulvis steterit; ita neque concupiscentiarum multitudo compunctionis ingruentem vim sustinere poterit, sed illa destruitur, pulvereque ac fumo citius dissipatur. Nam si corporum amor animam ita captivam efficit, ut ab omnibus illam abducat, unique amicæ tyrannidi subjiciat, quid non efficiat amor Christi, metusque ne ille secedat a nobis? Quod utrumque ita Prophetæ animum agitabat, ut aliquando diceret, « Quemadmodum desiderat cervus ad » fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus[1]; » ac rursus, « Anima mea sicut terra sine aqua tibi[2]; et, » Adhæsit anima mea post te[3]; » aliquando autem, « Do» mine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua cor» ripias me[4]. »

IV. Nec mihi quispiam dicat ipsum, ut peccatum lugeret suum, hunc scripsisse Psalmum: neque enim illud verum est, neque id suspicari permittunt ea, quæ in inscriptione ponuntur. Nisi enim posset argumentum inscriptum ostendi, hunc Psalmum liceret illi rei ascribere. Sin vero is qui pro peccato dictus est, omnibus est manifestus; hic autem aliam habet hypothesin; ne quæso, ne divina confundamus, neve dogmatibus a Spiritu prolatis accommodatiora esse nostra ratiocinia pronuntiemus. Quænam igitur est inscriptio? « Pro octava[5]. » Quænam vero est Octava, nisi dies illa Domini magna et conspicua, ut clibanus ardens, quæ supernas virtutes tremere facit, « Virtutes, inquit, cœlorum movebuntur[6]: » quæ ignem exhibet regi tunc illi præcurrentem. Octavam autem vo-

[1] Psal. XLI, 2. — [2] Id. CXLII, 6. — [3] Id. LXII, 9. — [4] Id. VI, 2. — [5] Ibid. 1. — [6] Matth. XXIV, 29.

cavit illam, status mutationem declarans, necnon futuræ vitæ renovationem. Præsens namque vita nihil aliud est, quam hebdomas una, quæ vita incipit a prima die, desinit in septimam : ac rursum iisdem intervallis circumit, et ad idem principium recurrit, et in finem descendit. Quare octavam diem nemo dixerit esse Dominicam, sed primam. Neque enim hebdomadis circulus in octavum numerum extenditur. Cum autem hæc omnia cessaverint et dissoluta fuerint, tunc ogdoadis cursus in medium adducitur : neque enim rursum ad principium recurrit, sed sequentibus intervallis hæret. Propheta igitur vi compunctionis inscriptam semper judicii memoriam habuit, diemque illam in tanto cultu, in tantis divitiis assidue animo versabat, quam nos vel in ærumnis constituti vix in memoriam revocamus : ac judicia ejus frequenter revolvens hunc scripsit Psalmum. Ecquid dicit? « Domine, ne in furore » tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, » furorem et iram appellans supplicii vehementiam : noverat enim Numen prorsus esse affectus expers : quanquam tamen sibi conscius erat, non pœnam et supplicium deberi sibi, sed honorem et coronas. Siquidem fides, per quam alienigenarum turrim destruxit, et universam Judæorum gentem ex ipsis portis mortis eripuit, beneficium inimico suo semel, bis et pluries præstitum, ac præ omnibus divina de ipso prolata sententia, totam viri virtutem satis declarabat, etiamque magis, quam ipsa præclare gesta. Opera quippe quantumvis magna et admiranda, in mali suspicionem vocari possunt, etsi ut plurimum omni suspicione libera essent justi illius opera. Cum autem Deus ipse testis est, tunc nullus est suspicioni locus : nisi enim accuratissimam virtutis probationem exhibuisset, nunquam esset cœleste præconium consecutus. Quid igitur de illo dicit Deus? « Inveni David filium Jesse virum secundum cor

» meum[1]. » Attamen post tale judicium, post tanta præclare gesta, damnatorum, et nullam erga Deum fiduciam habentium verba protulit, ut evangelicum illud impleret : « Cum omnia feceritis, dicite : Servi inutiles sumus[2]. » Quid amplius dixit Publicanus ille innumeris malis onustus, qui ne in cœlum quidem respicere audebat, neque longum texere sermonem, neque prope Pharisæum stare? Ille siquidem exprobrabat ei dicens : « Non sum sicut cæ» teri hominum, raptores, injusti, adulteri, aut sicut hic » Publicanus[3]. » Ille vero ac si nihil durum audisset, dictum excepit, ac non modo indignatus non est, sed etiam illum sibi contumeliosum et arrogantem, tanto affecit honore, ut ne quidem se terra, quam ille calcabat, dignum existimaret. Ac verbum quidem nullum protulit, nisi ut confiteretur peccata sua. Pectus autem frequenter percutiens, sic rogabat sibi propitium esse Deum. Sed quod hæc ageret nihil mirum : nam peccatorum multitudo illum, vellet nollet, humi respicere cogebat. Quod autem justus et nullorum similium sibi conscius, cum eadem qua Publicanus sui improbatione accedat, illud sane mirabile est, et animi vere contriti signum. Ab illo enim, « Propitius » esto mihi peccatori[4], » in quo differt illud, « Domine, ne » in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me? » Imo potius hoc quam illud longe majus est. Nam Publicanus ne ad cœlum quidem respicere audebat; justus autem majus quidpiam faciebat. Ille dicebat, « Propitius esto » mihi; » hic ne illud quidem dicere audebat. Neque enim dicebat, « Ne arguas me, sed, ne in furore tuo, neque, » ne corripias me, sed, ne in ira tua, » non pœnas non luere postulans, sed non tam vehementes; ita ut undique animi ejus humilitas appareat, et quod se tanto supplicio dignum putaret, et quod non auderet totam veniam a Deo

[1] 1 Reg. XIII, 14. — [2] Luc. XVII, 10. — [3] Id. XVIII, 11. — [4] Id. V, 11.

postulare; idque sane eorum est qui se admodum damnandos censent, et persuasum habent se omnium hominum nequissimos esse. Quod autem majus est, hoc ipsum non vehementius puniri, ex misericordia et clementia Dei, utpote infirmus sibi concedi rogabat, « Miserere mei, in» quit, quoniam infirmus sum[1]. » Quid hoc? Qui tali testimonio dignatus est, et judicia Dei non oblitus erat: nam ait, « Judicia tua non sum oblitus; » qui ipso sole splendidius lucet, hic talia profert verba? Etiam. Hoc enim mirabile est, quod tam magna operatus, nihil unquam magni de se vel dixerit vel senserit, sed se omnium novissimum reputaret, et ex sola Dei clementia salutem consequi rogaret, ac si diceret: Dignus quidem sum supplicio indeprecabili, et immortalibus pœnis; at quod id non amplius ferre possim, rogo solutionem a præsentibus malis, quemadmodum famuli qui innumera scelera perpetrarunt, nunquam dicere possunt se non peccasse : quia autem flagellorum dolor intolerabilis est, rogant demum mitigari plagas. Ego autem puto illum aliam quoque infirmitatem subindicare. Quam vero illam? Eam quæ ab animi mœrore et a gemitibus procedebat. Solet enim doloris excessus, cum violentior instat, totam animæ vim corrodere. Idque puto sanctum virum esse passum quod sese admodum damnaret, et quod nunquam spes bona suppeteret, sed adversa semper expectatio. Et hoc ex sequentibus palam facit. Nam « Miserere mei, adjicit, quo» niam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam contur» bata sunt ossa mea, et anima mea turbata est valde[2]. » Quod si ille qui conscientiam ita puram habebat, rogat ne operum examen accuratum fiat, quid nos faciemus qui tot malis involuti sumus, et tantum ab ejus fiducia longe sumus, ac nec quantulamcumque ejus confessionis par-

[1] Psal. CXIII, 30. — [2] Id. CXLII, 2.

tem exhibuimus? Quare igitur Beatus ille sic confitebatur? Didicerat scilicet neminem justificari coram Deo, et justum vix salutem consequi. Quamobrem nunc quidem rogat dicens, « Non intres in judicium cum servo tuo[1]; » nunc vero, « Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. »

V. Hoc enim par est ubique considerare, quomodo nusquam præclara gesta sua memoret, sed in Dei misericordiam salutem suam conjiciat. Illud enim contriti est animi: illud humiliati spiritus. Illud in causa erat quod magna operatus plusquam peccatores timeret ac tremeret: quod autem tremeret ac metueret, audi ipsum dicentem: « Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sus» tinebit[1]? » Noverat enim, et clare noverat, nos esse Deo multis debitis obnoxios, et minima peccata magnam mereri pœnam. Noverat diu ante præscius, quas leges positurus esset Christus venturus. Non cædium modo, sed etiam contumeliarum, conviciorum, malarum cogitationum, risus, otiosi sermonis, scurrilitatis, ac minorum etiam rerum gravem fore ultionem credebat. Quapropter Paulus, etsi nullius sibi conscius, dicebat, « Nihil mihi conscius » sum, sed non in hoc justificatus sum. » Cur autem? Quia etiamsi nihil mali fecisset, neque enim fecerat, modum honoris Deo referendi implevisse se non putabat. Etiamsi enim sexcenties moriamur, etiamsi omnem exhibeamus virtutem, nihil dignum reddimus honoribus, quibus a Deo affecti sumus. Vide enim quomodo cum nullo ex nostris egeret, sed sibi ipse sufficeret, non existentes nos existere fecit, animam inspiravit qualem nulli ex terrenis animalibus, paradisum plantavit, cœlum extendit, terram substravit, luminaria accendit splendida, terram stagnis, fontibus, fluminibus, floribus et plantis ornavit, cœlum vario astrorum choro distinxit, noctem non

[1] Psal. CXLII, 2. — [1] Id. CXXIX, 3.

minus, quam diem, utilem fecit, propter quietem et vires a somno reparatas : nam somnus, non minus quam cibi, corpora nostra alit, ut vel inde palam est, quod famis quidem multas sæpe dies tolerari videamus, absque somno autem vix paucas : ille est qui diei flammam, sive ex radio solari, sive ex diurnis laboribus proveniat, refrigerat et dissolvit, sicque nos vegetos restituit, et adeundis iterum laboribus pares. Hyberna vero tempestas, longiore noctis cursu, plus nobis confert requiei et solatii, dum nos sub tecto manere cogit. Tenebræ autem non frustra nec temere huic tempori deputatæ sunt; sed pro majori quiete. Quemadmodum enim matres prolis amantes, cum vagientes infantes ad quietem provocant, ulnis complexos, tunicaque oculos eorum operientes dormire faciunt ; sic et Deus tanquam velamen quoddam tenebras per orbem expandens, homines a laboribus quiescere facit. Nisi enim ita esset, nimiis negotiis vel pecuniæ cogendæ cupiditate, omnes distraheremur : nunc autem nos vel invitos remittere sudores facit, nec modo corporibus, sed etiam animis, non minus, quam corporibus, quietem hic rerum ordo procurat. Quid enim dicatur de temporis hujus quiete et tranquillitate ? Quomodo nempe omnia silentio plena et tumultu vacua sint, nulliusque vox audiatur velut in die, ubi alii de paupertate conqueruntur, alii damnum sibi importari clamant, alii morbos mutilaque corpora lugent, pars propinquorum mortem, pars jacturam pecuniarum, alii humanas alias ærumnas, quæ sane plurimæ sunt : ex quibus omnibus veluti procellis eripiens, humanum genus ad portum suum nox recipit. Hæc nobis a nocte bona conferuntur, a die autem illa, quæ scimus universi. Quid vero dicatur de commercii facultate ? Etenim ne itinerum longitudo nos a mutuo consortio averteret, breviorem nobis viam mare scilicet ubique per orbem Deus diffudit, ut in

orbe toto quasi in domo una habitantes, sic frequenter possimus alii alios adire, ut sua quique commoda proximis suis singuli tradentes, aliena mutuo recipiant, et parvam terræ portionem occupantes, omnibus ubique positis bonis quasi domini potiantur: quemadmodum in lauta mensa singulis convivis, quæ ante se posita sunt aliis longe remotis dare, et ab illis, quæ penes se habent, extensa solum manu accipere licet. Quod si quis alia sermone persequi tentaverit, in longitudinem immensam incidet, nec vel exiguam partem attingere poterit. Quomodo enim homo cum sit, infinitam Dei sapientiam metiri aggrediatur? Cogita interim plantarum varietatem, fructiferarum, infructuosarum, earumque in desertis, quæ in agris cultis, in montibus, in planicie. Considera diversitatem in seminibus, in oleribus, in floribus, in animalibus terrestribus, in amphibiis, in natatilibus. Perpende visibilia omnia propter nos facta, cœlum, terram, mare et omnia, quæ in eis sunt. Quemadmodum enim si quis regiam splendidam construxerit, multo fulgentem auro, multo gemmarum nitore: ita mundum fabricatus Deus, hominem introduxit, ut in hæc omnia regnum obtineret. Quodque longe mirabilius in hac domo est, non ex lapidibus tectum concinnavit, sed ex alia pretiosiore materia condidit, neque candelabri aurei flammam accendit, sed superne lampadas ponens, eas per domus tectum discurrere jussit, ita ut id non utile modo esset, sed magnam etiam nobis pareret voluptatem, pavimentum autem instar opiparæ mensæ adornavit: et hæc præbuit ei, qui nihil adhuc boni exhibuerat. Verumtamen post tanta dona, cum erga beneficum homo se ingratum præbuisset, non ideo illum honore privavit: sed expulit tantum ex paradiso, atque sic castigavit, ut ingratum animum ultra procedere cohiberet, et ad pejora declinare impediret. Hæc porro omnia hisque

plura, secum reputans Apostolus, utpote divino motus Spiritu, quæ ab initio, quæ quotidie, quæ in singulos, quæ in omnes simul, quæ palam, quæ clanculum, multo plura iis, quæ manifesta sunt; item quæ secundum œconomiam unigeniti Filii Dei, futura quoque bona, et omnia demum circumspiciens, atque inenarrabilem Dei amorem undique colligens et cogitans, quasi in immensum pelagus delapsus, sic edidicit quot et quantis esset rationibus reddendis obnoxius, quarum ne minimam partem exhibere poterat. Quapropter talia loquebatur, et minima quidem peccata magna cum diligentia scrutabatur; recte facta autem oblivioni mandabat. Sed non perinde nos, qui delictorum quidem, licet multa magnaque sint nec rationem habemus, nec mentionem facimus: si quid autem vel minimum boni fecerimus, id ultro citroque jactamus, nec prius jactandi et gloriandi finem facimus, quam parvum illud per arrogantiam deleamus. Hæc item perpendens David dicebat, « Quid est homo, quod memor es ejus[1] ? » Neque id solum, sed ingratum animum ejus incusans dicebat : « Homo cum » in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis » insipientibus, et similis factus est eis[2]. »

VI. Illud grati famuli est, beneficia omnibus simul collata, sibi propria existimare, atque ita sollicitum esse, ac si omnium debitor esset. Quod etiam Paulus faciebat, e re namque fuerit illum denuo commemorare, cum dicit Dominum pro se mortuum esse : « Quod autem, inquit, » nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et » tradidit semetipsum pro me[3]. » Hæc porro dicebat non ut Christi donum contraheret; sed ut quoad totum, se obnoxium constitueret, et singulis ut sic affecti essent persuaderet. Nam si pro uno tantum homine venisset Christus, non ideo minueretur donum, sed majus esse

[1] Psal. VIII, 5. — [2] Id. XLVIII, 13. — [3] Galat. II, 20.

comprobaretur. Quomodo? Quia pro uno tantam sollicitudinem habuisse videretur, quantam ille, qui unam ovem quærens, ideo turbabatur et flebat. Si enim ii, qui pecunias mutuo acceperunt, nec solvendo pares sunt, sed in magno æris alieni profundo demersi, nec comedunt, nec dormiunt, sollicitudine excruciati; justus qui videt se non pro pecuniis, sed pro facinoribus esse debitorem, quid non patiatur? Sed nos non ita, nam si parum solvamus, ita affecti sumus, ac si totum solvissemus; imo, quod longe deterius est, ne parvum quidem illud cum ea alacritate, quæ liberos decet, facimus: sed prius inquirimus, si mercedem habeat, si multam habeat, si id nobis reputetur, ac illiberalium mercenariorumque verba proferimus. Quid ais o homo pusillanimis et infelix? Res Deo placita agenda tibi proponitur, et tu de mercede sollicitus es? Si post peractam rem in gehennam conjiciendus esses, an detrectandum esset? Nonne tunc etiam magna cum alacritate manum bonis operibus admovere par esset? Rem Deo acceptam facis, et aliam mercedem requiris? Vere ignoras quantum boni sit placere Deo; si id namque scires, nullum aliud huic par præmium esse putares. Nescis tibi mercedem augeri, quando non spe mercedis quæ decent operaris? Ignoras-ne apud homines, eos maxime in honore ab omnibus haberi, qui ante mercedem ad sui placitum respiciunt, et de eodem placito magis solliciti sunt, quam de præmio? Ita-ne homines erga conservos suos tam generose affecti sunt; tu vero tot beneficiis a Domino ornatus, totque expectans ab illo bona, cum aliquid ad salutem pertinens tuam agendum est, antequam opus attingas, de mercede curiose inquiris? Ideo sumus semper frigidi, miserabiles, nec ad quidpiam generosi agendum parati. Ideo in compunctione nunquam degere, neque animam nostram vel minimum colligere possumus. Etenim peccata nostra

non diligenter consideramus, Dei beneficia non scrutamur, ad viros præclara opera edentes non respicimus. Idcirco bonorum operum obliviscimur, quia prosperos eventus non moderate ferimus, neque, ut frequenter dixi, quando nos peccatores vocamus, cum veritate loquimur. Id inde liquet, quod cum idipsum ab aliis audimus, excandescimus, efferamur, contumeliam id esse dicimus. Ita apud nos omnia hypocrisi plena sunt, nec imitamur Publicanum, qui alterius sibi peccatorum multitudinem exprobrantis contumeliam libenter suspiciens, par opera lucrum retulit. Descendit enim justificatus potius quam Pharisæus[1]. Nos autem ne quidem scimus quid sit confessio, etiamsi infinitis malis repleti simus : cum oporteret non solum persuasos esse, innumera nos mala perpetrasse : sed etiam peccata nostra omnia tum parva, tum magna, in corde ceu in libro descripta habere, et, ac si nuper admissa essent, lugere. Ita enim animi arrogantiam cohiberemus, si frequenter illi propria mala commemoraremus. Tantum est bonum peccatorum recordatio, ut beatus Paulus jam deleta crimina frequenter in medium adduceret. Quia enim priora omnia per baptismum abluerat, et postea pure vixerat, ita ut nullius sibi conscius esset, nec peccatis esset obstrictus pro quibus ingemisceret, ea quæ ante baptismum admiserat, jam deleta, commemorabat dicens : « Christus Jesus venit in mundum peccatores » salvare, quorum primus ego sum[2] : » ac rursum. « Fi» delem me existimavit, ponens in ministerio : qui prius » blasphemus fui, et persecutor contumeliosus : supra mo» dum enim persequebar Ecclesiam Dei, et devastabam » eam[3] ; » et iterum, « Non sum dignus vocari Apostolus[4]. » Licet enim nos a peccatis illis absolutos dimittat ; possunt tamen illa animam ad verecundiam provocare et ad Dei

[1] Luc. XVIII, 14. — [2] 1 Tim. I, 15. — [3] Ibid. 13, 14. — [4] 1 Cor. XV, 9.

amorem vehementer inducere. Etenim interrogatus Simon a Domino, quis ex duobus debitoribus fœneratorem plus diligeret, cum respondisset, « Existimo quia is, cui plus » donavit, audivit, Recte judicasti[1]. »

VII. Cum enim recogitabimus pristina peccata, tunc cognoscemus divinæ gratiæ præstantiam, tunc humi respiciemus, tunc nos ad meliorem frugem recipiemus. Quanto enim majoribus obnoxii erimus criminibus, tanto majori pudore afficiemur. Paulus itaque etiam pristinorum illorum recordabatur; nos ne illorum quidem, quæ post baptismum admisimus, recordari volumus, quæ nobis periculum creant, quæ nos examini obnoxios constituunt. Sed etiamsi cujuspiam ipsorum cogitatio nobis inciderit, confestim resilimus, ne brevi quidem tempore animam ea recordatione mœrore afficere volentes. Atqui innumera ex hac inutili gratia nobis mala pariuntur. Hac enim doloris vacuitate ac mollitie instructi, pristina peccata ne confiteri quidem possumus: quomodo possemus, cum ne memoriam quidem eorum admittere soleamus? Sicque postea in peccata facilius labimur. Nam si illorum memoria apud nos semper vigeat, metu animam exagitante, in promptu est ejus mollitiem et incuriam excutere. Quod si hoc frenum auferas, quis illam postea cohibebit, cum pulso metu se in præcipitia conjiciet, et in perniciei barathra delabetur? Ideo Justus ille futurum sibi supplicium depingebat, ideo flebat et gemebat: atque sic ex abundanti se gerebat. Vobis sane magnis viris ad compunctionem sufficit recordari beneficiorum Dei, recte factorum oblivisci, accurate scrutari ne quid vel minimum delicti admiseritis, magnos viros qui admodum Deo placuere ob oculos habere: post hæc omnia, considerare incertam futuri conditionem, animum ad lapsum et ad peccatum pro-

[1] Luc. VII, 43.

clivem: quod et Paulus metuebat, cum diceret: « Timeo » ne aliis prædicans, ipse reprobus efficiar[1]; » et, « Qui videtur stare, videat ne cadat[2]. » Sic et David hæc omnia secum volvebat: beneficia quippe Dei cogitans, dicebat: « Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, » quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis: gloria et honore coronasti eum[3]. » Ita vero recte factorum oblitus erat, ut postquam innumera philosophiæ exempla dederat, diceret: « Quis sum ego, Domine mi, » Domine, et quæ domus patris mei, quia dilexisti me eó » usque: et parva visa sunt hæc in conspectu tuo, Domine » mi: et locutus es pro domo servi tui in longinquum. Hæc » est enim lex hominis, Domine mi, Domine ad te. Et » quid addet David adhuc loqui ad te[4]. » Et cum majorum suorum virtutem recoleret, sese illis comparans, nihil reputabat esse. Nam postquam dixerat, « In te speraverunt patres nostri, » de se ipso loquens intulit: « Ego autem sum » vermis et non homo[5]. » Incertam vero futuri conditionem ita præ occulis habuit, ut diceret: « Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte[6]. » Seque tot peccatorum reum arbitrabatur, ut sic loqueretur: « Propitius esto peccato meo, multum est enim[7]. » Vobis itaque magnis hæc satis sunt: nobis autem cum tot remediis, necessitas superest valida, quæ possit superbiam et arrogantiam omnem de medio tollere. Ecqua illa est? Peccatorum multitudo, conscientia mala, quæ postquam nos occupavit, ne volentes quidem sinit ad sublimia erigi. Quare obsecro et rogo per fiduciam illam, quam ex bonis operibus apud Deum acquisivisti, nobis frequenter precantibus manum porrigas, quo possimus tantorum malorum sarcinam pro merito deplorare; et post luctum viam

[1] 1 Cor. IX, 2. — [2] Id. X, 12. — [3] Psal. VIII, 5. — [4] 2 Reg. VII, 18-20. — [5] Psal. XXI, 7. — [6] Id. XII, 4. — [7] Id. XXIV, 11.

quamdam amicam, et ad cœlum nos ducentem assequi; ne in infernum deducti, ubi nemo confiteri potest[1], ea patiamur, quæ patiuntur reprobi, nemine nos deinceps eripiente. Donec enim hic erimus, et nos a vobis magnum percipere fructum poterimus, et vos nobis beneficia conferre maxima valebitis. Cum autem illo advenerimus, ubi nec amicus, nec frater, nec pater juvare poterunt, neque nobis pœnas dantibus adesse: necesse demum erit in anxietate et densis tenebris, omnis consolationis expertes, immortale supplicium luere, omnia devorantis flammæ escam nunquam consumendam effectos.

[1] Psal. VI, 6.

LIBER I (4).

Parænesis sive adhortatio ad Theodorum lapsum.

I. Si fletus possent et gemitus per litteras exhiberi [1], his repletam epistolam ad te misissem. Equidem fleo, non quod paternarum rerum sollicitudinem geras, sed quod ex fratrum te catalogo deleveris, quod pacta cum Christo inita calcaveris. Ad hæc horreo, super his angor, propterea timeo et tremo; gnarus horum contemptum magnam afferre condemnationem iis, qui in sacram hanc militiam ascripti, per segnitiem ordinem suum deseruerunt. Quod autem supplicium iis destinatum gravius sit, vel ex re ipsa planum est. Privatum enim hominem nemo desertæ militiæ accusaverit; sed qui semel miles effectus est, si in desertione deprehendatur, extremo periculo subjacet. Non est grave, Theodore charissime, certantem cadere, sed in lapsu manere : non est perniciosum pugnantem vulnerari; sed post inflictum vulnus desperare et plagam negligere. Nullus mercator naufragium passus, amissoque onere, navigare desiit : sed rursum mare, fluctus, vastumque pelagus permeat, amissasque pecunias recuperat. Athletas quoque videmus post frequentes lapsus coronari : miles etiam sæpe post fugam, bellator strenuus evasit, hostesque profligavit. Multi autem qui vi tormentorum fracti Christum negaverant, redintegrato certamine martyrii coronam reportarunt. Quod si eorum quilibet ob priorem plagam desperasset, nunquam sequentium bonorum fructum percepisset. Ita et nunc, amice Theodore, ne quia inimicus te a statione paululum deturbavit,

[1] Vide D. Guillon, tom. xv, p. 279-293, et tom. xvi, p. 403-408.

te ipsum in præcipitium decutias, sed strenue consiste, et ad locum unde exiisti cito remigra. Ne probro tibi fore putes talem post plagam acceptam reditum : neque enim reprehendas militem, cum de prælio revertitur vulneratus. Opprobrium sane est arma projicere et procul ab hostibus removeri : quandiu autem quispiam in conflictu manet, etiamsi feriatur et paulisper cedat, nemo ita durus ac bellicæ disciplinæ expers est, ut hic illi vitio vertat. Non pugnantium quippe est non vulnerari : qui autem magno animo hostes adoriuntur, sæpe feriuntur et concidunt, ut tibi nunc contigit, qui dum serpentem occidere nitebaris, morsu vulneratus es. Sed confide, sobrietate paululum utaris oportet, nullumque vulneris vestigium remanebit : imovero per Dei gratiam ipsius maligni caput confringes. Neque te conturbet, quod cito et ab ipso principio compeditus fueris. Vidit enim, et celeriter vidit malignus ille animi tui virtutem, et ex multis signis, ut strenuus sibi adversarius vires augeret futurum præsensit. Eum enim qui tali tantoque studio contra se vel ab initio uteretur, si perseveraret facile se debellaturum esse existimavit. Ideoque festinavit, excubavit, totusque contra te, imo potius contra caput suum insurrexit, si tamen volueris strenue obsistere. Quis enim celerem illam tuam, sinceram atque ferventem ad bona mutationem non miratus est? Epularum enim oblectatio contemptui erat, luxus vestium vilipendebatur, calcabatur fastus omnis : tota illa externæ philosophiæ cura, confertim in divina eloquia translata fuerat : lectioni dies solidi, orationi noctes integræ deputabantur : paternæ dignitatis nulla mentio, divitiarum nulla recordatio : fratrum autem genua complecti, eorumque pedibus accurrere, omni nobilitate sublimius judicabas. Hæc malevolum illum cruciabant, hæc ad acriorem pugnam conserendam incitarunt : attamen non letale

vulnus inflixit. Nam si post diuturnum tempus, post jejunia multa, humi cubationes aliasque exercitationes te dejecisset, neque tunc desperandum esset, licet maximum damnum putaretur post multos sudores, labores et victorias ita prosterni. Verum quia in ipso procinctu certaminis te supplantavit, id solum effecit, ut fortiorem te redderet ad pugnam cum ipso incundam. Modo enim te e portu solventem, non ex negotiatione revertentem, nec onustam mercibus navem reducentem, ferus ille pirata adortus est. Ac quemadmodum si quis generosum leonem aggressus pellem ejus solum raserit, illum quidem nihil lædit, sed contra se ipsum excitat eum, ac firmiorem et captu difficiliorem reddit; sic et communis omnium inimicus cum altam infligere plagam conatus esset, a scopo quidem aberravit, sed ad vigilias et jejunia promptiorem reddidit.

II. Lubrica est humana natura, cito decipitur, sed cito a fraude se expedit; et sicut confestim cadit, ita confestim erigitur. Siquidem beatus ille vir, Davidem dico, qui electus fuit in regem et prophetam, cum multa præclare fecisset, hominem se esse monstravit : et alienæ uxoris amore captus est : nec ibi solum constitit, sed propter concupiscentiam adulterium, propter adulterium homicidium patravit : sed quia duo tanta vulnera acceperat, non ideo tertium addidit,; sed statim ad medicum accurrit, et medicamina apposuit, jejunium, lacrymas, fletus, orationes frequentes, sæpius adhibitam peccati confessionem, iisque modis Deum placavit, ita ut ad pristinam dignitatem rediret, adeo ut etiam post adulterium et cædem, patris memoria filii idololatriam posset obtegere. Filius quippe ejus nomine Salomon eodem, quo pater, laqueo captus est, et in mulierum gratiam a paterno Deo recessit. Vides quantum malum sit voluptatem non cohi·

bere, et naturæ principatum pervertere, ita ut vir sit mulierum servus. Hunc itaque Salomonem, qui prius justus et sapiens fuerat, cum periculum esset ne peccati causa regnum totum amitteret, ob paternum meritum Deus sextam regni portionem habere permisit. Si tibi curæ fuisset externa illa eloquentia, eamque postea admodum negligeres, ego sane revocata tibi, fori, tribunalis, coronarum inde consequentium, ac pristinæ in loquendo fiduciæ memoria, auctor essem ut ad præteritos labores redires : quandoquidem autem pro cœlestibus currimus, terrenarumque rerum nullam rationem habemus, alterius tibi judicii, horrendique tribunalis mentionem facio : « Nos quippe omnes apparere oportet ante tribunal » Christi[1]. » Ille vero tunc Judex sedebit, qui nunc a te despicitur. Quid ergo tunc dicemus, dic mihi, quam excusationem afferemus, si in tali prævaricatione perseveremus? Quid, quæso, dicemus? Negotiorum-ne sollicitudinem prætendemus? Sed nos ipse prævertit dicens : « Quid » proderit homini si mundum universum lucretur, animæ » vero suæ detrimentum patiatur[2]? » An dicemus nos ab aliis seductos fuisse? At nihil Adamo in defensionem profuit, quod uxorem incusaret dicens, « Mulier, quam dedisti » mecum, ipsa me decepit[3] : » sicut nec mulieri quod serpentem auctorem diceret. Horrendum sane est, o dilecte Theodore, tribunal illud, quod nec accusatoribus egeat, nec testes expectet. Judicanti enim illi omnia nuda et aperta sunt, nec factorum tantum, sed etiam cogitationum pœnas dabimus : nam Judex ille scrutator cogitationum et consiliorum cordis est. At fortasse naturæ infirmitatem obtendes, dicesque te jugum ferre non posse. Sed quænam hæc defensio, suave illud jugum ferri non posse, nec onus leve portari? An gravis onerosaque res est recreatio a la-

[1] 2 Cor. v, 10. — [2] Matth. xvi, 26. — [3] Gen. iii, 12.

boribus? Ad hæc quippe nos vocat Christus his verbis : « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et » ego requiescere faciam vos : tollite jugum meum super » vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde. » Jugum enim meum suave est, et onus meum leve [1]. » Quid enim levius, dic mihi, quam curis, negotiis, timoribus atque laboribus eximi, ab hujus vitæ fluctibus segregari, et in tranquillo portu degere?

III. Quid in hoc mundo felicius tibi videtur et optabilius? principatum haud dubie dices, et divitias, bonamque apud homines famam. Sed quid his miserabilius est, si Christianorum libertati comparentur? Nam princeps furori populorum subjacet, brutoque multitudinis impetui, majorum principum timori, sollicitudini erga subditos : ac qui heri princeps erat, hodie privatus efficitur : hæc quippe vita nihil a scena differt. Nam ut ibi hic imperatoris, ille ducis, alter militis implet officium : vesperi autem nec imperator, qui imperator erat, nec dux qui dux, nec miles qui miles erat remanet; sic et in die illa, non a persona, sed ab operibus dignam quisque mercedem accipiet. At gloria fortassis in pretio habenda, quæ cadit tanquam flos fœni? At divitiæ, quas qui possident miseri prædicantur? « Væ, inquit, divitibus [2]; » et iterum, « Væ » qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum » suarum gloriantur [3]. » Christianus nunquam ex principe privatus efficitur, nec pauper ex divite, nec ex glorioso inglorius : sed in divitiis manet etiam cum mendicat, et erigitur cum sese deprimere satagit, et eum, quem obtinet, principatum, non hominum, sed principum, qui sunt sub potestate rectoris tenebrarum, nullus ipsi potest auferre. Legitima res est conjugium, id ego confiteor. « Honorabile enim est connubium, et thorus immacula-

[1] Matth. xi, 28-30. — [2] Luc. vi, 24. — [3] Psal. xlviii, 7.

»tus. Fornicatores autem et adulteros judicabit Deus[1].» Sed tibi jam non est integrum jura connubii servare. Eum enim, qui semel cœlesti sponso junctus est, si ab eo divellatur et uxorem ducat, adulterium admittere certum est, quamvis millies hoc ipsum nuptias voces; imo id tanto gravius adulterio est, quanto præstantior Deus homine. Ne quis te decipiat dicens : Uxorem ducere non vetat Deus. Id ego quoque novi. Si adulterium prohibuit, et tu admittere volebas, quod absit, ut nimirum connubio jungaris unquam. Ecquid miraris si nuptiæ pro adulterio reputantur, quando contemnitur Deus? Cædes ad justitiam reputata est, et humanitas plus quam homicidium damnata fuit; quoniam illa ex sententia Dei, hæc vero illo prohibente exhibita est. Et Phineæ quidem reputatum est ad justitiam, quod fornicantem mulierem cum scortatore confodisset; Saülem vero Sanctus Dei Samuël, in fletu, luctu et precibus sæpe pernoctans, non potuit a damnatione, quam Deus adversus ipsum pronuntiaverat, eripere; quia regem alienigenarum, quem occisum oportuerat, præter Dei sententiam salute donavit. Si ergo humanitas majorem, quam cædes, damnationem infert, quia Deo non obtemperatur : quid mirum si nuptiæ graviorem quam adulterium damnationem inferant, quando despicitur Christus? Nam ut initio dicebam : si privatus esses, nemo te desertæ militiæ accusaret. Nunc autem tui juris non es amplius, qui tanto imperatori militare cœpisti. Etenim si mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir[2]; multo magis qui vivunt in Christo sui corporis potestatem non habeant. Qui nunc contemnitur, ipse est qui tunc judicabit. Hunc semper cogita, necnon fluvium illum igneum : « Fluvius, inquit, igneus trahebat in conspectu »ejus[3] : » qui enim semel igni traditus ab illo fuerit, nul-

[1] Hebr. XIII, 4. — [2] 1 Cor. VII, 4. — [3] Dan. VII, 10.

lum potest supplicii sperare finem. Et absurdæ quidem vitæ voluptates nihil ab umbris et somniis differunt; priusquam enim peccata ad finem deducantur, delectatio voluptatis extinguitur; supplicia vero iis destinata nullum habent terminum. Suavitas illa brevissima est, cruciatus æternus. Dic mihi, quid in hoc mundo stabile est? An divitiæ, quæ sæpe ne quidem ad vesperam usque manent? Num gloria? Sed audi justum quemdam virum dicentem: « Vita mea velocior est cursoribus[1]. » Sicut enim illi prius quam steterint exiliunt, ita et hæc evolàt antequam veniat. Nihil anima pretiosius est: quod ne ii quidem ignorant, qui ad extremum insipientiæ devenerunt. « Animæ nihil æquandum, » ait quidam exterorum Poëta. Novi te longe infirmiorem ad certamen contra malignum evasisse: novi te in media voluptatum flamma versari. Sed si inimico dixeris: Voluptatibus tuis non servimus, omnium malorum tuorum radicem non adoramus, si sursum oculos extuleris, flammam nunc Salvator excutiet, eosque qui te in ignem conjecerunt comburet: tibi autem in medio fornacis, nubem, rorem et sibilantem auram mittet; ita ut nec cogitationes nec conscientiam tuam ignis attingat: tantum ne te ipsum incendas. Atenim urbes munitas, quas nec tela nec machinæ obsidentium expugnare potuerant, sæpe unius duorumve civium intus habitantium proditione nullo negotio in manus hostium devenerunt. Et nunc si nulla te intus posita cogitatio prodat, etiamsi sexcentas foris machinas malignus ille admoverit, id frustra tentabit.

IV. Multos per Dei gratiam magnosque viros habes, qui vicem tuam dolent, qui te cohortantur, et pro anima tua formidant; sanctum nempe Dei Valerium, ipsius omnimode fratrem Florentium, sapientem, et quidem Christi

[1] Job. IX, 25.

sapientia Porphyrium, multosque alios. Hi quotidie lugentes, nullum precandi finem faciunt, et jamdiu optata consecuti essent, si vel paululum te inimici manibus subtrahere voluisses. Quomodo igitur non absurdum fuerit, dum alii de salute tua non desperant, et ut membrum recipiant suum assidue precantur, te semel lapsum nolle resurgere, sed jacere, ac propemodum hostem his vocibus cohortari, occide, percute, ne parcas? « Numquid qui » cadit, non resurget[1], » inquit divinum oraculum. Tu vero huic repugnas et contradicis. Nam lapsum desperare nihil aliud est quam dicere: Qui cadit non resurget. Ne, quæso, ne usque adeo te ipsum lædas, ne tantum nobis dolorem infundas. Non dico nunc, quando annum vicesimum necdum agis : sed etiam si multos annos emensus esses, et post exactam in Christo totam vitam, in extrema senectute hanc passus esses calamitatem, ne tunc quidem desperandum, sed cogitandum esset de latrone, qui in cruce justificatus est, deque iis, qui undecima hora aggressi sunt opus, et totius diei mercedem acceperunt. Ut autem bonum non est eos, qui in extremo vitæ lapsi sunt, desperare; si tamen resipiscant, ita non tutum est hac spe teneri ac dicere : Hic quidem interea vitæ voluptatibus fruar, postremo autem brevi labore, totius temporis mercedem accipiam. Memini namque te sæpe dixisse, cum multi te hortarentur ut Musea frequentares : Quid vero si brevi tempore male vitam obeam? Quomodo adibo illum qui dixit : « Ne tardes converti ad Dominum, neque » differas de die in diem[2]? » Hanc cogitationem repete, et furem alliga ; ita enim Christus exitum ex hac vita nostrum vocat, eo quod ignorantibus accidat. Tecum reputa hujus vitæ sollicitudines, tum singulis proprias, tum pluribus communes, principum metum, civium invidiam,

1 Jerem. VIII, 4. — 2 Eccli. V, 8.

de summa rerum frequens periculum, miserias, adulationes serviles, imo ipsis servis, si probi quidem sint, indignas, cogita laborum fructum hic interire, quo quid miserabilius fuerit? Multi etiam laborum fructum percipere non potuerunt: sed postquam primam ætatem sudoribus et periculis insumpserant, cum se mercedem accepturos sperarent, abscesserunt nihil secum referentes. Nam si terrenum imperatorem, etiam post multa pericula, post plurima bella confecta, vix audet quispiam cum fiducia respicere, quomodo cœlestem illum poterit quis intueri, qui toto tempore alteri vixerit, alteri militarit? An vis de domesticis curis, uxoris, liberorum, famulorum agamus? Grave est pauperem uxorem duxisse, grave opulentiorem. Alterum enim facultates, alterum viri auctoritatem libertatemque lædit. Molestum est liberos suscepisse, molestius non suscepisse: illud enim est frustra duxisse conjugem, hoc amaræ servituti subjectum esse. Ægrotat puer, hinc non levis formido: immaturus decessit, hinc non consolabilis dolor: ad singulos ætatis gradus, curæ de ipsis, sollicitudines et labores. Quid de domesticorum improbitate dicamus? Hæccine vita est, Theodore, ubi anima una in tot curas distrahitur, tot servit, tot vivit hominibus, sibi nunquam? Nihil apud nos hujusmodi reperitur, dilecte, te testem appello. Brevi quippe illo tempore, quo ex fluctibus emergere voluisti, nosti quanta lætitia quanto gaudio fruebaris. Nemo quippe liber est, nisi qui Christo vivit: hic omnibus molestiis superior est: ac nisi se ipsum lædere velit, nullus alius id unquam poterit. Nullo capi et superari potest, non pecuniarum jactura cruciatur, quippe qui didicerit nos nihil in hunc mundum attulisse, neque inde quidpiam auferre posse; non ambitione et gloriæ cupidine tenetur, gnarus conversationem nostram in cœlo esse: non conviciis vexatur, non plagis mo-

vetur. Una Christiano calamitas Deum offendere : cætera vero, ut pecuniarum jacturam, patriæ amissionem, extremum periculum, ne inter gravia quidem reputat. Quod omnes horrent, nempe exitum ex hac vita in aliam, id ei ipsa vita dulcius est. Quemadmodum enim si quis in alto scopulo positus, contempletur mare, et navigantium alios a fluctibus demergi videat, alios in latentia saxa allidi; alios alio quidem contendentes, alio autem ut vinctos vi ventorum abduci, multos undis obrui : alios pro navigio et gubernaculo manibus solum uti, alios vel tabula una vel fragmento navis ferri, alios mortuos supernatare, multiplicem scilicet et variam calamitatem; ita et qui Christo militat, tumultui et fluctibus vitæ se subducens, in tuto et excelso loco sedet. Quid enim tutius, quid sublimius fuerit, quam unicam habere sollicitudinem, « Quomodo oporteat placere Deo [1] ? » Vidisti, Theodore, naufragia eorum qui in hoc mari navigabant : quamobrem fuge pelagus, fluctus declina, editumque locum occupa, ubi intercipi nequeas ; resurrectio futura est, judicium aderit, horrendum nos hinc egressos tribunal expectat : « Omnes astare oportet ante tribunal Christi [2]. » Non frustra cum minis denuntiatur gehenna : non incassum tanta nobis parata sunt bona. Umbra, imo umbra inaniores sunt res hujusce vitæ, timoribus plurimis, multis periculis, extremaque servitute plenæ. Ne, quæso, et præsentis et futuri sæculi jacturam facias, cum liceat utrumque lucrari si velis. Quid autem ii, qui in Christo vivunt, etiam hujus vitæ bona lucrentur, docet Paulus his verbis : « Ego » autem vobis parco : » et iterum : « Hoc autem dico ad » vestram utilitatem [3]. » Vides-ne eum qui cogitat ea quæ Domini sunt, etiam in hoc mundo superiorem ei esse, qui uxorem ducit ? Postquam illuc transgressi fuerimus,

[1] 1 Thess. IV, 1. — [2] Rom. II, 4. — [3] 1 Cor. VII, 28 et 35.

nullus pœnitentiæ locus. Nullus athleta e stadio egressus, postquam theatrum solutum fuit, certare amplius potest. Hæc semper cogita, et acutum maligni gladium contere, quo ipse multos interficit. Hæc est desperatio, quæ dejectis spem præcidit: hoc validum est inimici telum, et semel captos non alio quam hoc vinculo constrictos detinet: quod si voluerimus, cito per Dei gratiam confringere poterimus. Scio me justos epistolæ limites excessisse: sed ignosce, non enim lubens hoc egi, sed amoris dolorisque vi compulsus: hic me affectus ad hanc etiam scribendam epistolam necessario induxit, vetantibus licet multis ac dicentibus: Finem fac vane laborandi, ac in petris serendi. Ego autem nemini aurem præbui: spes enim est, dicebam apud me, Dei ope litteras aliquid profuturas esse, quod si id, quod ne fiat deprecamur, acciderit, id saltem lucrabimur, ut ne silentium nobis vitio verti possit: neque deteriores navigantibus erimus, qui cum suæ sortis homines viderint, quassata vi ventorum navi, tabulæ hærentes, demissis velis, jacta anchora, et conscensa scapha, homines ignotos, ac ex præsenti solum calamitate sibi cognitos servare nituntur. Quod si illi noluerint, nemo culpaverit eos, quod pereuntes servare conati sint. Hæc nostræ facultatis sunt: speramus autem te per Dei gratiam, quæ in tua potestate sunt præstiturum esse, foreque ut te rursum videamus in grege Christi florentem, valentemque vera valetudine, teque citius orationibus sanctorum recipiamus, o dilectum caput. Si quam nostri rationem habeas, neque penitus nos e memoria tua ejeceris, nobis rescribere digneris, hoc enim modo magna nos lætitia afficies.

LIBER II.

Parænesis sive adhortatio ad Theodorum lapsum.

I. « Quis dabit capiti meo aquam [1], et oculis meis fon» tem lacrymarum [2] ? » Id longe opportunius nunc dicam, quam ille quondam Propheta. Licet enim non urbes plurimæ, non gentes integræ deplorandæ mihi sint; at animam defleo hujusmodi nationibus dignitate parem, imo etiam pretiosiorem. Nam si vel unus qui voluntatem Dei faciat, sexcentis impiis melior est, sane tu melior antea eras innumeris illis Judæorum millibus. Quamobrem nemo mihi vitio vertat, quod fletum assumam longe majorem, luctumque acerbiorem, quam illo Propheta litteris dederit. Non enim urbem eversam lugeo, non improborum hominum captivitatem; sed animæ sacræ vastitatem, ac Christiferi templi excidium atque ruinam. Si quis enim ornatum mentis tuæ, quem nunc exussit diabolus, cum splendore fulgeret probe noverit, annon ingemiscat et Prophetæ luctus usurpet; si nempe audierit barbaras manus sancta sanctorum polluisse, et subjectis ignibus omnia combussisse, Cherubim, arcam, propitiatorum, lapideas tabulas, urnam auream? Hæc siquidem, hæc calamitas tanto illa acerbior est, quanto pretiosiora illis symbola in anima tua residebant. Hoc templum illo sanctius erat: neque enim auro vel agento, sed Spiritus gratia fulgebat, ac pro arca et Cherubim, Christum ejusque Patrem atque Paracletum habuit inhabitantem. At nunc non ita se habet; sed desertum quidem est, nudatumque pulchritu-

[1] Vide D, Guillon, tom. xv, p. 253-296. — [2] Jerem. ix, 1.

dine illa atque decore, divino ineffabilique ornatu spoliatum; vacuum autem omni securitate atque custodia; ita ut neque janua neque vectis adsit, sed pateat omnibus animæ exitiosis fœdisque cogitationibus. Sive arrogantiæ, sive fornicationis, sive avaritiæ spiritus, sive illis deteriores intrare voluerint, nemo prohibebit. Prius vero, quemadmodum cœlum his omnibus inaccessum est, ita et puritas mentis tuæ. Et fortasse incredibilia dixisse videbor iis, qui nunc vident vastitatem subversionemque tuam: quapropter nunc doleo lugeoque, neque finem lugendi faciam donec in pristino te splendore videro. Licet enim id hominum facultatem superare videatur, Deo tamen omnia facilia sunt. Ipse enim est qui suscitat de terra inopem, et de stercore erigit pauperem; ut eum sedere faciat cum principibus, cum principibus populi sui [1]. Ipse est qui habitare facit sterilem in domo, matrem de filiis lætantem. Itaque ne desperes te ad optima immutandum esse. Si enim diabolus tantum potuit, ut te a vertice illo et fastigio virtutis in extremum malitiæ detruderet; multo magis te Deus poterit in pristinam reducere libertatem: nec talem modo, sed multo feliciorem te reddere, quam prius fueras. Tantum ne concidas, nec spem bonam præscindas, neu impiorum statum subeas. Neque enim peccatorum multitudo in desperationem conjicere solet, sed anima ex se impia. Quapropter Salomon non dixit simpliciter: Quisquis venit in profundum malorum, contemnit; sed « Impius » tantum [2]. Impiorum enim duntaxat est ille morbus, quando in profundum malorum venerint. Et hoc ipsis ne respiciendi quidem facultatem relinquit, neque eo revertendi, unde exciderant. Nam flagitiosa illa cogitatio tanquam jugum quoddam ligneum animæ cervici impositum et compellens oculos in terram demittere, pro-

[1] Psal. CXII, 7, 8. — [2] Prov. XVIII, 3.

hibet ne ad Dominum suum respiciat. At viri est generosi et admirandi, hujusmodi lignum conterere, et lictorem qui id imposuerat excutere, ac Prophetæ verba proferre : nam « Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita » oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec mise» reatur nostri. Miserere nostri, Domine, miserere nostri, » quia multum repleti sumus despectione[1]. » Hæ vere divinæ sunt disciplinæ, et supremæ philosophiæ dogmata. Repleti sumus, inquit, despectione, et infinitis ærumnis afflicti : attamen ad Deum respicere non cessabimus, nec finem precandi faciemus, donec postulata nacti fuerimus. Hoc est enim animi generosi non consternari, nec a spe deturbari propter vim calamitatum, neque discedere, etiamsi repetitis subinde precibus nihil impetrarit; sed insistere, donec misereatur nostri, quemadmodum ait beatus David.

II. Propterea enim diabolus nos in desperatas cogitationes injicit, ut spem erga Deum præcidat; anchoram nempe tutam vitæque nostræ sustentaculum, ducem in via ad cœlum nostra, salutem perditarum animarum. « Spe » enim, inquit, salvi facti sumus[2]. » Hæc, inquam, hæc velut catena fortis de cœlo pendens, animas sustinet nostras, et ad cacumen illud paulatim trahit eos, qui hanc firmiter tenent, et a procellis malorum præsentis vitæ abripit. Si quis igitur præ mollitie hanc sacram anchoram dimittat, statim decidit et suffocatur, in abyssum malitiæ demersus. Quod cum sciat malignus ille, postquam nos malorum operum conscientia oneratos sensit, irruens et ipse desperationis cogitationem plumbo graviorem immittit; quam si susceperimus, necesse est pondere statim avulsos et a catena illa abstractos, in profundum malorum deprimi, in quo tu nunc versaris : quandoquidem rejecto mitis et humilis Domini mandato, crudelis illius

[1] Psal. CXXII, 2, 3. — [2] Rom. VIII, 24.

atque tyranni implacabilisque salutis nostræ inimici præcepta exequeris omnia, suavi jugo dirupto, levi abjecto onere, circumpositis in vicem illorum vectibus ferreis; insuperque molam asinariam a collo tuo suspendisti. Ubi nunc steteris, postquam infelicem animam tuam demersisti, ac tibi eam necessitatem induxi, ut deorsum semper tendas? Mulier itaque illa quæ drachmam unam invenerat, vicinas advocabat lætitiæ suæ participes, dicens, « Congratulamini mihi[1]. » Ego vero amicos omnes et meos et tuos ad rem plane contrariam nunc convocabo; nec dicam: « Congratulamini mihi[1]; » sed, Lugete mecum, eumdemque luctum assumite, et lamentabili nobiscum voce clamate. Extremam quippe jacturam fecimus; non quod tot et tot auri talenta e manibus exciderint, nec quod magna vis lapidum pretiosorum; sed quod vir his omnibus pretiosior, qui in hoc magno et vastissimo mari nobiscum navigabat, nescio quo pacto excussus, in ipsum pernicei profundum deciderit.

III. Quod si qui me a luctu abducere tentaverint, eos hisce Prophetæ verbis alloquar: « Dimittite me, amare » flebo, ne vim faciatis ad consolandum me[2]. » Neque enim tali luctu nunc afficior, qui mihi, quod immoderatus sit, vitio verti possit; sed qualem nec Paulum, nec Petrum, omni consolatione rejecta, assumere puduisset. Siquidem eos, qui hanc communem mortem deplorant, jure quis pusilli animi arguerit: quando autem vice corporis anima prostrata jacet mortua, innumeris confossa vulneribus, et in ipsa etiam morte, pristinæ indolis optimæ, valetudinis præteritæ extinctæque pulchritudinis signa præfert, quis tam immanis et sensus expers, qui pro gemitibus et lacrymis consolationis verba proferat? Quemadmodum enim illic non lugere, ita hic lugere

[1] Luc. xv, 8. — [2] Isaï. xxii, 4.

philosophicum est. Qui ad cœlum pervenerat, qui vitæ vanitatem deridebat, qui formam corporum perinde atque lapidea simulacra respiciebat, qui aurum quasi lutum, delicias omnes quasi cœnum contemnebat; hic derepente febri correptus insulsæ concupiscentiæ, valetudinem, robur et speciem omnem perdidit, voluptatumque servus effectus est. Annon hunc deplorabimus, dic mihi, annon lugebimus, donec eum recuperemus? An id humani esset animi? Etenim mortis corporeæ destructio hic inveniri nequit, neque tamen id lugentes a fletu cohibet. Animæ vero mos hic tantum destrui potest: « In inferno » enim quis, inquit, confitebitur tibi? » Quo pacto igitur non summæ stoliditatis fuerit, cum ii qui corporis mortem lugent, tam vehementer id faciant, licet sciant se defunctum ad vitam lacrymis non revocaturos esse; nos nihil hujusmodi exhibere, qui scimus spem esse de anima mortua in pristinam vitam reducenda? Siquidem multi et hoc tempore et majorum nostrorum ævo, a recta statione subversi et ab angusta via præcipites dati, ita surrexere denuo, ut posteriore vita priorem obtegerent, palmam acciperent, corona redimirentur, cum victoribus prædicarentur, et sanctorum choro annumerarentur. Quandiu tamen quis in fornace voluptatum consistit, etiamsi innumera hujusmodi exempla proposita habeat, ipsi res esse supra vires apparet : at si vel tantillum cœperit illinc egredi, ad ulteriora semper procedens; statum illum diligentius quam ignem a tergo relinquet, ea vero quæ ante se posita sunt roris facilitatisque plena conspiciet : tantum ne desperemus, neve de reditu dubitemus. Nam qui sic affectus est, ingenti licet fortitudine et alacritate præditus sit, eam frustra possidet. Cum enim januam sibi pœnitentiæ semel occluserit, et ad stadium intercluserit

¹ Psal. vi, 6.

aditum, quomodo extra positus poterit vel magnum vel modicum quidpiam boni operari? Quapropter malignus ille nihil non machinatur, quo nobis hanc cogitationem altius defigat : nam postea non sudandum ei, nec laborandum erit ut nos oppugnet; nimirum jam lapsos et jacentes, atque ei obsistere nolentes. Qui enim ab hoc vinculo se expedire poterit, pristinam fortitudinem recuperabit, nec cessabit ad extremum usque halitum cum illo pugnare : etiamsi vero in sexcentos lapsus proruat, surget iterum, et hostem conficiet. Contra vero qui desperationis cogitatione ligatur, fractus viribus, quomodo superare poterit vel obsistere, cum ex adverso fugiat?

IV. Nec dicas hæc ad eos qui modice deliquerunt pertinere : sed pone quempiam omni flagitio plenum, qui nihil non egerit, quod a regno illo excludat, qui a principio, non ex infidelium, sed ex fidelium, eorumque qui Deo placuerant numero fuerit; deinde vero, scortator, mœchus, mollis, fur, ebriosus, pæderastes, calumniator evaserit, et alia id genus crimina admiserit : ne hunc quidem si desperet approbaturus sum, etiamsi ad extremam usque senectam in nefariis illis atrocibusque flagitiis perseveraverit. Nam si ira Dei, animi ægritudo esset, jure quis desperaret, utpote qui non posset flammam tot sceleribus excitatam extinguere; quia vero divinum Numen ægritudine animi vacuum est, ac licet puniat, licet vindictam sumat, non ira commotus id agit; sed curam et amorem nostri semper gerit : ideo bono esse animo par est, et vi pœnitentiæ confidere. Siquidem eos, qui in se peccaverunt, non sui causa solet ulcisci : nihil enim potest in hujusmodi naturam damni induci; id vero agit ad nostram spectans utilitatem, ne in deteriorem statum perversitas nostra decidat, dum ipsum rem contemnere ac despicere putamus. Quemadmodum enim is qui a luce

recedit, nihil luci, sed sibi multum damni infert, dum in tenebras se conjicit; sic qui omnipotentem illam virtutem contemnere solitus est, ipsam quidem nihil lædit, extremam vero sibi perniciem affert. Hac de causa Deus vindictam nobis comminatur, sæpeque immittit, non ut se ulciscatur, sed ut nos ad se pertrahat. At enim medicus de contumeliis delirantium non dolet, neque offenditur; sed tamen nihil non agit, ut eos turpiter se gerentes compescat, non suam spectans, sed illorum utilitatem : si autem ægri vel tantillum sanæ mentis ostendant, gaudet et lætatur, multoque vehementius remedia admovet, non quod pœnas contumeliæ expectat, sed ut majorem utilitatem, imo et perfectam sanitatem inducat. Eodem modo Deus, postquam nos in extremam decidimus amentiam, non ut præterita ulciscatur, sed ut nos a morbo liberet, nihil non dicit et facit : quod sane quivis recto usus ratiocinio perspicere valet.

V. Si vero quispiam hæc in dubium vocaverit, ex divinis Scripturis ea ipsa confirmare in promptu est. Nam quis, quæso, rege Babyloniorum sceleratior fuit, qui cum tantam Dei potentiam expertus esset, ut Prophetam ejus adoraret, juberetque ei manaa, id est, dona et odores offerri; rursus in pristinam reversus superbiam eos, qui ipsum Deo præferre noluerant, ligatos in fornacem conjecit. Attamen hunc ita crudelem, impium, feramque potius quam hominem ad pœnitentiam provocat, aliasque offert ipsi resipiscendi occasiones; primo miraculum quod in fornace contigit; deinde visionem, regi oblatam, quam interpretatus est Daniel, quæ poterat vel lapideam animam flectere : tandem post illam ex rebus ipsis factam admonitionem, ipse Propheta consilium dedit his verbis : « Propterea rex, consilium meum tibi placeat, et peccata » tua in eleemosynis redime, et iniquitates tuas in mise-

» rationibus pauperum : forsitan erit longanimitas delictis » tuis [1]. » Quid dicis, o sapiens et beate? Est-ne post tantum lapsum reditus, et post tantum morbum sanitas? Rursum-ne post tantam amentiam spes resipiscentiæ? Omnem prius spem sibi præcidit rex, primo cum creatorem suum, eumque qui se ad tantum honorem evexerat, ignoravit, etiamsi ejus potentiæ atque providentiæ argumenta bene multa, tum erga se, tum erga progenitores suos exhibita, enarranda haberet. Deinde vero, cum post data sapientiæ et præscientiæ ejus signa conspicua, postquam magicen, astronomiam, omnemque diabolicarum præstigiarum scenam eversam vidisset, graviora prioribus admisit. Nam ea quæ sapientes illi magi Gazareni explicare non poterant, sed confitebantur majora esse quam humana facultas caperet, ea Dei nutu interpretatus puerulus captivus, ipsum hujusmodi miraculo eo usque deduxit, ut non modo crederet, sed etiam orbi terrarum toti fieret ejus dogmatis præco et doctor publicus : ita ut si ante signum hujusmodi venia indignus erat, quod Deum ignoraret, multo indignior post illud miraculum, et post confessionem suam atque doctrinam aliis declaratam. Neque enim nisi plane credidisset ipsum solum esse verum Deum, tantum servo ejus honorem detulisset, nec hujusmodi mandata cæteris dedisset. Attamen post hujusmodi confessionem in idololatriam iterum delapsus est : et qui prostratus in faciem servum Dei adoraverat, tanto postea furore correptus est, ut Dei servos, qui ipsum adorare noluerant, in fornacem immitteret. Quid igitur? num Deus apostatam ultus est, ut ulcisci debebat? Quinimo majora ipsi potentiæ suæ signa præbuit, ipsumque post tantam vesaniam ad pristina iterum reduxit. Quodque mirabilius est ne ob prodigiorum magnitudinem fides ipsis negaretur, in nullo alio

[1] Dan. IV, 24.

signum fecit, nisi in ipsa fornace, quam accenderat ille contra pueros quos ligatos eo conjecit. Sane res mira stupendaque fuisset, si flammam extinxisset : at clementissimus ille, ut majorem metum afferret, graviore mque terrorem incuteret, ejusque cæcitatem penitus solveret, majus quippiam et mirabilius operatus est. Cum enim permisisset illam succendi quantum ipse volebat, ita suam ostendit potentiam, ut inimicorum machinamenta non dissolveret, sed eadem permanentia irrita faceret. Ne quis vero ipsos post superatas flammas conspiciens, phantasma esse putaret, eos comburi permisit, qui ipsos injecerant, ostendens verum ignem esse id quod cernebatur; alioquin non naphtham, stuppam, palmites, totque corpora combussisset. Sed ejus imperio nihil potentius : universaque rerum natura illi obsequitur, qui eam ex nihilo produxit, quod sane tunc demonstratum est : etenim flamma cum corruptibilia corpora accepisset, ab iis quasi incorruptibilibus abstinuit, depositumque salvum reddidit, idque multo cum splendore. Quemadmodum enim ex regiis adibus reges, sic ex fornace pueri exierunt; nullo tunc regem aspicere dignante, sed omnium oculis, dimisso illo, ad tam mirabile spectaculum conversis : ac neque diadema, neque purpura, neque aliud quippiam regiæ pompæ, turbas infidelium perinde permovit, atque species illorum fidelium, qui longo quidem tempore in igne versati sunt, sed perinde exierunt, ac si per somnium hæc perpessi essent. Atenim quod in nobis facilius consumitur, nempe capillorum natura, tunc adamante fortius flammas omnia devorantes superavit. Neque id solum mirabile erat, quod in ignis medium conjecti nihil paterentur, sed quod ne loquentes quidem : nemo quippe nescit eos qui in flammis versantur, donec clausis labiis sunt, modico saltem tempore incendio resistere, si autem os aperuerint,

statim animam a corpore avolare. Verumtamen tot editis miraculis omnibusque attonitis, tam præsentibus et spectantibus quam absentibus, qui id per litteras edidicerunt; rex ille qui alios docuerat, obstinatus mansit, et ad pristinam reversus est improbitatem. At ne tunc quidem illum punivit, sed patienter tulit, ac per somnium perque Prophetam commonens, cum tali via nihilo melior evaderet, pœnam demum immisit, non præterita ulciscens, sed futura præscindens mala, et improbitatem ne ulterius procederet coërcens : neque tamen usque in finem; postquam enim paucis illum annis castigasset, pristino reddidit honori, nullo damno mulctatum ex pœna, sed bonum omnium maximum lucratum, ut nempe firmiter fidei erga Deum hæreret, ac de peccatis prioribus pœnitentiam ageret.

VI. Hujusmodi quippe est Dei erga homines clementia : nunquam aversatur sinceram pœnitentiam; sed etiamsi quis in extremum improbitatis pertigerit, et hinc ad virtutis viam redire voluerit, ipsum suscipit et amplexatur, nihilque non agit ut eum in pristinum statum restituat; quodque majoris est clementiæ, etsi quis non integram pœnitentiam exhibeat, brevem tamen illam, et ad modicum exhibitam non abnuit, sed magnam huic mercedem tribuit : quod sane manifestum est ex iis, quæ de populo Judæorum dicit Isaïas propheta his verbis : « Propter peccatum paulisper contristavi eum, et percussi eum, et averti faciem meam ab eo : et contristatus est, et ambulavit mœstus; et sanavi eum, et consolatus sum eum[1]. » Testis autem nobis erit impiissimus rex ille, qui ab uxore quidem peccatis traditus est : at ubi primum luxit, et sacco indutus facinora sua damnavit, ita sibi Dei misericordiam conciliavit, ut omnia sibi

[1] Isaï. LVII, 17, 18.

imminentia mala evitaret. Nam Deus Eliæ dixit : « Vidisti » quomodo compunctus est Achab a facie mea? non inducam malum in diebus ejus, eo quod fleverit a facie » mea [1]. » Post hunc etiam Manasses, qui omnes insania superavit, atque tyrannice legalem evertit cultum, templum clausit, et idolorum errorem florere fecit, omniumque qui ante fuerant impiissimus fuit [2] : cum postea resipuisset, relatus est in numerum amicorum Dei. Si autem conspecta iniquitatum suarum magnitudine, de reditu ac de mutatione desperasset, ab omnibus certe, quæ postea consecutus est, excidisset. Nunc autem, non ad molem peccatorum suorum, sed ad immensam Dei commiserationem respiciens, diruptis diaboli vinculis, surrexit et decertavit, bonumque cursum consummavit. Non solum autem ex verbis, quæ ad eos locutus est; sed etiam ex aliis per Prophetam pronuntiatis, Deus omnes desperationis cogitationes præscindit : « Hodie, inquit, si vocem » ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra sicut in exa» cerbatione [3]. » Illud autem « Hodie, » per totam vitam dici potest; imo si libet, ad senectutem usque : non enim ex temporis longitudine, sed ex animi affectu pœnitentia æstimatur. Nini vitæ siquidem non multis diebus opus habuerunt, ut peccata delerent sua; sed exiguum diei tempus potuit universam eorum abolere iniquitatem, et latro non multo tempore paradisi ingressum impetravit, sed eo spatio quo verbum unum profertur, eo momento abstersis totius vitæ suæ peccatis, etiam ante Apostolos probationis præmium accepit. Videmus etiam Martyres, non multis annis, sed etiam diebus paucis, imo vel una die splendidas consecutos coronas.

VII. Quapropter ubique nobis alacritate, seduloque animi affectu est opus : quod si ita paremus conscientiam,

[1] 3 Reg. xxi, 28. — [2] 2 Paral. xxxiii, 13. — [3] Psal. xciv, 9.

ut tanta vehementia pristinam malitiam detestemur, et contrariam viam deligamus, quantam Deus imperat ac requirit, nihil ob temporis brevitatem habebimus minus, quandoquidem multi novissimi primos longe antecesserunt. Non enim cecidisse grave est, sed lapsum jacere, nec resurgere, sed malis ultro hærentem et torpentem desperatis cogitationibus propositi imbecillitatem tegere. Cujusmodi hominibus quasi dubitans Propheta dicebat: «Num qui cadit, non resurget; et qui avertitur non re» vertetur[1]? » Quod si quospiam a nobis quæras, qui postquam crediderant ceciderint, hæc sane omnia de illis dicta sunt: nam qui cecidit ex eorum numero est, qui prius steterunt, non qui jacuerunt : qui enim jacet quomodo cadat? Alia quoquoque dicentur tum per parabolas, tum per clariora facta vel dicta : etenim ovis illa a nonaginta novem separata, et postea reducta, nihil aliud nobis declarat, quam fidelium lapsum et reditum. Siquidem hæc ovis non alterius gregis erat, sed ex reliquarum numero, ab eodemque Pastore prius pascebatur : atque errore non vulgari abducta est; sed per montes et saltus, remotaque via, et a recta longe distante. Num ergo neglexit errantem? Nequaquam : sed reduxit non compellens et verberans : imo humeris reportans. Quemadmodum enim medici peritiores, ægros diuturno morbo vexatos, summa cura valetudini restituunt, non modo medicinæ legibus utentes, sed interdum indulgentes ægris ; ita quoque Deus admodum corruptos, non vehementi impulsu ad virtutem ducit, sed paulatim et sensim supportans ubique, ne vel major scissura, vel gravius erratum accidat. Neque id illa solum parabola subindicatur; sed et alia etiam de filio prodigo. Si quidem hic non alienus erat, imo filius, fraterque filii, qui patri acceptus erat : is in improbitatem

[1] Jerem. VIII, 4.

lapsus est non vulgarem; sed in ipsum, ut ita dicam, malorum extremum. Dives, liber, nobilis, famulis, extraneis, mercenariisque miserior affectus est. Attamen pristinum in statum rediit, amissamque gloriam recuperavit. Si desperasset, et ob calamitatem despondens animum in aliena terra mansisset, nunquam consecuturus erat ea, quæ postmodum recepit; sed fame consumptus, miserrima omnium morte periisset. Verum quia resipuit, nec desperavit, post tantam corruptionem, eumdem ipsum assecutus fortunæ splendorem, pulcherrimo induitur amictu, et majoribus fruitur bonis, quam frater non lapsus: « Tot » annis, inquit ille, servio tibi, et nunquam mandatum » tuum præterivi, et nunquam dedisti mihi hœdum, ut » cum amicis meis lætarer : sed postquam filius tuus hic, » qui devoravit substantiam tuam cum meretricibus, ve» nit, occidisti illi vitulum saginatum[1]. » Tanta est virtus pœnitentiæ.

VIII. Tot tantisque exemplis excitati ne maneamus in malis, nec de conversione desperemus; sed dicamus et nos, « Vadam ad patrem meum, » et appropinquemus Deo. Nunquam enim ille nos aversatur, sed ipsi ab eo longe recedimus. « Deus enim, inquit, appropinquans ego » sum, et non Deus procul[2]. » Ac per hunc Prophetam rursum incusat eum his verbis : « Nonne peccata vestra » dividunt inter vos et me[3]. » Cum itaque hæc nos removeant a Deo, molestissimum hoc septum, quod arcet ab accessu, de medio tollamus. Audi jam ex rebus ipsis id quod dicimus comprobari. Apud Corinthios vir quidam illustris tale peccatum admiserat, quale ne apud gentiles quidem memorabatur. Is autem fidelis erat de familiaribus Christi : sunt qui sacerdotem quoque fuisse dicant. Quid igitur? Paulus-ne ipsum a sorte eorum, qui salutem

[1] Luc. xv, 29, 30. — [2] Jerem. xxiii, 23. — [3] Isaï. lix, 2.

consequuntur, abscidit? Nequaquam. Ille quippe est qui sexcenties Corinthios variis modis carpit, quod eum ad pœnitentiam non redegerint : ut autem ostendat nobis nullum esse peccatum, cui remedium afferri non possit, rursum de illo, qui gravius quam gentes peccaverat, ita loquitur : « Tradite illum Satanæ in interitum carnis, ut » spiritus salvus sit in die Domini nostri Jèsu Christi[1]. » Sed id quidem ante pœnitentiam : postquam autem resipuit : « Sufficit, inquit, illi, qui ejusmodi est, objurgatio » quæ fit a pluribus[2] : » scripsitque eis, ut consolarentur eum, et ejus pœnitentiam admitterent, ne circumveniretur a Satana. Item universam Galatarum nationem post susceptam fidem, post patrata signa, et multas pro Christi fide superatas tentationes, lapsos, inquam, Galatas iterum erigit. Quod enim miracula fecissent, ille declarat his verbis : « Qui ergo tribuit nobis spiritum, et operatur virtu» tes in vobis[3]. » Quod vero multa pro fide certamina inierint, id etiam declaravit his verbis : « Tanta passi estis » sine causa, si tamen sine causa[4]. » Attamen post tantum virtutis incrementum, peccatum admiserunt, quod posset eos a Christo alienos facere : de quo ipse hanc profert sententiam : « Ecce ego Paulus dico vobis, si circumci» damini, Christus nihil vobis proderit. » Et iterum, « Qui» cumque in lge justificamini a gratia excidistis[5]. » Attamen post hujusmodi lapsum, ipsos recipit dicens : « Filioli » mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in » vobi[6], » ostendens, etiam post extremam corruptionem posse rursus Christum divinitus efformari in nobis. « Non » enim vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat[7]. »

VIII. Convertamur itaque, o dilectum caput, et voluntatem Dei perficiamus. Ideo quippe nos creavit et pro

[1] 1 Cor. v, 5. — [2] 2 Cor. II, 6. — [3] Galat. III, 5. — [4] Ibid. 4. — [5] Id. v, 2 et 4. — [6] Id. IV, 19. — [7] Ezech. XXXIII, 11.

duxit, ut cœlestium bonorum consortes faceret, ut regnum cœlorum tribueret; non ut in gehennam conjiceret, ignique traderet. Hic enim ignis non propter nos, sed propter diabolum constitutus est. Regnum vero nobis paratum primitus et assignatum est. Utrumque vero subindicat cum dicit iis quidem qui a dextris sunt : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; » iis vero qui a sinistris : « Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, paratum; » non utique vobis, sed « Diabolo et angelis ejus[1]. » Non igitur nobis parata est gehenna, sed diabolo et angelis ejus. Regnum autem a constitutione mundi nobis adornatum est. Ne itaque nos thalami ingressu indignos reddamus. Quandiu enim hic sumus etiamsi millies peccemus, omnia licet eluere peccatorum pœnitentiam exhibentibus. Cum autem illuc abducti fuerimus, etiamsi ingentem pœnitentiam exhibeamus, nihil nobis proderit. Sed quantumvis dentibus frendamus, quantumvis lugeamus, quantumvis obsecremus, ne extremo quidem digito quispiam nobis aliquid refrigerii distillabit. Sed ea ipsa audiemus, audiemus, quæ dives olim ille, nempe, « Magnum chaos inter nos et vos firmatum est[2]. » Resipiscamus itaque, obsecro, dum hic degimus, et Dominum agnoscamus, ut agnoscere oportet. Tunc enim solum de pœnitentia desperandum erit, cum in inferno constituti erimus. Ibi namque solum hoc remedium infirmium inutileque est : dum autem hic versamur, etiamsi in ipsa senectute adhibeatur, vim habet maximam. Quapropter diabolus nihil non machinatur, ut desperationis radicem in nobis ponat : novit enim, si vel tantillum resipuerimus, id non sine mercede futurum esse. Sed sicut is qui calicem aquæ frigidæ porrexerit, depositam habet retributionem, sic is,

[1] Matth. xxv, 34 et 41. — [2] Luc. xvi, 16.

quem de admissis a se facinoribus pœnitet, licet dignam pœnitentiam non exhibeat, ejusdem tamen retributionem accipiet: nihil enim bonorum, quantumvis exiguum sit, a justo judice despicietur. Nam si peccata cum tanta accuratione disquiruntur, ut etiam de verbis et cogitationibus pœnas demus; quanto magis bona opera, seu magna, seu parva fuerint, nobis illo tempore computabuntur. Quare licet ad pristinam illam diligentiam redire non valeas, sed quovis tandem modo a præsenti morbo et luxuria te abducas, ne hoc quidem tibi infructuosum erit. Fac ineas opus, et aditum ad certamina aperias: quandiu enim extra manebis, jure tibi difficile arduumque videbitur. Nam antequam periculum fiat, quantumvis faciles et expeditæ res fuerint, magnam tamen difficultatis speciem præ se ferre solent. Cum autem eas strenuo audacique animo adivimus, magna pars laboris evolat; ac fiducia loco tremoris desperationisque subingressa, metum minuit, facilitatem auget, bonamque spem roborat. Ideo malignus ille Judam ex hac vita abduxit, ne initio resipiscendi facto, per pœnitentiam ad locum unde exciderat, rediret. Ego enim, etsi supra fidem loqui videar, neque illud (Judæ) peccatum majus esse dixerim, quam auxilium, quod nobis a pœnitentia offertur. Quamobrem rogo et obsecro, omni depulsa satanica cogitatione ab anima tua, ad hanc salutem redeas. Si namque confestim ad illud te fastigium conscendere juberem; id jure moleste ferres, utpote rem difficillimam; cum autem id tantum nunc postulem, ut præsentibus malis nihil adjicias, sed surgens ad iter contrarium te convertas, quid cunctaris? Cur refugis, et ad posteriora te retrahis? Annon vidisti quosdam qui in deliciis, et in ebrietatibus, et in reliquo hujus vitæ ludibrio mortui sunt? Ubi nunc sunt qui tumidi superbia cum multis sequacibus per forum incedebant? Qui sericis

induti vestibus et unguentum olentes, parasitosque alentes, scenæ semper affixi erant? Ubi nunc ostentatio illa et pompa? Abiit cœnarum sumptus, musicorum turba, assentantium clientela, risus immodicus, animi remissio, mentis effusio, vita mollis, otiosa, luxu perdita. Quo nunc evolarunt omnia? Quid factum est de corpore, quod pridem tanto famulitio, tanta munditia abundabat? Perge nunc ad sepulcrum; contemplare pulverem, cineres, vermes, loci deformitatem intuere, et amare suspira. Atque utinam ad cineres damnum sisteret. Jam autem a sepulcro et a vermibus, cogitatum transfer ad immortalem illum vermem, ad ignem inextinguibilem, ad fremitum dentium, ad tenebras exteriores, ad afflictionem et angustiam, ad parabolam Lazari et divitis, qui tot pecuniis instructus, purpuraque indutus, ne stillam quidem aquæ postea in potestate habuit, in tanta calamitate constitutus. Hujus enim vitæ conditio somniis nihilo melior est : quemadmodum enim, qui metalla effodiunt, aut aliam quamdam pœnam luunt hac graviorem, si quando sub duris illis laboribus et acerbissima vita dormitantes per somnium se viderint in deliciis, et rerum affluentia, experrecti postea, nullam somniis gratiam habent; sic et dives ille, cum in præsenti vita, quasi in somnio, divitiis abundasset, posteaquam hinc emigraverat, duro supplicio plectebatur. Hæc cogita, et ignem illum conferens cum eo, quo nunc detineris, cupiditatum incendio, tandem a fornace illa te expedi. Nam qui hanc hic probe restinxit, nec illam aliam experietur : si quis vero hanc non superaverit, vehementius hinc profectus in illa tunc cruciabitur. Quanto tempore vis tibi præsentis vitæ usuram extendi? Equidem non puto tibi plus quinquaginta annis vitæ superesse, ut ad extremam senectutem venias; imo ne hoc quidem certum nobis est : nam qui ne usque ad vesperam de vita securi

sumus, quomodo tot fore vitæ annos affirmare possumus? Neque id tantum latet; sed etiam futura rerum mutatio. Persæpe enim licet vita in longum tempus producatur, non pari gradu procedunt voluptates: sed statim atque affluerunt, dilabuntur. Verum per me licet pone si vis te tot annos victurum esse, nec ullam fore in rebus tuis mutationem: quid hoc est ad infinita sæcula? quid hoc ad acerbos illos et intolerabiles cruciatus? Hic enim tam bona, quam mala finem habent, et quidem celerrimum; illic vero utraque immortalibus sæculis æquantur: nec dici potest quantum differant a præsentibus.

IX. Etenim cum ignem audis, cave putes esse huic igni similem: hic enim quidquid corripit, devorat et absumit; ille vero quos semel apprehendit, perpetuo comburit, nec unquam desistit; ideoque inextinguibilis dicitur. Siquidem etiam peccatores oportet induere immortalitatem, non ad honorem; sed ut perpetuum sit illius supplicii viaticum. Id vero quam sit horrendum, nullo unquam potest sermone declarari; sed a minimarum rerum experimento, tenuem magnarum possumus conjecturam capere. Si quando fueris in balneo nimium effervescente, tunc de gehenna ignis cogita: et si quando acriori febre arseris, ad flammam illam mentem traducito; et tunc poteris probe distinguere. Nam si balneum et febris nos adeo cruciant et conturbant, cum in fluvium ignis illum inciderimus, fluentem ante horrendum illud tribunal quo animo futuri sumus? Sane dentibus stridebimus oppressi laboribus et intolerandis cruciatibus, et nemo suppetias feret; sed ingemiscemus graviter, flamma nobis vehementius instante. Neminem videbimus præter cruciatum consortes, et immanem solitudinem. Quis enarraverit terrores a tenebris illis injectos animis nostris? Quemadmodum enim ignis ille non consumit, ita neque

lucet : alioquin non essent tenebræ. Perturbationem itaque nobis immissam, tremorem, resolutionem, stuporem, illud solum tempus declarare potest. Multa quippe illic variaque tormenta, cruciatuumque ingens procella undique immittitur in animam. Quod si quis dixerit : Quomodo tantam vim cruciatuum ferre possit anima, et infinitis sæculis in supplicio perdurare? is cogitet ea quæ in hac vita contingunt, quomodo scilicet multi diuturnum gravemque morbum toleraverint. Si autem mortem obierint; id accidit non quod anima consumpta sit, sed quod corpus defecerit, si non cessisset illud, nunquam anima cruciari desiisset. Quare postquam corpus hoc incorruptibile et indissolubile acceperit, nihil impediet quominus pœna in æternum protrahatur. Hic autem non potest utrumque simul contingere, vehementia nempe supplicii et diuturnitas : sed alterum cum altero pugnat, eo quod corporis natura corruptioni obnoxia earum concursum non ferat : immortalitate autem succedente, solvetur hæc pugna, et magna cum violentia in æternum nos utraque mala tenebunt. Ne itaque, ac si cruciatuum vehementia animam nostram consumi oporteat, eo modo nunc affecti simus : neque enim corpus tunc consumi poterit ut in præsenti; sed cum anima æternum in suppliciis manebit, nec finis ullus erit. Quantas igitur delicias et quantum temporis illis suppliciis vis comparari? Vis-ne centum annos, aut duplo amplius? Quid hoc erit si comparetur cum sæculis infinitis? quod enim est somnium unius diei ad totam vitam collatum, idipsum est rerum præsentium usura, futurorum statui comparata. Num aliquis est, qui suave somnium optet, ea conditione ut per totam vitam crucietur? Ecquis ita stultus est, ut ad talem retributionem accedat? Nihildum dicam contra delicias, nec quanta illic resideat amaritudo nunc aperiam. Neque enim jam

tempus est hæc enarrandi, sed cum primum eas effugere potueris. Nunc etenim quia morbo illo detineris, nugari tibi videamur, si voluptatem amaram dicamus : cum autem per Dei gratiam ab ægritudine liberatus fueris, tunc ejus miseriam probe cognosces. Quare iis in aliam opportunitatem transmissis, hoc nunc dicemus. Ponamus delicias esse vere delicias, et voluptatem vere voluptatem, nihilque habere ingratum vel vituperio dignum : quid de supplicio destinato dicemus? Quid vero tunc faciemus, qui in præsenti vita his quasi in umbra et imagine potiti sumus; re autem ipsa illic æternum supplicium luemus : idque cum brevissimo tempore prædictos cruciatus effugere, et reposita bona adipisci licuisset? Hoc est enim opus clementiæ divinæ, quod nobis certamina non in longum tempus protrahantur; sed cum brevi et in ictu oculi, (momentanea enim est præsens vita illi comparata,) decertaverimus, infinitis in sæculis coronemur. Idque tunc damnatorum animas excruciabit, quando cogitabunt, se cum possent per paucos istos dies omnia emendare, negligentia usos immortalibus sese malis tradidisse. Quod ne patiamur, surgamus, donec tempus acceptabile, donec dies salutis adest, donec vis magna est pœnitentiæ. Neque enim prædicta solum mala nos segniter agentes excipient, imo et alia illis multo graviora. Ea enim quæ gehenna parantur, iis longe sunt acerbiora. A tantis autem excidisse bonis tantum infert doloris, afflictionis, angustiæ; ut etiamsi nullum aliud esset supplicium peccatoribus destinatum, illud solum posset graviorem aliis gehennæ cruciatibus inferre pœnam animæque perturbationem.

X. Animo tecum reputa vitæ illius statum et conditionem, quantum scilicet capere potes : nam pro rei dignitate nullo sermone declarari valet : sed ex iis quæ audivimus quasi per ænigmata, obscuram quamdam ejus

rei conjecturam faciamus : « Aufugit, inquit, dolor, tristitia et gemitus. » Quid igitur ea vita felicius est? Non est ibi metuenda paupertas et ægritudo, nullus ibi lædit, nullus læditur, nullus irritat nec irritatur, nullus irascitur, aut invidet, aut absurda concupiscentia exardescit, nemo de necessariorum commeatu anxius est, nemo super magistratu aut principatu dolet. Omnis enim affectuum procella, sedata extinguitur : omnia in pace, lætitia et gaudio; omnia tranquilla et serena; omnia dies, splendor, lux : non lux hodierna; sed alia tanto hac splendidior, quanto lucerna lux diei. Nulla ibi nox : neque lux illa nubium concursu obscuratur, nec ardet, nec corpora adurit. Nulla nox, neque vespera, non frigus, nec æstus, non alia tempestatum mutatio. Sed alius adest status talisque, qualem ii solum intelligent, qui adepti fuerint. Non illic senectus, nec senectutis incommoda, sed omnia, quæ ad corruptionem spectant, de medio tolluntur, quia incorruptibilis gloria ubique dominatur. Quodque omnium optimum est, Christi consortio fruentur cum Angelis, cum Archangelis, cum superioribus Potestatibus. Contemplare nunc cœlum, ea quæ super cœlos sunt cogitatu transcende : cogita totius creaturæ transmutationem; non enim ut nunc est manebit, sed multo pulchrior erit et clarior; et quantum plumbo fulgidius est aurum, tantum hac rerum præsentium conditione præstantior erit illa, quemadmodum ait beatus Paulus : « Quia et ipsa creatura » liberabitur a servitute corruptionis[1]. » Nunc enim, utpote corruptionis particeps, multa patitur, quæ corpori conveniunt; tunc vero his omnibus exuta, incorruptibilem nobis decorem exhibebit? Quoniam enim natura incorruptibilia corpora acceptura est, ipsa quoque demum in melius commutabitur. Nulla tunc erit seditio aut pugna :

[1] Rom. VIII, 21.

magna quippe erit in choro sanctorum concordia, omnibus semper inter se consentientibus. Non illic diabolus timendus, non dæmonum insidiæ, non gehennæ comminatio, non mors, neque humana hæc, neque illa alia multo gravior: sed omnis hujuscemodi metus solutus est. Ac sicut puer regius, primum simplici modo educatur, timoribus atque minis coërcetur, ne per indulgentiam pejor evadat, seque paterna indignum reddat hæreditate; postquam autem regiam dignitatem adeptus est, his omnibus confestim depositis, purpura diademateque ornatus, ac numeroso satellitio stipatus, magna cum libertate præsidet, abjecto ab anima sua statu illo humili atque demisso, aliaque substituta rerum conditione; ita tunc continget sanctis omnibus. Ne putes autem hæc ceu quadam verborum pompa jactari, ad montem pergamus ubi Christus transfiguratus est: contemplemur illum splendore magno fulgentem, licet tamen ipse non totum futuri sæculis plendorem exhibuerit. Nam quod attemperatione quadam, non accurata rerum demonstratione, talis apparuerit, ex ipsis Evangelistæ verbis ostenditur. Quid enim ait? « Resplen» duit sicut sol[1]. » Incorruptibilium autem corporum gloria non tantam emittit lucem, quantam corpus hoc corruptibile, neque talem ut a mortalibus oculis videri possit; sed incorruptibilibus et immortalibus oculis est opus ad ejus contemplationem. In monte autem tantam ipsis aperuit, quantam sine oculorum læsione ferre poterant: neque tamen sustinere potuerunt, sed ceciderunt in faciem suam. Dic mihi, quæso, si quis te in locum quemdam splendidum induceret, ubi omnes sederent aureis induti vestibus, et in medio cœtu alium ostenderet, qui et vestem et capitis coronam haberet ex lapidibus tantum pretiosis compactas, deindeque polliceretur te in numerum hujus

[1] Matth. XVII, 2.

populi ascriptarum esse; annon quidvis faceres, ut tale promissum consequerere. Aperi nunc oculos, et illud respice theatrum, non hujusmodi viris frequentatum, sed iis, qui et auro et lapidibus pretiosis, et radiis solaribus, et omni, qui sub aspectum cadit, splendore, longe digniores sunt; non hominibus modo, sed etiam iis qui homines multo spatio antecellunt, Angelis nempe, Archangelis, Thronis, Dominationibus, Principatibus, Potestatibus. De Rege namque, qualis sit ne dicere quidem possumus; adeo sermonem et mentem omnem excedit ejus pulchritudo, species, splendor, gloria, majestas, magnificentia. Tot-ne bonis, dic mihi, nos privabimus, ut declinemus exigui temporis laborem? Nam si millies quotidie moriendum esset, si gehenna ipsa sustinenda foret, ut Christum in gloria sua venientem conspiceremus, et Sanctorum choro annumeraremur, nonne omnia illa ferenda essent? Audi quid dicat beatus Petrus: « Bonum » est nos hic esse[1]. » Quod si ille obscura quadam conspecta futurorum imagine, omnia statim rejecit ab animo, ob inditam a tali visione voluptatem: quid dicetur quando ipsa rerum veritas aderit, quando apertis regiis ædibus, ipsum Regem conspicere licebit, non ultra in ænigmate, neque per speculum, sed facie ad faciem; non ultra per fidem, sed per speciem?

XI. Multi sane sunt, qui absurdo judicio usi, a gehenna solum liberari peroptant; ego vero gehenna multo graviorem esse pœnam puto, non assecutum esse gloriam illam, indeque excidisse: nec opinor adeo lugendum esse de gehennæ malis, ut de amisso cœlorum regno: hic enim est cruciatus omnium acerbissimus. Nunc certe cum regem videmus frequenti cum satellitio regiam adeuntem, clientes ejus, sermonis, consilii et gloriæ participes,

[1] Matth. XVII, 4.

beatos prædicamus, nosque miseros, etsi infinitis bonis abundemus, quorum sensum non percipimus, eorum gloriam intuentes; etiamsi compertum sit nobis, hunc splendorem fallacem esse, minimeque certum, tum ob bella, tum ob insidias, invidiamque, tum etiam, quod iis omnibus sepositis, ipse per se pro nihilo habendus sit: ac ubi agitur de Rege universorum, qui non partem, sed gyrum totum terræ possidet, imo qui totam illam pugno complectitur, et palmo cœlos, qui portat omnia verbo virtutis suæ, cui omnes gentes, quasi nihil, et quasi saliva computantur, annon putabimus extremum esse supplicium, si in choro ipsi circumposito non constituamur? An sat nobis esse credemus, si gehennam effugerimus? Quid anima sic affecta miserius? Rex enim ille non jugo alborum mulorum, non aureo curru vectus, non purpura nec corona ornatus, non sic, inquam, judicaturus terram veniet? Quomodo igitur? Audi Prophetas clamantes et dicentes, quantum hominibus dicere fas est: alius quidem ait: « Deus » manifeste veniet, Deus noster, et non silebit: ignis in » conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas » valida. Advocabit cœlum desursum, et terram discernere » populum suum[1]. » Hesaïas vero supplicium nobis proponit his verbis: « Ecce dies Domini venit insanabilis furoris » et iræ, ad ponendum totum orbem terrarum desertum, » et ad perdendum peccatores ex eo. Nam stellæ cœli, et » Orion, et omnis ornatus cœli, lucem suam non dabunt: » et obtenebrescet sol in exortu suo, et luna non dabit » lumen suum. Et mandabo universo orbi mala, et impiis » peccata sua. Et perdam contumeliam iniquorum, et con» tumeliam superborum humiliabo: et erunt, qui relicti » fuerint, pretiosiores, quam aurum incoctum, et homo » pretiosior erit, quam lapis ex Suphir. Etenim cœlum

[1] Psal. XLIX, 3, 4.

» concutietur, et terra commovebitur a fundamentis suis, » propter furorem iræ Domini Sabaoth in die, qua super- » veniet furor ejus[1]. » Et rursum, « Fenestræ, inquit, de » cœlo aperientur, et commovebuntur fundamenta terræ : » turbatione turbabitur terra, egestate egebit, agitatione » agitabitur sicut ebrius et crapulans : concutietur sicut » tugurium pomarium. Terra cadet nec poterit resurgere : » invaluit enim super eam iniquitas. Et inducet Deus super » ornatum cœli in alto manum suam in die illa, et super » regna terræ : et congregabunt congregationem ejus in » carcerem, et occludent in munitionem[2]. » Malachias item his consona locutus est : « Ecce venit Dominus omnipo- » tens, et quis sustinebit diem ingressus ejus? aut quis » subsistet in visione ejus? Quia ipse ingreditur sicut ignis » conflatorii, et sicut herba lavantium : et sedebit conflans » et purgans quasi argentum et aurum[3] : » et rursum, « Ecce, inquit, dies Domini venit accensa ut fornax, et » inflammabit eos. Et erunt omnes alienigenæ, et omnes » operantes iniqua, arundo : et accendet eos dies ventura, » dicit Dominus omnipotens. Nec relinquetur radix, neque » palmes[4]. » Vir autem ille Desideriorum : « Videbam, in- » quit, donec throni positi sunt, et Antiquus dierum se- » debat, et vestimentum ejus sicut nix album, capillus » capitis ejus quasi lana munda. Thronus ejus flamma ignis, » et rotæ ejus ignis inflammans. Fluvius ignis trahebat » progrediens ante eum. Mille millia ministrabant ei, et » decies millies dena millia astabant in conspectu ejus. » Judicium sedit, et libri aperti sunt. » Et paucis interpo- sitis, « Videbam, inquit, in visione noctis, et ecce cum » nubibus cœli quasi Filius hominis veniens erat, et usque » ad Antiquum dierum pervenit, et coram eo oblatus est,

[1] Isaï. XIII, 9-13. — [2] Id. XXIV, 18-22. — [3] Malach. III, 1-3. — [4] Id. IV, 1.

» et ipsi datum est imperium, honor et regnum : et omnes » populi, tribus et linguæ ipsi serviunt. Potestas ejus, po- » testas sempiterna, quæ non præteribit; et regnum ejus » non destruetur. Inhorruit spiritus meus, ego Daniel in » habitu meo, et visiones capitis mei conturbabant me[1]. » Tunc aperientur omnes cœlestium fornicum portæ; imo et ipsum cœlum e medio subducetur. « Volvetur enim, in- » quit, cœlum quasi liber[2] : » veluti cujusdam tabernaculi pellis atque velum e medio contrahitur, ita ut in melius commutetur. Tum omnia stupore, horrore atque tremore completa erunt. Tum etiam metus ingens Angelos ipsos occupabit; neque Angelos tantum, sed etiam Archange- los, Thronos, Dominationes, Principatus, et Potestates. « Virtutes enim, ait, cœlorum commovebuntur[3], » quia ipsorum conservi pœnas daturi sunt de peracta in mundo vita. Nam si cum de una civitate judicium instituitur, his magistratibus, inhorrescunt omnes etiam ii, qui extra periculum sunt, cum de universo orbe judicabitur a tali judice, qui neque testibus, neque probationibus indiget, sed absque his omnibus, et opera et verba et cogitationes in medium adducit, omniaque ceu in imagine et peccan- tibus, et ignorantibus demonstrat, quomodo fieri potest, ut quælibet virtus non tremat et concutiatur? Licet enim fluvius igneus non traheretur, neque Angeli astarent for- midabiles; soli autem homines convocati, alii laudibus et præconiis celebrarentur; alii cum ignominia abjicerentur, ne viderent gloriam Dei; « Tollatur, inquit, impius, ne » videat gloriam Domini, » nonne quavis gehenna acer- bius, vel id solum quod a tantis excidissent bonis, abjec- torum animas excruciaret? Illud vero quantum sit malum, nunc quidem sermone declarari nequit; tunc vero ex re ipsa manifeste cognoscemus. Tu vero nunc his adde, sup-

[1] Dan. VII, 9-15. — [2] Isaï. XXXIV, 4. — [3] Matth. XXIV, 29.

plicium illud, neque tantum homines pudore suffusos, vel operto capite, et oculis in terram defixis, sed etiam tractos per viam quæ tendit ad ignem, et ad tormenta abreptos, traditosque immanibus potestatibus: idque eo tempore, quo coronantur, celebrantur thronoque regio sistuntur ii, qui bona egerunt, et gestis suis æterna vita digni sunt.

XII. Et hæc quidem illa die; quæ vero post futura sunt quis sermo nobis exprimat, voluptatem nempe ex Christi consortio, utilitatem, gaudium? Anima quippe ad propriam reducta nobilitatem, quæ deinde Dominum suum cum libertate conspicere valet, quanta voluptate afficiatur et quantum lucri referat, enarrari nequit: læta scilicet, non tantum quod bonis præsentibus fruatur, sed quod certa sit ea nunquam desitura esse. Hanc certe lætitiam nec verbis exprimere, nec mente capere possumus: obscure tamen, quatenus possunt magna parvis declarari, eam describere tentabo. Perpendamus eos qui in præsenti vita hujus mundi commodis fruuntur, divitiis, inquam, magistratu, gloria: quo pacto scilicet de bona fortuna superbientes, neque se in terra positos arbitrantur; tametsi iis bonis fruantur, quæ neque bona esse creduntur, neque in eorum possessione permanent, sed somnio velocius avolant: quod si paulisper aliquando consistant, in præsenti solum vita usui esse possunt, nec ulterius una progredi valent. Si autem hujusmodi bona dominos tanto gaudio extollunt, quid futurum putas de animabus illis, accersitis ad infinita illa, quæ in cœlis sunt, bona, quæ firma semper et immota manent? Neque ea re solum antecellunt, sed etiam magnitudine et conditione sua ita præsentibus præstantiora sunt, ut neque in cor hominis id ascendere possit. Nunc etenim quemadmodum in utero infans, sic in hoc mundo angustiis conclusi degimus, nec possumus futuri sæculi splendorem

et libertatem contueri: at ubi partus tempus advenerit, omnesque homines, quos susceperat, hic mundus ad diem judicii protulerit; abortivi quidem e tenebris in tenebras ingredientur, et ex angustiis in angustias graviores; maturi autem fœtus, qui regiæ imaginis formam et notas servarunt, Regi sistentur, illudque ministerium capessent, quod Angeli et Archangeli universorum Deo perhibent. Ne itaque hos characteres, o amice, usque in finem delere velis, sed eos quamprimum instauratos in meliorem formam reducas. Nam pulchritudinem quidem corpoream intra naturæ limites conclusit Deus: animæ vero decor illic a necessitate servitutis liberatur, utpote corporea forma longe præstantior: atque in nobis et in Dei nutu situs est totus. Siquidem Dominus noster beneficus cum sit, hoc maxime dono genus nostrum exornavit, ut quæ minora sunt, nec magni intersunt, nec refert quidpiam si intercidant, ea naturæ necessitati addixerit; verorum autem bonorum nos opificos esse concesserit. Atenim si pulchritudinis corporeæ nos dominos reddidisset, superfluam sollicitudinem suscepissemus, atque in rebus infructuosis totum tempus impendissemus, animæ cura prorsus neglecta. Cum enim negata nobis hujusmodi facultate nunc omnia faciamus, omnia moliamur, ac cum veram assequi speciem nequeamus, pigmentis illam nobis vindicemus, ac coloribus, picturis, capillorum concinnitate, vestium amictu, oculorum lubricitate; aliisque multis machinis falsam pulchritudinem ementiamur, quodnam studium animæ et rebus honestis poneremus, si corpus in pulchram formam mutare possemus? Nullam fortasse aliam operam susciperemus, si hæc nostræ facultatis esset, sed totum consumeremus tempus ut servam infinitis ornamentis decoraremus, dum domina plus, quam vile mancipium, in deformitate et segnitie jaceret. Qua de causa Deus,

adempta infelici cura, melioris rei artem nobis indidit; ita ut qui corpus ex deformi elegans reddere non potest, is possit animam, etiamsi in extremam deformitatem deciderit, in summam pulchritudinem reducere, adeoque amabilem jucundamque reddere, ut non probi tantum viri, sed etiam omnium rex et Deus in ejus concupiscentiam veniat: quemadmodum et Psalmista de illa pulchritudine loquitur: « Et concupiscet rex decorem tuum [1]. » Annon vides in lupanaribus, deformes et impudentes mulieres ne a gladiatoribus quidem, fugitivis, et iis qui cum bestiis depugnant admitti; si qua vero sit formosa, ingenua et pudibunda, quæ calamitate quadam in talem inciderit necessitatem, eam uxorem ducere ne viros quidem magnos et splendidæ fortunæ erubescere? Quod si tanta est apud homines misericordia, et tantus gloriæ contemptus, ut sæpe illas quæ in fornice ignominia sunt affectæ, ab illa servitute liberent, et pro conjugibus habeant, quanto major apud Deum erit erga animas, quæ per tyrannidem diaboli a prisca illa nobilitate in præsentis vitæ lupanar reductæ sunt? Hujusmodi exempla passim apud Prophetas reperias, cum Jerusalem alloquuntur, quæ utique fornicationem inciderat; imo fornicationem novi generis, quemadmodum ait Ezechiel: « Omnibus meretricibus dantur » mercedes, tu vero mercedes dabas, et apud te diverso » modo agitur, quam apud cæteras [2] : » Et alius, « Sedisti » expectans eos tanquam cornix deserta [3]. » Hanc itaque sic fornicatam rursum evocat Deus. Etenim captivitas non tam ad vindictam acciderat, quam ad conversionem et emendationem. Siquidem si eos prorsus ulcisci voluisset Deus, non reduxisset domum, nec urbem majorem et splendidiorem, nec templum itidem denuo excitasset: « Erit enim, ait, gloria domus hujus novissima præstantior

[1] Psal. XLIV, 13. — [2] Ezech. XVI, 33. — [3] Jerem. III, 4.

» priore[1]. » Quod si Deus sæpe conspurcatam libidine a pœnitentia non exclusit, multo magis animam tuam amplexabitur, quæ nunc primum lapsa est. Nemo enim, nemo corporeæ amator formæ, quantumlibet insanus, tanta amicæ suæ ardet concupiscentia, quanto studio Deus animarum nostrarum appetit salutem, quod tum ex iis quæ quotidie accidunt, tum ex divinarum Scripturarum dictis videre licet. Observa tam in ipso Jeremiæ exordio, quam alibi passim apud Prophetas, quomodo despectus et contemptui habitus, rursum instet amicitiam eorum, qui ab se aversi fuerant, exquirat : quod etiam ipse in Evangeliis declarat his verbis : « Jerusalem, Jerusalem, quæ » occidis Prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt, » quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gal- » lina congregat pullos suos sub alas, et noluistis[2] ? » Et Paulus in Epistola ad Corinthios dicebat : « Quoniam Deus » erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans » illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconci- » liationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam » Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, recon- » ciliamini Deo[3]. » Hæc ad nos nunc dicta putato : non enim incredulitas tantum, sed etiam vita immunda odiosam hanc inimicitiam excitare potest : « Nam sapientia » carnis, inquit, inimicitia est Deo[4]. » Destruamus igitur hoc septum, ac diruamus, mortuumque ponamus, ut beatam reconciliationem adipiscamur, ut reddamur iterum amabiles et desiderabiles Deo.

XIII. Scio te nunc Hermiones formam mirari, nihilque in terris ejus pulchritudini par esse putare. Verum si velis, o amice, tanto illa elegantior et pulchrior eris, quanto luteis aureæ statuæ. Nam si in corpore pulchritudo multorum animos ita percellit et excitat, quando ea in

[1] Agg. II, 1. — [2] Matth. XXIII, 37. — [3] 2 Cor. V, 19, 20. — [4] Rom. VIII, 7.

anima refulserit, quid hujusmodi speciei ac pulchritudini simile fuerit? Siquidem hujus pulchritudinis substantia nihil aliud est, quam phlegma, sanguis, humor, bilis, et cibi mansi succus. His quippe rebus oculi, genæ et reliqua membra irrigantur; quod si irrigationem hujusmodi a ventre et a jecore promanantem non quotidie accipiant, cute indecore marcescente, oculisque depressis, oris species tota continuo avolat; ita ut si consideres, quæ pulchritudo insit oculis, quæ recte compositis naribus, quæ corpori et genis, nihil aliud esse corporis pulchritudinem dicas, quam sepulcrum dealbatum, tanta nempe intus sorde plenum est. Deinde pannum si videris intinctum hujusmodi rebus, pituita videlicet aut fluore, ne extremis quidem digitis contingere, imo nec respicere audes, et tamen hujusmodi rerum conclavia et apothecas plurimi facis. At pulchritudo tua non hujusmodi erat, sed ita præstantior illa, ut cœli terram antecellunt; imo cœlis ipsis multo splendidior et melior. Animam quippe nudatam corpore nemo hactenus vidit: aliunde tamen ejus tibi pulchritudinem demonstrare tentabo, a potentiis nimirum majoribus. Audi igitur quomodo virum Desideriorum illarum decor perculserit: cum vellet enim earum pulchritudinem declarare, nec posset corpus his simile reperire, ad metallicam materiam confugit, neque his contentus, fulguris splendorem in exemplum attulit. Etsi autem illæ non puram nudamque substantiam suam ostenderint, sed obscure admodum, ac velut in umbris; ita tamen resplenduerunt, ut eas apparere verisimile est cum omne velamentum remotum fuerit. Tale quidpiam de pulchritudine animæ cogitare oportet. « Erunt, inquit, sicut Angeli[1]. » In corporibus quoque ea, quæ leviora et tenuiora sunt, quæque per viam feruntur ad incorporea tendentem,

[1] Luc xx, 36.

longe præstantiora et mirabiliora cæteris habentur. Cœlum igitur terris, ignis aquis, stellæ lapidibus pretiosis, longe speciosiora sunt : Iridem multo magis, quam violas, rosas cæterosque omnes terræ flores admiramur. In summa si posses animæ pulchritudinem oculis corporeis intueri, corporea hæc exempla derideres, usque adeo tenuiter nobis animæ formam decoremque delineant. Ne, quæso, talem possessionem, et hujusmodi felicitatem negligamus : cum maxime facilis nobis aditus ad illam pulchritudinem detur per spem futurorum : « Momentaneum enim, inquit, et leve » tribulationis nostræ supra modum in sublimitate, æter- » num gloriæ pondus operatur, non contemplantibus nobis » quæ videntur, sed quæ non videntur : quæ enim viden- » tur temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna[1]. » Quod si « Tribulationes, » quas nosti, leves vocavit beatus Paulus, quia non respicitur ad ea quæ videntur, multo levius et facilius erit libidinem sedare. Nondum enim ad pericula te illa vocamus, non ad mortes quotidianas, non ad plagas frequentes, verbera, vincula, inimicitias cum orbe terrarum, non ad odia domesticorum, non ad vigilias frequentes, longe peregrinationes, naufragia, latronum incursus, cognatorum insidias, dolores amicorum causa; non ad famem, frigus, nuditatem, exustionem, mœstitiam pro rebus sive tuis, sive non tuis. Nihil horum jam postulamus; sed id solum rogamus, a maledicta servitute liberes te, et ad pristinam libertatem revertare, tecum reputans et libidinis pœnas, et debitum pristinæ virtuti tuæ præmium. Nam quod increduli circa resurrectionem segniter affecti sint, nec unquam inde metum suscipiant, nihil certe mirum est : sed quod nos qui de futuris magis, quam de præsentibus rebus persuasi sumus, tam misere degamus, tam calamitose, nulloque sensu ex earum me-

[1] Cor. 1, 17, 18.

moria afficiamur, sed in extremam incuriam delabamur, id sane amentiæ plenum est. Siquidem nos fideles, eadem quæ infideles illi facimus : imo miserabilius quam illi affecti sumus : non desunt enim inter illos qui humana virtute claruerint. Quæ nobis erit consolatio, quæ demum venia? Multi quidem mercatores naufragium passi non animo conciderunt, sed eadem institere via; quanquam id damni non ex segnitie evenerit sibi, sed vi ventorum : nos autem, quibus de bono fine semper sperare licet, cum probe sciamus, neque naufragium, neque detrimenti quidlibet invitis nobis obventurum esse ; annon rem aggrediemur? annon eamdem, quam prius, mercaturam resumemus, sed supini consertis apud nos manibus jacebimus? Et utinam apud nos tantum, et non etiam contra nos, quod apertæ insaniæ est. Nam si quis pugil omisso adversario, in caput suum manus converteret, faciemque suam contunderet, annon eum inter furiosos annumeraremus? Supplantavit nos diabolus ac dejecit : quapropter resurgere oportet, curareque ne abripiamur, neve nos præcipites demus, neu ejus plagis alias a nobis ipsis illatas adjiciamus. Siquidem beatus David in lapsum decidit tuo similem, imo et alium adjecit, nempe homicidium. Quid igitur? Num prostrastus mansit? Annon statim erexit se, strenueque bellum paravit contra inimicum? Imo ita fortiter ipsum debellavit, ut etiam mortuus progeniei suæ præsidio esset. Salomoni quippe ingens flagitium aggresso, et mille mortes promerito, propter David regnum integrum se relinquere dicit Deus his verbis : « Scindens scin- » dam regnum tuum de manu tua, et dabo illud servo tuo. » Verum in diebus tuis hoc non faciam. » Quare? « Prop- » ter David patrem tuum : de manibus filii tui illud acci- » piam[1]. » Ezechiæ quoque de summa rerum periclitanti,

[1] 3 Reg. XI, 11, 12.

quanquam justus esset, propter beatum illum virum auxilium promisit. « Protegam, inquit, urbem hanc, ut servem » eam propter me et propter David puerum meum[1]. » Tanta est pœnitentiæ virtus. Porro si ea, qua tu nunc, sententia fuisset, Deum non posse deinceps placari : et si intra se dixisset : Honore magno me affecit Deus, inter Prophetas constituit, in contribules imperium tradidit, sexcentisque me periculis exemit : quo modo post tot beneficia lapsus, et extrema ausus facinora, possim eum denuo mihi propitium reddere? Si hæc in mente habuisset : non solum ea, quæ postea recte gessit, non effecisset, sed etiam priora pessum dedisset.

XIV. Neque enim solum corporis, sed etiam animæ vulnera inducunt mortem. Attamen eo insipientiæ venimus, ut illa diligenter curemus, hæc negligamus : quanquam corpus insanabili sæpe morbo laboret, nihil tamen de salute desperamus : ac licet medici frequenter dicant, morbo non posse remedium afferri, instamus nihilominus rogantes aliquam vel tantillam afferri consolationem : in morbis autem animæ, quorum nulli insanabiles sunt, quippe qui a naturæ necessitate non procedant, ac si alienæ essent infirmitates perinde negligenter agimus, imo desperamus : atque ubi natura morbi deploratam valetudinem esse suadet, ac si spes esset multa salutis, curam adhibemus; ubi vero nulla desperandi causa, despondemus animum, et ab omni cura absistimus : usque adeo majorem corporis, quam animæ, rationem habemus. Quapropter ne corpus quidem servare possumus : nam qu quodpræcipuum est negligit, et in minoribus omnem sollicitudinem ponit, utraque destruit et perdit : qui autem ordinem servat, et quod prius est maxime curat, etiamsi quod posterius est negligat, per salutem illius hoc etiam

[1] 4 Reg. XIX, 34.

conservat. Id vero Christus nobis declarat his verbis: « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem » non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest » et animam et corpus perdere in gehenna[1]. » Numquid jam tibi persuasum est nunquam de animæ morbis quasi insanabilibus desperandum esse, an vero necesse est et alia adhibere ratiocinia? Quantumlibet enim ipse animum despondeas, nos nunquam de te desperabimus: neque id quod aliis vitio vertimus, ipsi admittemus; licet non par et æquale sit, aliquem de se ipso desperare, aut alium de ipso. Nam qui de alio talem habet opinionem, cito veniam obtinebit; qui autem de se ipso, non item. Quare? Quia ille quidem ejus studium et pœnitentiam in potestate non habet: sed ipse solus obtinet. Nihilo magis tamen ideo de te desperabimus, etiamsi tu millies animum despondeas. Fortasse enim, fortasse inquam, aliquis ad virtutem regressus, aliqua pristinæ vitæ redintegratio dabitur. Audi sequentia. Ninivitæ, audito Propheta vehementer comminante, « Adhuc tres dies, et Ninive subvertetur[2]; » ne ita quidem animo conciderunt, sed etiamsi nulla de Deo exorando spes videretur esse, imo potius contrarium ex oraculo suaderetur, non enim cum distinctione quapiam id dictum fuerat, sed apertum decretum erat; nihilo tamen minus pœnitentiam exhibuere dicentes: « Quis scit num » pœnitentiam aget, et exorabitur Deus, et avertetur ab » ira furoris sui, et non peribimus? Et vidit Deus opera » eorum, quod aversi essent a viis suis malis. Et pœnituit » Deus super malitia, quam dixerat se facturum, et non » fecit[3]. » Quod si homines barbari et indocti tantum potuerunt intelligere, multo magis nos id facere oportet, qui divinis dogmatibus eruditi sumus, et multa hujusmodi exempla tam verbis quam operibus exhibita vidimus. « Non

[1] Matth. x, 28. — [2] Jon. III, 4. — [3] Ibid. 9, 10.

» enim, inquit, sunt consilia mea sicut consilia vestra, » neque viæ meæ sicut viæ vestræ. Sed quantum distat cœlum a terra, tantum distant cogitationes meæ a co- » gitatione vestra, et consilia mea consiliis vestris [1]. » Si vero famulos nostros qui sæpe deliquerint, cum promittunt se meliores futuros, et admittimus et in pristinum honorem restituimus, imo frequenter majorem ipsis fiduciam damus; multo magis id facturus ille est. Nam si ideo nos fecisset ut supplicio afficeret, jure desponderes animum ac de salute tua dubitares : si vero non alia de causa quam bonitate sua motus, nos creaverit, ut æternis fruamur bonis, atque ideo omnia agit et operatur a prima usque ad præsentem diem; quid nos ad eam dubitationem impellat? Illum vehementer offendimus, et quantum alius nemo. At ideo maxime a præsentibus absistere oportet, et pœnitentiam de præteritis agere, magnamque mutationem exhibere. Neque enim ea, quæ perpetrare ausi sumus, illum tam possunt irritare, quam quod nolimus demum resipiscere. Nam peccare quidem, humanum est; at in peccatis perseverare, id non humanum est, sed omnino satanicum. Animadvertas enim quomodo per Prophetam hoc plus quam illud reprehendat Deus : « Et dixi, » inquit, postquam fornicata est his omnibus : Ad me re- » vertere, et non reversa est [2]. » Et alibi rursum, ut ostendat quam propensus sit ad nostram salutem, quia post multa delicta promiserant se recta via incessuros, cum id audisset, ait : « Quis dabit ut ita sint corda eorum in ipsis » ut timeant me, et custodiant mandata mea omnibus die- » bus suis, ut bene sit eis et filiis eorum in sæculum [3]? » Et Moyses ipsos compellans, hæc dicebat : « Et nunc, » Israël, quid Dominus Deus petit a te, nisi ut timeas Do- » minum Deum tuum, et ambules in omnibus viis ejus, et

[1] Isai. LV, 8, 9. — [2] Jerem. III, 7. — [3] Deut. V, 29.

»diligas ipsum[1]? »Igitur qui expetit a nobis amari, et propter hoc nihil non agit, qui ne quidem filio suo ob amorem nostri pepercit, ac quovis tempore ut cum illo reconciliemur, rem sibi optatissimam habet; quî fieri possit ut pœnitentes non admittat et amplexetur? Audi quid per Prophetam dicat : « Dic tu, ait, iniquitates tuas prior »ut justificeris[2]. »Id vero, quo vehementi in eum amore flagremus, expetit a nobis. Cum enim is qui amat, ab iis qui amantur contumeliis affectus, non tamen extinguit amorem ; non alia de causa illatas contumelias in medium afferri studet, quam ut vehementiam amoris sui declarans, ad arctiorem eos et majorem dilectionem pertrahat. Si autem confessio peccatorum tantum affert solatii, multo majus afferet eorum per bona opera ablutio. Siquidem nisi ita esset, sed semel aversis a recta via ad pristina reditum intercluderet, nemo plane nisi forte paucissimi numero, in regnum cœlorum ingrederetur. Atqui præclariores fuisse eos reperiemus, qui prius lapsi fuerant. Qui enim magnam in malis operibus vehementiam adhibuerant, eamdem postea in bonis agendis exhibebunt, utpote qui sciant quantis sint obstricti debitis : quod et Christus declaravit, quando Simoni circa mulierem loquebatur. « Vides, ait, hanc mulierem? Intravi in domum tuam, »aquam pedibus meis non dedisti : hæc autem lacrymis ri»gavit pedes meos, et capillis suis tersit. Osculum mihi »non dedisti : hæc autem ex quo intravi, non cessavit os»culari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti : hæc »autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico »tibi, remittuntur ei peccata sua multa, quia dilexit mul»tum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit »autem ad illam : Remittuntur tibi peccata[3]. »

XV. Idcirco diabolus gnarus eos, qui ingentia mala

[1] Deut. x, 12. — [2] Isaï. XLIII, 26. — [3] Luc. VII, 44-48.

perpetrarunt, ubi primum cœperint pœnitere, id magno studio agere, utpote conscios delictorum suorum; timet et formidat, nequando rem exordiantur. Nam postquam cœperint, contineri ultra nequeunt, ac pœnitentia quasi igne succensi, auro puro puriores animas suas efficiunt, conscientia nempe ac memoria peccatorum suorum quasi vento quodam validissimo in virtutis portum impulsi. Eaque in re præstant iis qui nunquam ceciderunt, quod majore utantur alacritate; si tantum, ut jam dixi, rem aggrediantur. Nam hoc opus, hic labor est posse introitum petere, ac vestibula pœnitentiæ contingere, inimicumque multum spirantem et instantem depellere atque prosternere. Deinde vero non tantum ille furorem exhibebit, semel superatus et qua parte fortior erat dejectus: nos autem alacritate resumpta majore, pulchrum hoc stadium facillime decurremus. Aggrediamur itaque reditum, recurramus in civitatem cœlestem in quam ascripti, ubi degere jussi sumus. Nam de nobis ipsis desperare non id solum affert mali, quod ejus urbis portas nobis intercludat, nec quod in majorem segnitiem et contemptum deducat; sed quod in furorem nos satanicum dejiciat. Etenim diabolus non alia de causa talis evasit, quam quia primum desperavit, demumque ex desperatione in insaniam decidit. Ubi primum enim anima spem salutis amisit, ne quidem sentit amplius quo pacto præceps agatur, et omnia contra salutem propriam agit et dicit. Ac quemadmodum furiosi ubi semel a sana mente exciderunt, nihil timent, nullo pudore tenentur; sed sine formidine omnia audent, nec ignem, nec mare, nec præcipitia adire pertimescunt: sic et ii qui desperationis vesania correpti sunt, intolerabiles deinde in omne malorum genus decurrunt; et nisi mors eos ab insania et impetu coërceat, innumera sibi ipsis gravia perpetrant. Quare obsecro, antequam ab illa ebrietate altius

demergaris, resipiscas et expergiscaris, diabolicamque illam crapulam excutias. Quod si id confestim agere non possis, sensim et paulatim facias. Mihi certe longe facilius videtur, ut ab omnibus simul quibus complicaris funibus abstractum, te in pœnitentiæ gymnasium transferas. Si tamen tibi arduum videatur, ut volueris viam ad meliora ducentem adeas, modo rem suscipias et obtineas vitam æternam. Etiam atque etiam rogo et obsecro per pristinam tuam probitatem, per fiduciam illam, te iterum videamus in illo culmine, in illa perseverantia. Miserere eorum, qui propter te in offendiculum impegerunt, qui lapsi sunt, vel segniores effecti, qui de virtutis via desperarunt. Nunc quidem tristitia fratrum chorum occupat, voluptas autem et lætitia infidelium conventum, nec non juvenum otio deditorum. Si autem ad accuratam illam vitæ rationem redieris, contrarium accidet, nostraque ignominia in adversarios tota derivabitur: nos autem fiducia multa instructi erimus, te majori splendore coronatum prædicatumque videntes. Tales enim victoriæ majorem ferunt et gloriam et voluptatem. Non enim præclare gestorum tantum mercedem recipies, sed etiam aliorum cohortationis et consolationis, in exemplum conspicuum positus; ut si quis in paria mala delabatur, resurgat iterum, et ad meliorem frugem se recipiat. Ne tantum lucri contemnas, neque deducas animas nostras cum tristitia ad inferos: sed fac respiremus, et nebulam tristitiæ quæ tui causa nos occupat, excutiamus. Nunc enim damnis nostris omissis, calamitates deploramus tuas. Quod si resipiscere velis et oculos aperire, atque angelicæ militiæ connumerari; et nos a luctu eripies, et magnam peccatorum nostrorum partem absterges. Quod autem contingat eos qui per pœnitentiam restituti sunt, admodum resplendere, et sæpe magis, quam ii qui nunquam lapsi sunt, id ex Scripturis

divinis palam fecimus. Sic et publicani et meretrices regnum Dei possident, si ex novissimis multi primis anteponuntur.

XVI. Narrabo tibi, quæ nostro tempore contigerunt et quorum ipse testis esse potueris. Nosti juvenem illum filium Urbani Phœnicem, qui immaturus adhuc, pupillus mansit, pecuniis, famulitio et agris admodum instructus. Is primum ubi ludi magistris longum vale dixisset, posito splendidissimo amictu, totoque hujus vitæ fastu, repente vestitu se viliore contexit; et ad montium solitudinem secedens, egregiam exhibuit philosophiam, non secundum ætatis modum, sed qualem posset vir quispiam magnus et admirandus. Deinde sacra mysteriorum initiatione dignatus, multo magis in virtute progressus est; ita ut omnes gauderent Deoque gloriam referrent, quod in divitiis educatus, claris atavis ortus admodumque adolescens, proculcata confestim vitæ pompa, ad verum fastigium ascendisset. Cum hoc in statu esset, et omnium admirationem moveret, corruptores quidam qui jure cognationis ejus curam habebant, ad pristinos eum fluctus reduxerunt. Rejectis igitur denuo omnibus, a montibus in medium forum se contulit, et equo vectus famulitioque multo stipatus, sic totam urbem circuibat, nec ad sanam redire mentem volebat. Nimia quippe voluptate succensus, in absurdos amores necessario perpellitur: nemoque erat ex iis qui in medio versabantur, quin ejus salutem deploratam haberet; tanta illum circumdabat adulatorum turba, cui accedebant parentum orbitas, juventus et opes multæ. Qui autem omnia facile solent calumniari, reprehendebant eos qui ab initio illum ad hoc vitæ genus traduxissent; dicebantque eum et a spiritualibus defecisse, et rei familiari postea inutilem fore, cum ante tempus a litterarum studia reliisset, nullumque inde fructum decerpere potuisset. Cum hi sermones jactarentur multusque conse-

quereretur inde pudor, quidam sancti viri qui sæpenumero talem prædam venati fuerant, et experientia probe didicerant ne circa illos quidem desperandum esse iis, qui divina spe sunt instructi; observantes eum assidue, si quando viderent in foro, accedebant et amplectebantur eum. Et principio quidem ille e sublimi equo vectus ipsos insequentes oblique alloquebatur: tanta erat primum impudentia hominis. At illi misericordia et amore commoti, contumeliam hujusmodi non curantes, eo solum spectabant, ut agnum lupis subtraherent, quod et per patientiam perfecerunt. Tandem enim velut ex quadam amentia reversus, de assidua eorum cura rubore suffusus, si quando ipsos procul accedentes videret, statim ab equo desiliebat; demissisque oculis, eorum monita cum silentio audiebat, ac progressu temporis majorem ipsis reverentiam honoremque exhibuit. Sicque Dei gratia paulatim eum ab hujusmodi retibus expeditum, pristinæ solitudini atque philosophiæ reddiderant. Nunc demum tanto splendore fulsit, ut pristina ejus vita si comparetur cum ea qua post lapsum claruit, nihili habenda videatur. Cum enim experimento didicisset quæ esset illecebra, absumptis in egenorum usus pecuniis omnibus, hujusmodi curis expeditus, omnem insidiatoribus præscidit occasionem: et nunc in illa quæ ducit ad cœlum via progressus, ad virtutis apicem demum pervenit. At ille quidem, juvenis cum esset, lapsus est, et surrexit: alius vero quidam post multos in vita eremitica sudores, uno tantum socio vitam angelicam emensus, cum jam ad senectutem accederet, nescio quo pacto Satanæ versutia circumventus, et quod remissius ageret dans aditum maligno, in concupiscentiam mulierum lapsus est qui tamen, ex quo monasticam vitam inierat, nunquam mulierem viderat. Et primo quidem contubernalem rogabat, sibi carnem et vinum ministra-

ret; adjectis minis se, nisi id impetraret, in forum descensurum esse. Quod non ex desiderio carnium dicebat, sed ut hinc ansam arriperet descensus in urbem. Ille vero anxius ac timens ne si id denegaret, in majus crimen eum conjiceret, ejus optatui abunde satisfecit. Hic autem ut vidit frustra cessisse callidum consilium, impudenter demum agens simulationem detexit, et dixit necesse prorsus esse sibi in urbem proficisci. Ubi autem animadvertit ille se frustra obniti, tandem dimisit, et procul secutus observabat, qua de causa descenderet. Ubi vidit ingressum in panar, gnarus eum cum scorto rem habuisse, expectavit; et postquam is absurdo desiderio potitus egressus est, supinis cum manibus excepit; et amplexatus amanterque exoscultatus, nihil objurgans ob facinus, rogabat tantum, ut postquam concupiscentiam suam expleverat, in solitudinis domicilium rediret. Ille vero ab tantam mansuetudinem pudore suffusus, animoque perculsus, et de facinore compunctus, ipsum in montem euntem sequitur: ubi virum rogat, se in altera cellula concludat, et occlusis domicilii foribus, statis diebus sibi panem et aquam præbeat, ac perquirentibus respondeat se obdormivisse. Postulatis assentitur socius; ille autem inclusus, assiduis jejuniis, precibus et lacrymis animæ sordes abstergere curabat. Non multo autem elapso tempore, cum siccitas regionem occuparet, omnesque incolæ in mœrore degerent; quidam per somnum jussus est abire et virum illum inclusum obsecrare, ut precaretur et siccitatem auferret. Ille amicis comitantibus proficiscitur: qui primo illius socium duntaxat invenerunt: sciscitati autem edidicerunt ipsum obiisse. Rati se deceptos esse, ad preces iterum convertuntur, et rursus in simili visione eadem, quæ prius, audierunt. Tunc eum qui vere dissimulaverat, obsecrabant ostendi sibi virum, affirmantes non obiisse, sed adhuc vi-

vere. His auditis ille, cum videret non posse stare pactum, illos ad sanctum virum adducit: et pariete diruto, aditum enim omnem obstruxerat, ingressi omnes et ad pedes ejus prostrati, quæ facta fuerant renuntiantes, rogabant urgentem famem depelleret. Ille primum obstitit, se a tali fiducia longe abesse professus: nam ita peccatum suum ob oculos habebat, ac si nuper admisisset. Tandem commemorantes omnia quæ sibi contigerant, persuaserunt ut oraret: et cum precatus esset, siccitas desiit. Quæ vero pertinent ad juvenem illum, qui antea discipulus Joannis filii Zebedæi fuerat, postea autem longo tempore latronum dux fuit, deinde sacris beati viri manibus captus, a recessibus et speluncis latronum ad pristinam virtutem rediit, ipse non ignoras, sed non minus quam nos hæc omnia probe nosti? teque sæpius audivi admirantem illius mansuetudinem, quod cruentam antea dexteram exosculatus sit hærens in amplexu adolescentis, sicque illum ad priora reduxerit.

XVII. Beatus item Paulus Onesimum, inutilem, transfugam et furem, illum inquam non modo amplectitur, quando mutatus est; sed etiam herum ejus rogat, illum resipiscentem pari habeat honore atque præceptorem ipsius, his verbis usus: « Obsecro te pro meo filio, quem » genui in vinculis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis » fuit, nunc autem et mihi et tibi utilis, quem remisi tibi. » Tu autem illum, id est, mea viscera suscipe, quem ego » volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in » vinculis Evangelii. Sine consilio autem tuo nihil volui fa» cere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed » voluntarium. Forsitan enim ideo discessit ad tempus, ut » æternum illum reciperes non jam ut servum, sed pro » servo charissimum fratrem, maxime mihi: quanto autem » magis tibi, et in carne et in Domino? Si ergo habes me

socium, suscipe illum sicut me[1]. » Ad Corinthios item scribens ait : « Ne iterum cum venero lugeam multos ex » iis qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam[2]. » Et rursum : « Sicut prædixi, iterum prædico, quod si ve- » nero iterum, non parcam[3]. » Vides-ne quos lugeat, quibus non parcat? Non iis qui peccaverunt, sed iis qui pœnitentiam non egerunt, neque simpliciter iis qui pœnitentiam non egerunt, sed iis qui semel et iterum moniti obtemperare noluerunt. Illud enim, « Prædixi, et prædico » ut præsens, secundo et absens » scribo, nihil aliud indicat, quam id quod ne jam inter nos eveniat pertimescendum est. Etiamsi enim Paulus qui tunc Corinthiis comminabatur, non adsit, sed adest Christus, qui tunc per ipsum loquebatur. Ac si obstinate perseveremus, non parcet nobis, sed percutiet plaga magna et hic et in futuro sæculo. « Præoccupemus igitur faciem » ejus in confessione[4], » effundamus in conspectu ejus corda nostra. « Peccasti, inquit, ne addas iterum, et de » prioribus tuis supplica[5]. » Et rursum, « Justus accusator » sui est in principio sermonis[6]. » Ne expectemus igitur accusatorem, sed ejus partes prævertamus, eoque officio judicem nobis pacatiorem reddamus. Te quidem peccata confiteri tua, teque miserum admodum arbitrari compertum habeo. Verum non id tantum requiro, cupio autem ut persuarum habeas, te hac ratione posse justitiam assequi. Quandiu enim inutilem talem confessionem edideris, etiamsi te ipsum accuses, non poteris unquam in posterum a peccatis discedere. Nemo enim quidquam faciet cum alacritate et ritu congruenti, nisi prius persuasum habeat, rem utilitati sibi fore. Siquidem is qui seminat, postquam semen sparsit, nisi messem expectet, nunquam

[1] Philem. 10-17. — [2] 2 Cor. XII, 21. — [3] 3 Cor. XIII, 2. — [4] Psal. XCIV, 2. — [5] Eccli. XXI, 1. — [6] Prov. XVIII, 17.

metet. Quis enim unquam laborare frustra velit, nihil ex labore boni consecuturus? Sic ergo qui seminat verba, lacrymas, confessionem, nisi bona spe fultus id faciat, a peccatis desistere non poterit, utpote desperationis malo cohibitus. Sed quemadmodum agricola ille qui de proventu fructuum desperat, non curabit ea removere quæ frugibus noxia sunt : ita et ille qui per lacrymas confessionem seminat, nihil expectans inde lucri, neutiquam poterit ea removere quæ pœnitentiæ exitiosa sunt. Pœnitentiam vero destruit iisdem in peccatis perseverantia. « Unus, » inquit, ædificans et unus destruens, quid lucrati sunt » præter laborem? Qui baptizatur a mortuo, (id est, a » tactu mortui) et rursus tangit illum, quid emolumenti » habet ex lavacro suo [1] ? » Sic homo qui jejunat a peccatis suis, et iterum progressus eadem admittit: quis ejus preces exaudiet? Et rursum, « Qui revertitur, inquit, a justitia in » peccatum, eum Dominus præparat ad gladium. Et sicut » canis cum reversus fuerit ad vomitum, odiosus efficitur; » sic et insipiens malitia sua reversus ad peccatum suum [2]. »

XVIII. Ne itaque peccatum quasi accusator tui tantum annunties, sed tanquam qui per pœnitentiæ modum justificari debeas; sic enim poteris animam confitentem pudore afficere, ne ultra in eadem relabatur. Nam vehementer se damnare profiterique peccatorem, etiam cum infidelibus commune est. Multi namque a scena viri et mulieres, qui maxime turpitudinem suam secum reputant, sese miseros prædicant : at non collimant ad verum scopum. Quare illud non vocarim confessionem : neque enim cum animæ compunctione, cum amaritudine lacrymarum, cum vitæ mutatione peccata sua enuntiant; sed alii quidem eo nomine id agunt, ut ejusmodi candore sermonis gloriam aucupentur. Peccatorum enim gravitas longe

[1] Eccli. XXXIV, 28-30. — [2] Prov. XXVI, 11.

alia apparet cum alter ea denuntiat, quam cum is ipse qui peccavit. Alii autem vi desperationis in stuporem et segnitiem lapsi, et gloriam hominum despicientes, cum impudentia magna peccata sua perinde atque aliena omnibus proclamant. Nolim sane te ex illorum numero esse, vel ex desperatione confessionem edere, sed cum bona spe, omnique resecta desperationis radice contrarium huic studium exhibere. Quænam mater et radix desperationis est? Ignavia. Imo non radix modo vocetur, sed etiam nutrix et mater. Quemadmodum enim in lana tineas gignit corruptio, quæ postea ab illis augetur : sic etiam hic ignavia desperationem parit, et postea a desperatione alitur : et ambæ mutuo execrandum sibi procurant incrementum, nec modicam accessionem capiunt. Si quis igitur alteram præscindat, residuam alteram facile poterit superare. Nunquam enim qui non torpescit in desperationem labetur, neque qui alitur spe bona, nec animum despondet, unquam poterit in segnitiem cadere. Par itaque illud divelle, et jugum confringe, variam dico illam et gravem cogitationem : neque enim illa quæ utramque complectitur, unius est formæ, sed variam et omnimodam speciem præfert. Quænam est illa? Contingit aliquando pœnitentem multa recte et præclare agere : interimque a bonis operibus labi per peccata ipsis recte factis gravitate paria : et hoc maxime in desperationem injicere valet; ac si ea quæ constructa fuerant diruta sint, et frustra cesserit labor in illis agendis. Oportet autem hoc mente reputare, et hanc cogitationem depellere : quoniam si recte factorum mensuram, æqualem peccatis, quæ postea commissa sunt, non depositam habeamus, nihil prohibebit quominus penitus deprimamur. At recte facta illa sunt veluti thorax fortis, qui acutum acerbumque telum reprimit ne opus suum perficiat, sed ipse discissus mul-

tum periculi removet a corpore. Nam qui cum multis tum bonis tum malis operibus illuc abscedit, habebit aliquid solatii in supplicio, et in cruciatibus; qui autem bonorum operum expers, mala tantum secum defert, dici nequit quanta passurus sit, ad æternum supplicium ablegatus. Etenim illic appendentur opera mala, cum aliis non talibus, et si hæc postrema lancem deprimant, non modicam salutem afferent auctori : neque tantam vim habebit malorum operum noxa, ut eum de loco suo deturbare possit; si autem mala opera prævaleant, in gehennæ ignem deprimunt; eo quod bonorum operum numerus non is sit, qui possit vehementiori impulsui contrario resistere. Hoc porro non ratiocinium modo nostrum suggerit, sed etiam divina oracula : « Ipse, enim inquit, reddet unicuique secundum opera ejus[1] : » ac non in gehenna solum, sed etiam in regno discrimina plurima reperias : « Mansiones, » inquit, multæ sunt apud Patrem meum[2]; » et, « Alia glo- » ria solis, alia lunæ[3]. » Et quid mirum si hæc tam accurate distinxerit, quando stellam quoque a stella ibi differre ait. Horum itaque gnari, nunquam ab exercitio bonorum operum absistamus, neque labori cedamus : neu quia ad solis lunæque ordinem ascendere non possumus, stellarum statum despiciamus. Nam si talem saltem virtutem exhibuerimus, in cœlo esse poterimus. Et si non aurum, non lapis pretiosus fuerimus, argenti saltem gradum habentes in fundamento manebimus. Id unum caveamus, ne ad illam revertamur materiam, quam facile ignis incendit, neve cum egregia facinora edere non valemus, a minimis etiam absistamus: id enim extremæ dementiæ est: quod absit a nobis. Quemadmodum enim divitiæ corporeæ augentur cum amatores ne minima quidem lucra negligunt; sic et spirituales divitiæ. Siquidem absurdum est,

[1] Rom. II, 6. — [2] Joan. XII, 2. — [3] I Cor. XV, 41.

est, ubi judex ne frigido quidem poculo mercedem negat, nos nisi eximia opera edamus, minora non curare : qui enim minora non spernit, erga maxima magnam diligentiam exhibebit : qui vero hæc despicit, etiam ab illis demum abscedet : quod ne fieret etiam his mercedem amplissimam assignavit Christus. Quid enim facilius est, quam morbo laborantes visitare? Huic tamen rei magnum tribuit præmium. Vitam itaque sempiternam apprehende, delectare in Domino, et supplica illi, jugum illud suave iterum suscipe, subi leve onus, dignum principio finem superadde : ne divitias tantas diffluere patiaris : nam si Deum provocare pergas, eas omnes per gesta tua perdes ; contra vero si antequam multum damni accedat, et segetes inundentur, nequitiæ canales obstruxeris, quæ perdita sunt recuperare poteris, iisque non modicam accessionem facere. Quæ omnia tecum reputans excute pulverem, de terra surge, et eris adversario formidabilis. Ipse quippe te prostravit, quasi non surrecturum unquam : si autem te rursum viderit erectis contra manibus, inexpectata re perculsus, segnior erit ad te denuo supplantandum : tu vero firmior evades, ut ne plagam hujusmodi denuo accipias. Etenim si aliorum calamitates nos erudire possunt, multo magis illæ, quas sustinuimus, nos erudient. Quod in ipso capite tuo propediem me visurum expecto, et te Dei nutu splendidiorem futurum, et tantam virtutem exhibiturum, ut etiam aliis illic patrocinari valeas. Tantum ne desperes, neque concidas. Hoc enim tibi in omni sermonis congressu, ubicumque te videro, et aliorum etiam ore repetere non cessabo : quod si audieris, aliis amplius remediis non egebis.

HOMILIA.

Ascetam facetis uti non debere (5).

Sanctissimæ sunt beati Pauli cohortationes, quæ jubent ut cum timore salutem nostram operemur [1]. Qui enim absque timore ac multa sollicitudine in virtutis exercitatione versatur, in multas ad nequitiam conversiones incurrit : et tanquam a recta regiaque via aberrans in diverticula et digressiones per spinas vepresque deducitur. Idcirco assiduæ ad Deum preces itineris duces ad bonum sunt iis qui dicunt : « Deduc me, Domine, in veritatem » tuam [2], et perfice gressus meos in semitis tuis [3]. » Bonum est humanitas, et charitas caput est bonorum. Hæc vero consequitur hilaritas multa, risusque modum excedens, et, quæ gravitatem deprimunt facetiæ. Res sane indigna facetiis diffluere : risus enim temperantiæ vinculum laxat : risus gravitatem depellit : risus timoris Dei non recordatur : risus gehennæ minas non reformidat : risus ad fornicationem viam sternit : facetiæ sunt hominis intemperantis indicia : scurrilitas efficit ut in dissolutionem et inertiam incidamus : scurrilitas est contemptus occasio. Propterea beatus Apostolus prohibet, dicens, « Stultiloquium et scurrilitas, quæ ad rem non pertinent, ex » ore vestro non procedant, sed potius gratiarum actio [4] : hoc dicens, ne animi tranquillitatem ac lætitiam ad occasionem inertiæ traducamus, sed ad materiam gratiarum actionis erga bonorum largitorem. Quapropter

[1] Ephes. VI, 5. — [2] Psal. XXIV, 5. — [3] Id. XVI, 5. — [4] Ephes. V, 4.

Job quidem testatur pro se dicens : « Sin autem cum » scurris ambulans fui [1]. » Reprehendit etiam mores eorum, qui risum amant, Salomon : « Melior, inquit, est » ira risu, quia in malitia vultus bonum reddetur cor. » Cor sapientum in domo luctus : cor autem stultorum in » domo lætitiæ. Bonum audire correptionem sapientis, » super virum audientem cantum stultorum [2]. » Dedecus autem et ignominiam arguens eorum, qui risui dediti sunt, ait : « Sicut sonitus spinarum sub lebete, sic risus stul- » torum [3]. » Quid enim attinet valde lepidum et hilarem esse, ut sapiens et gravis appareas? Quin potius præ timore ac sollicitudine, quod a Deo specteris, excessum hilaritatis auferre debes. Qui enim immodicis facetiis ac dicteriis diffluunt, res suas ignorare ipsi videntur, oblivione gravata anima; neque Domini adventum expectare. Nondum Domini benignitatem, o homo, nondum certam malorum exemptionem et immunitatem consecutus es : non nosti, quod paulo post eveniet : nempe te quidem ipsum futurum, tibi autem quid accidet : deinde absque ulla cura rides, et scurram agis, et absque metu vivis, cum deberes in preces ad Deum incumbere, et de rebus futuris anxius ac sollicitus esse, et de te formidare, ne forte a virtutis calle declines, curare vero ac metuere de iis quæ eventura sunt, et occursura, ne forte difficiliora sint et majora, quam tuæ ferant vires? Te itaque in medio tot tantorumque præliorum deprehenso, constitutam se in periculo existimet anima tua : bellum inferunt invisibile dæmones, bellum inferunt homines manifestum, bellum inferunt interiores animi perturbationes, libidines a corpore excitatæ, et quæ exterius corpus obsident calamitates. Non enim propinquis condoles, non ægrotas cum ægrotantibus, non fles cum flentibus, non times de illis, qui non

[1] Job. XXXI, 5. — [2] Eccle, VII, 4. — [3] Ibid. 7.

satis in fide sunt firmi, ne concutiantur, et labantur. Non luges eos, qui lapsi sunt : non porrigis manum jacentibus: non eum qui ridet, interioribus gemitibus excipis, quandoquidem paratæ sibi damnationis nullum sensum capit : non evertit intempestivas tuas delicias cogitatio temporis, quod contractum est, non futuri terribilis illius diei adventus; sed illos imitaris, qui cum cithara et psalterio vinum bibunt, quibus lætitiæ loco propheta, Væ comminatus est. Ego enim, inquit, prædicavi fletum, et planctum, et calvitium, et cincturam sacci : ipsi autem fecerunt lætitiam, et exultationem, dicentes : « Edamus, » et bibamus; cras enim moriemur. Et revelata sunt hæc » in auribus Domini Sabaoth, quoniam non dimittetur illis » hoc peccatum, donec mortui fuerint[1]. » His auditis pertimesco ac geme, noli imitari eos, qui comederunt, et biberunt, et ad ludendum surrexerunt, atque, ut id quod acerbius est, dicam, sacrificia et cibi, et lusus, timoris Dei oblivionem invexerunt, et ad idololatriam illos pellexerunt. Pertimesce, ne, cum tu rides, Dominus irascatur, qui beatos dixit eos, qui flent, et infelices eos, qui rident, ne lusum tuum, ac dissolutum risum, timorisque Dei defectum, ac rerum utilium oblivionem cum offenderit diabolus, in animam tuam insiliat, et zizania sua spargat. Fuerunt tempora, quibus magis conveniebat recreatio: verumtamen tum quoque apud sanctos mœstitiæ locus erat potius quam lætitiæ. Unde ait Psalmista : « Tota die con» tristatus ingrediebar, « et, » Lavabo per singulas noctes » lectum meum : lacrymis autem stratum meum rigabo[2] : » tristis ob peccata sua factus, et propter calamitates suas lugens, atque Jerusalem clades deplorans Jeremias sedet. Ergo tu quoque ne crapulæ deditus aut ebrietati, facetiis et scurrilitati te addicas : propterea namque cithara tua

[1] Isai. XXII, 12-15. — [2] Psal. XXXVII, 7, et VI, 7.

sublata est, neque tympanum in manibus habes : et corde potius, quam ore psallere Paulus docet, qui undique hominem ab omni dissolutione atque effusione revocat[1]. Ludebat pater Isaac cum uxore sua[2], tibi autem injunctum est, ut cum uxore honestius graviusque te geras : quoniam « Tempus contractum est, ut et ii qui habent » uxores, tanquam non habentes sint, et qui gaudent, tan» quam non gaudentes, et qui emunt, tanquam non pos» sidentes, et qui utuntur hoc mundo, tanquam non abu» tentes. Præterit enim figura hujus mundi[3]. » Tu autem contrahi non vis, cum res omnes contrahantur, sed et coram mulieribus temere lacrymas fundis, ludicra exerces, ridicula profers, et turpibus dicteriis effusis solveris in cachinnos. Dum enim intemperantis corporis æstum ferre non potes, reliquum est, ut sordes illas foris ejicias, et qualis sis, te ipsum prodas; qualis es per verba, talis omnino eris, et multo deterior in interiori homine. Cur absque ullo metu cum mulieribus congrederis? cur tua sponte in laqueos incurris? cur te ipsum in periculum conjicis? cur hilariter cum mulieribus versaris, et degere cum illis audes? Idcirco jejunia, idcirco preces, idcirco victus ille aridus, et austerus, idcirco multiplices exercitationes excogitant homines, idcirco solitudines sectantur : nonnulli autem ne pane quidem et aqua satiantur, nulla alia de causa, nisi, ut illa scandala evitent, ne, si in fœminas incidant, turpis aliqua prolapsio fiat. Tu vero his omnibus contemptis, ac nulla habita ratione periculi post laqueum, quo primus generis humani parens ab illa tanta felicitate excidit, non animadvertis telum diaboli, quo vetus ille parens noster confossus, prostratus est? Ac Dominus quidem vel hoc ipsum prohibuit, ne mulierem respiceremus, fornicationem describens : tu vero usque

[1] 1 Cor. XIV, 5. — [2] Gen. XXIX, 8. — [3] 1 Cor. VII, 29-31.

adeo demens es, ut impositis confictis nominibus appellatione charitatis, et occasione humanitatis serpentem ut Eva tibi contubernalem asciveris. Cum alligaveris ignem in sinu, et lucernam in fœno posueris, periculum tibi creabitur ex utroque. Aut enim in ipsam barathri prolaptionem incidens amittendæ castitatis periculum adibis, aut si hoc tibi non accidat, turpem tibi infamiæ notam inures, cum tibi mandatum sit, ut non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus bona provideas [1]. Quapropter hac ecclesiastica cohortatione commonefactus observare debes quæcumque honesta sunt et pudica, neque id tantum, sed et quæcumque bonæ famæ [2]. Metire ex honestate humanitatem : sapientem tibi monitorem appone. Cur honestum christianismi nomen contaminas? cur aliorum etiam illaqueans animas contubernalem tibi asciscis? Non enim solum ut animam tuam defendas, rationem reddes, sed ob eos, quibus scandalo fuisti. Projice e sinu tuo serpentem, abjice a te ipso periculum. Si tibi a fœminis ministrari desideras, cur non antiquam legem observans nuptiis te legitimis copulasti? Nuptiæ pœnis non sunt obnoxiæ : adulterium supplicio est obnoxium inevitabili. Est enim adulterium, atque adeo magnum adulterium cohabitare cum fœminis. Conscientiam tuam examina, num quando detrimentum acceperis, num sive noctu, sive interdiu vulnus inflictum tibi senseris. Sane ego cor tuum rese rabo, tametsi mihi succensurus es : verumtamen non est mihi curæ : valde quippe doleo, cum video Ascetam subintroductam mulierem sibi asciscere. Ego vero tibi dico te in singulas horas vulnerari, et singulis horis prædam belluæ fieri. Laxantur enim tibi vincula castitatis, corrumperis ac remissus evadis bellator generosus, pro victore captivus efficeris. Num enim lapis es? homo es,

[1] 2 Cor. VIII, 21. — [2] Philip. IV, 8.

communibus naturæ casibus obnoxius. Ignem habes in sinu, et non ureris? cui verisimile illud videatur? Pone lucernam in fœno, tumque vide, num dicere mihi possis fœnum non uri? quod si negaveris uri fœnum, ne mihi dicas, sed ei qui occulta novit, qui venit ut cogitationes congreget. Est enim discretor cogitationum, et ratiocinationes cordis intelligit. Ait enim, « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo [1]. » Vide ne omni hora in te adulterium deprehendatur. Omnino dices : Jejuniis, exercitationibus et arido austeroque victu me communio, ne a proposito excidam. Igitur ob aliud nihil instituitur exercitatio tua, nisi propter contubernalem tuam. Itaque non jam tibi justitiam thesaurizas : tuam enim illa exercitationem subtraxit. Abjice igitur a te ipso illam, quæ multorum bonorum tibi damnum invexit, ne te ejiciat e paradiso, ne te diabolo ludibrium reddat. Noli apud te illam collocare, ne forte cum te supplantarit, tecum in gehennam mittatur. Formidabilem judicem pertimesce, ini tecum pactum, ut ne oculos quidem conjicias in mulierem. Præsentibus senioribus canitiem reverere et tanquam patres eos reveritus, parce scurrilibus verbis, et ludicris, et ridiculis. Ne lude cum juniori, neque viam inertiæ monstres, iniens eam prior ipse, multoque majorem contemptum ingenerans : mulierem vero vel solo aspectu tenus reverere. Sit illis forma quædam et exemplum vita tua, talem te præbe, ut te illæ revereantur, et forma atque initium verecundiæ illis fias, quandoquidem vir quiddam est muliere principalius, neque facilitatem adjicias faciliori naturæ muliebri. Verecunda sit præcipua quadam ratione mulier, quando gravius est dedecus mulieris impudentia. Et si liberius etiam cum viris loqui admodum indignum

[1] Matth. v, 29.

est et audaciæ plenum, cum mulieri sit impositum, ut timeat virum suum, potius, quam ut loquendi libertate apud illum utatur : « Mulier enim, inquit, virum suum » timeat [1] : » si igitur ei, quæ virum habet, lex ista proposita est, quid tibi nunc quæ virum non habes, agendum restat? tibi vero nunc convenit, ut ne ullo quidem pacto viro appropinques, quantum fieri potest, neque ullo modo vir tuum vultum aspiciat. Christi enim sponsa es; sic progredere ornata ut sponsa, vultu amictu velato, ne forte si quem tuo conspectu vulneraveris, perditionis ejus pœnam luas. Atque hæc quidem nos ex arcana Scripturarum doctrina deprompta dicimus : multæ vero quæ neque Dei timorem animo versant, neque facilem suam prolapsionem reformidant, neque propositam pœnam provident, ea non admodum curant, et suo ductæ consilio virorum se obsequiis addixerunt, neque ex præscripto regulæ illi datæ, quæ nupsit, et juncta est marito. At tu ne hanc quidem legem observas, non enim cum timore conversaris, sed multa cum securitate atque contemptu et simul comedis, et simul bibis, et colloqueris, et incomposite simul rides, et post hæc omnia tamen virgo vis appellari : verumtamen ego te non amplius virginem dicam, quæ usque adeo te præcipitem agas, neque periculum reformides. Audebo propheticum illud usurpare, « Obstupescat cœlum super hoc, et horreat » creatura [2], » in quantam devenimus impudentiam et dignam stantibus in prostibulo meretricibus. Ut enim illæ ab hominibus histrionibus congregatæ procliviores ad inhonestas actiones redduntur, sic et istæ cum in animum induxerunt, ut cum viris cohabitent. Indignatur Deus, homines probro afficiunt; at illæ ut iniquum judicem imitentur, neque Deum timent, neque hominem

[1] Ephes. v, 33. — [2] Jerem. II, 12.

reverentur : sed ad hæc omnia multo majori cum fiducia loquuntur, quam vel ipsæ, quæ honesto junctæ conjugio cum viris habitant. Hæ nimirum arrogantius eorum negotia, cum quibus degunt, administrant, et perturbant, contumeliis eos lacessunt, omniumque bonorum, quæ ad illos pertinent, volunt obtinere dominatum. Quod si velit ille nonnunquam manum ad beneficentiam protendere, prohibet ipsa, denique famula non est, sed domina evasit. Secede igitur ab aliena cohabitatione, o virgo, neque a cohabitatione tantum, verum et a colloquia et a risu te mutuo abstine. Nam si prudenti viro vix tacite subridere permissum est, sapienti mulieri ut vix etiam istud injunctum est. Etenim vel ipse modicus risus mulieri religionem professæ gravis est et periculosus. Multo enim melior est, quæ ob reverentiam spectatur mulier, quam quæ ob hilaritatem et voluptatem. Enimvero dum ad spiritualem sponsam a muliere laudes transfert, is, qui mysticum scripsit Canticum, ejus silentium celebrans et habitus ejus gravitatem collaudat, pavorem illam appellans[1]. Hoc enim est quod admodum venerabile atque admirandum spectantibus apparet. Siquidem oportet, ut ejus honestas et gravitas curiosis oculis terrorem incutiat, et ad importunam impudentiam repellendam sit idonea : quam etiam ob causam omnis aureus ornatus illi ereptus est, et tortorum crinium, et vestis pretiosæ : ne ornamentis quibus est cincta, refulgeat, et oculos exhilaret intuentium, atque ad prolapsionem invitet. Propterea jejunia, abstinentiæ, et exercitationes, vultumque pallidum ac mœstum, et vestem viliorem habere virgo debet ob naturæ ad lapsum proclivitatem. Idcirco etiam Paulus scribens ad charissimum filium Timotheum, ejus in honorandis mulieribus humanitatem castitatis custodiam præmunit, dicens:

[1] Cant. VI, 3.

« Juniores viduas honora ut sorores, in omni castitate [1]. » Quod si a muliere ornatum omnem corporis amovent sacræ Litteræ ; quanto magis viro convenit nullo modo comptum esse, tantumque necessario amictu vestiri ? sic ut tegumentum sit, et non ornamentum, quemadmodum id appellavit Paulus : « Habentes alimenta et tegumenta, his » contenti erimus [2]. » Nam quæ ad ornatum comparatæ sunt vestes, muliebres potius quam viriles censeantur. Lex quippe dicit, « Non induetur vir veste fœminea [3]. » Ne igitur effœminetur vir, quandoquidem neque muliebrem sexum admodum convenit apud Deum effœminari. Ex pilis camelorum vestem gestabat : et zonam pelliceam circa lumbos suos Joannes : et ante illum Elias, cujus spiritum Joannes gerebat, ovilla solum pelle ipse quoque amiciebatur. Stupidi est et mollis animi splendidum indumentum et subtili artificio contextum magni facere : animus autem ad altiora quæque natus, qui veri ornatus sensum capere potest, mollem omnem vestem despicit, et subliviorem illa desiderans, securam, minime superfluam, honestiorem illam maximeque venerandam castitatem omnibus existimat præferendam. Contenti igitur estote verborum, quæ dicta sunt, admonitione. Cavete autem, ne honestatem atque gravitatem ultra terminos mediocritatis tanquam molestam quamdam severitatem producatis : quæ et ipsi qui audit, et iis qui ejus consortio fruuntur, melle ac favo dulcior efficitur. Spiritualis quippe lætitia honeste ac decore ad unionem cum Deo provehit, eosque qui in congressum ejus veniunt, voluptate perfundit. Verum ne ex his quæ a me dicta sunt, occasione arrepta, eo quod in hilaritate vivere sis prohibitus, tristis ac morosus esse incipias erga fratres adventantes, neque difficilis esse velis ac minime affabilis aut inhumanus pro benigno atque

[1] 1 Tim. v, 3. — [2] Id. vi, 8. — [3] Deut. xxii, 5.

gratioso, neque dum comiter suscipiendi sunt, qui te invisunt, fratres, morosus ac tristis, aut in responsionibus et alloquiis inaccessus. Semper enim ut gaudeamus, mandatum est apostolicum. Et « Consolamini invicem, et in-» vicem benigni estote[1] : et charitas, inquit, benigna est[2] : » et Apostolorum salutationes in eorum insunt Epistolis tanquam filios complectantes eos qui audiunt, tanquam fratres cohortantes eos qui attendunt. Ac multa sane de hac sancta benignitate, quæ ex charitate promanat, ex sacris Litteris discere possumus. Neque oportet ut ad immodicam hilaritatem traducamur, neque ut scurrilitate benignitatem se ad Dei imitationem comparantem labefactemus, sed in meditullio quodam perfectæ hilaritatis consistamus, et neque molesti simus iis quibus familiariter utimur, neque dissolutos eos et inertes reddamus : neque acerbe reprehendamus, neque fraudulenter adulemur, sed utiliter corrigamus, et humaniter cohortemur. « Qui parcit, in-» quit, emittere verbum durum, prudens est. Favus mellis » sermones boni, dulcedo autem eorum sanitas animæ. » Sunt qui dicentes vulnerant quasi ensis, linguæ autem » sapientum sanant[3]. » Bonum quidem est divinis Canticis moderate operam dare. Nam lætitia ejusmodi mentem sanctificat, ut ait Apostolus : « Implemini Spiritu sancto, in-» quit, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino[4]. » Bonum igitur est, ad lætitiam ejusmodi consequendam studiose vacare, neque ob quamdam morum asperitatem ac duritiem negligenter in divinis Cantibus versari, quasi nimirum vocem impendere Dei laudibus non dignemur. Nam ad ejusmodi rem sanctam et sacrum illum congressum hilariter affectos esse nos oportet, non in dulces modulos effundi, neque delicate divinis concentibus mulceri,

[1] Ephes. IV, 32. — [2] 1 Cor. XIII, 4. — [3] Prov. X, 20; XII, 19; et XVI, 24. — [4] Ephes. V, 18.

neque mollibus ac fractis sonis gaudere, atque huc illucque oculos circumferre, ut videas, quo pacto lauderis : sed in Deo lætandum est, eique soli placere studendum, atque hic præcipue, ut cum honestate hilaritas mixta reperiatur : cum a Dei timore gravitas, et honestas proficiscatur, divini vero Cantus ad lætitiam nos provehant, et æternæ illius exultationis imitationem in nobis exprimant, in qua illi qui honeste conversati fuerint, futuram transigent vitam apud Dominum, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA I.

De pœnitentia, cum rure ipse rediisset.

I. Num quæso memores nostri fuistis[1], quanto tempore a vobis abfuimus? nam ipse quidem vestri nusquam oblivisci potui, sed urbem dimittens, memoriam vestri non dimisi : quemadmodum enim qui corporum præstanti forma capiuntur, quocumque recesserint, secum desideratam faciem circumferunt : haud secus ipsi venustate animarum vestrarum tacti, eam mentis vestræ speciem semper nobiscum circumferimus. Et quemadmodum pictores coloribus variis mixtis corporis imagines effingere consueverunt : ita et ipsi studium vestrum in collectis, in audiendo alacritatem, benevolentiam erga concionatorem, cæteraque omnia officia veluti colores virtutum varios immiscentes, atque ipsum animarum vestrarum characterem imprimentes, mentisque apponentes oculis, ea speculatione satis nostræ peregrinationis accepimus solatii. Hæc et sedentes, et surgentes, et ambulantes; et quiescentes, et introeuntes, et exeuntes, continuo versabamus, charitatem vestram vel in somniis intuentes, neque interdiu solum, sed etiam noctu iisdem cogitationibus quasi deliciis enutriebamur, illud cum Salomone scientes : « Ego dormio, et cor meum vigilat[2]. » Idipsum et nobis contingebat : nam somni quidem necessitas palpebras ipsas contrahebat, tyrannis vero amoris vestri oculos nostræ mentis excitabat : atque sæpenumero per somnum vobiscum loqui mihi videbar. Etenim consuevit

[1] Vide D. Guillon, tom. XVII, p. 344-347. — [2] Cant. V, 2.

anima quæ interdiu cogitat, eadem in somnis per phantasiam cernere, quod et nobis tunc accidit: et vos carneis oculis minime videns, oculis charitatis cernebam, corporeque absens, affectu præsens eram, meæ aures semper clamore vestro personabant. Quare et corporis ægritudine ibi diutius cogente immorari, et aëris salubritate ad carnis sanitatem proficiente, id vis amoris vestri non tolerabat, sed exclamabat, neque prius molestando cessavit, quam nobis suaserit ante præfixum tempus exurgere, et sanitatem, et voluptatem, et omne quodcumque est bonum, conventum hunc vestrum existimare. Huic igitur morem gerentes, maluimus redire, tametsi morbi reliquiæ restarent, quam corporis infirmitatem prorsus deponere satagentes, de cætero charitati vestræ molestias inferre. Nam et illic manens criminationes vestras audiebam: continuæ enim litteræ has nobis afferebant, animumque adhibui criminantibus non minus, quam laudantibus. Nam animæ scientis amare illæ criminationes fuerant, absentiam nostram accusantes. Propterea surgens cucurri propterea nunquam mea vos mente quivi excludere: sed quid mirum ruri si commoratus, licentia quadam et libertate fruens, vestræ charitatis non sum oblitus: quandoquidem Paulus vinculis alligatus, carcerem inhabitans, atque infinita pene pericula imminentia videns, in carcere non secus quam in prato versatus, sic fratrum memoriam habebat, et scribebat dicens: « Sicut est justum mihi hoc » sentire pro omnibus vobis, et quod habeam vos in corde » et in vinculis meis, in defensione et confirmatione Evan» gelii[1]? » Extra inimicorum catena, intra amoris discipulorum catena: sed exterior quidem ex ferro constructa, interior ex charitate facta; et illam quidem sæpenumero deposuit, hanc vero nunquam dissolvit. Sed quemadmo-

[1] Philip. I, 17.

dum mulieres quotquot dolorum partus experimentum sumpsere, et matres factæ sunt, horum, quos pepererunt, ubicumque fuerint, vinculis semper sunt astrictæ: sic et Paulus atque adeo multo fortius discipulis suis adhærebat, antoque magis, quanto naturalibus spirituales partus sunt ferventiores. Nam non semel, sed eosdem bis parturivit, et clamabat dicens, « Filioli mei, quos iterum par» turio[1]. » Id vero mulier nunquam pateretur, neque sufferret eosdem iterum dolores : sed tolerabat hoc Paulus, quod in natura non est videre: ut quos semel pepererat, iterum reciperet, et acutos super illis dolores perferret. Propterea et confundere eos volens, dixit : « Quos iterum » parturio : » quasi diceret, Parcite mihi : nullus filius secundo maternum uterum partus doloribus affecit, quod me pati cogitis. Licet dolores illi uno temporis momento torqueant, atque infante ex alvo delabente et ipsi quoque delabantur: hi vero non sic, sed et mensibus integris maneant. Nam et annum totum sæpenumero parturivit Paulus, atque conceptos non peperit. Et illic quidem carnis est labor, hic vero dolores non ventrem distendunt, sed animæ robur lacerant. Atque ut discas eos ferventiores esse dolores, quæ unquam mater optat natorum loco gehennam sustinere? Hic vero non modo gehennam, sed optat etiam anathema esse a Christo, quo posset Judæos parere quos semper continue parturiebat, et quoniam id non eveniebat, ideo dolebat et dicebat : « Tristitia mihi » est magna, et continuus dolor cordi meo[2]. » Atque hic rursus : « Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus » formetur in vobis. » Quidnam alvo illa beatius fuit, quæ tales filios parere potuit, qui in se Christum haberent? quid vero fœcundius ea, quæ orbem progenuit totum? quid ea fortius, quæ editos et adultos abortivos posset

[1] Galat. IV, 19. — [2] Rom. IX, 2.

denuo concipere ac reformare ? Id enim in naturali partu præter humanas est vires. Quare igitur non dixit : Filioli mei quos iterum progenero, sed, parturio? Etenim alibi generare se dicit, « In Christo enim Jesu ego vos genui[1]. » Illic ergo cognationem tantummodo ostendere voluit, hic vero et dolorem coram statuere conatus est. Quomodo enim filios vocat, quos nondum enixus est? Si enim parturit, nondum peperit : quomodo ergo filios vocat? Ut discas illum non prioribus partus doloribus tunc cruciatum, quod satis illis erat ad ruborem. Etenim, inquit, semel factus sum pater, debitumque in vos partum toleravi, vos vero filii semel facti estis : quomodo me ad secundos iterum dolores mittitis? Satis enim qui principio habentur, sunt partus dolores, quid me secundo doloribus cruciatis? Nam fidelium lapsus, non minorem ipsi, quam qui nondum crediderant, laborem inferebant. Intolerabile enim erat post talium mysteriorum communionem videre quosdam ad impietatem sponte declinare. Quare acriter admodum, ac omni muliere miserabilius ingemiscebat dicens : « Filioli mei, quos iterum parturio, » donec Christus formetur in vobis[2]. » Id autem dicebat, ut illis fiduciam simul et timorem induceret. Cum enim ostendit non formatum in ipsis Christum, timorem incussit et agoniam : cum demonstravit posse formari, iterum fiduciam indidit. Cum enim dicitur, « Donec formetur, » utrumque ostenditur, et nondum formatum esse, et formari iterum posse. Si enim fieri non posset, in vacuum ad eos dixisset, « Donec Christus formetur in vobis : » et ipsos spe vana lactasset.

II. Hæc igitur scientes, neque ipsi a spe cadamus, sed neque omnino pigritemur, utraque enim hæc perniciosa. Desperatio quidem exurgere non sinit : pigritia vero, et

[1] 1 Cor. IV, 15. — [2] Galat. IV, 19.

stantem cadere facit. Atque illa quidem jam partis privare nos solet bonis : hæc malis, quibus urgemur, nos liberari non sinit; et neglectus quidem ex ipsis detrudit cœlis : desperatio vero in ipsam malitiæ deducit abyssum, sicut si non desperemus, cito illinc reducimur. Considera vero utriusque vim; diabolus antea bonus erat; pigritans vero et desperans cecidit, tantaque obrutus malitia est, ut in posterum non resurgat. Quod enim bonus fuerit, audi quid dicatur : « Vidi Satanam veluti fulgur cadentem de » cœlo[1]. » Fulguris enim similitudo, et claritatem pristinæ conversationis ostendit, et casus velocitatem. Paulus blasphemus erat, et persecutor, et contumeliosus : quia vero desudavit, et spe non decidit, et exurrexit par Angelis effectus. Judas Apostolus erat, sed prigritans factus est proditor[2]. Latro item post tantum malitiæ, quia de spe non lapsus est, ante alios paradisum ingreditur. Pharisæus confidens ex ipso virtutis culmine decidit in profundum : Publicanus, quia non desperavit, sic erectus est, ut illum præveniret. Vis ut tibi ostendam et urbem totam hoc fecisse? Ninivitarum urbs sic omnis servata est : illos certe lata jam sententia a spe depulerat. Non enim dixit : Si pœnitentiam egerint, servabuntur : sed solum, « Tres » adhuc dies et Ninive subvertetur[3]. » Sed tamen minitante Deo, et Propheta clamante, sententia dilationem non habente neque distinctionem, non ceciderunt animis, neque bonas spes perdiderunt. Propterea enim distinctionem non apposuit, neque dixit : Pœnitentiam si egerint, servabuntur : quo et ipsi latam Dei sententiam sine distinctione audientes, neque sic spe cadamus, sed ad illud exemplum respicientes, non desperemus. Neque in eo solum videre est Dei clementiam, quod sententiæ nulla adhibita distinctione, tamen pœnitentibus reconciliatus sit : sed vel ex

[1] Luc. x, 18. — [2] Id. vi, 16. — [3] Jon. iii, 4.

eo etiam quod absolute lata sit. Nam augere volens timorem, ingentemque illorum segnitiem tangere, id effecit, ipsumque pœnitentiæ tempus ineffabilem ejus ostendit clementiam. Quomodo enim tres dies effecissent, ut deleretur malitia tanta? Cernis quod etiam inde Dei providentia appareat? plus enim hæc ad ejus urbis salutem contulit. Hæc igitur scientes, spe nunquam cadamus. Neque enim ullum adeo validum est telum diabolo, ac desperatio; idcirco neque tam lætum eum peccantes reddimus, quam desperantes. Audi in fornicante, quod plus quam peccatum Paulus desperationem timuerit. Corinthiis enim scribens, sic inquit: « Omnino auditur in vobis fornicatio, » et talis quæ nec inter gentes nominatur[1]. » Non dixit, Quam nec in gentibus audent; sed, neque nominatur: quod vel nomine solum illis intolerabile est, id ipsi opere ausi estis. « Et vos inflati estis? » Et non dixit, Ille inflatus est: sed eum, qui peccaverat, dimittens, sanos alloquitur: quemadmodum medici faciunt, ægros dimittentes, apud propinquos plures sermones habent. Alioquin hi omnis arrogantiæ illi auctores erant, quod eum non corriperent, nec terrerent. Crimen igitur commune fecit, quo facilis curatio vulneris esset. Grave quidem peccatum est, sed multo gravius altum sapere in peccato. Nam si de justitia inflari, justitiæ sit evacuatio: multo magis id in peccatis si contingat, maximam nobis jacturam inferet, atque ipsis peccatis majus crimen fuerit. Propterea inquit, « Cum » omnia quæ præcipiuntur vobis, feceritis, dicite: Quia » servi inutiles sumus[2]. » Si enim eos, qui omnia faciunt, dejicere se oportet, multo magis et peccatorem flere decet, et infimum sese omnium existimare. Id itaque ostendens, tunc dixit, « Et non magis flevistis[3]? » Quid dicis? alter peccavit, et ego plorabo? Ita, inquit: corporis enim et

[1] 1 Cor. v, 1. — [2] Luc. xvii, 10. — [3] 1 Cor. v, 2.

membrorum exemplo mutuo compacti sumus. In corpore autem tametsi pes vulnus accipiat, humi caput inclinari videmus. Et quid eo venerabilius? sed tamen dignitatem suam non novit calamitatis tempore: idem et ipse fac. Quare et Paulus admonet, « Gaudere cum gaudentibus, » flere cum flentibus[1]. » Ideo et Corinthiis dicit: « Et non » magis flevistis: ut tolleretur de medio vestrum qui opus » id fecerat[2]? » Non dixit; Et non magis studuistis: sed quid? Non magis flevistis, quasi morbo communi et peste civitatem comprehendente: quasi diceret: Oratione opus est et confessione, et precibus, quo morbus e tota civitate pellatur. Vides quantum his timoris incussit? Nam quoniam putabant ad illum duntaxat pervenisse malum, ac constitisse, eos sollicitos reddit, dicens: « Nescitis quod » modicum fermentum totam massam corrumpit[3]? » Quod autem dicit, tale est: Malum ultra procedens, reliqua attinget membra: veluti de communi malo consulentes, sollicitos vos esse decet. Neque id mihi dixeris, quod ille solus peccavit, sed illud considera, quod sanies quædam est peccatum, reliquum corporis depascens. Ac veluti domo ardente, qui nondum malo læduntur, iis, qui in malo sunt molestia non minori premuntur, atque universa conferunt, quo ne urgens ignis ad proprias invadat domos: sic et istos Paulus excitat, dicens: Pyra quædam est, præveniamus malum, extinguamus incendium, priusquam Ecclesiam invadat: si vero neglexeris peccatum, veluti in alieno existens corpore, maxime quidem vel sic male. Ille enim homo membrum totius est corporis.

III. Verum et id considera, quod si pigritatus fueris ac spreveris, te quoque quandoque comprehendet: quare si non fratris, tua tamen causa exciteris. Reprime pestem, saniem coërce, depopulationem amputa. Hæc et his plura

[1] Rom. XII. — [2] 1 Cor. v, 2. — [3] Ibid. 6.

dicens, et mandans tradi illum Satanæ, denique inquit : Quandoquidem conversus, et melior factus est, satis huic ea fuit objurgatio a pluribus : « Confirmate igitur in » eum charitatem[1]. » Postquam enim eum communem inimicum et adversarium statuit universis, et a grege exclusit, atque a corpore recidit, vide quanto in eum utitur studio, ut eum rursus conjungat et annectat. Non modo, Amate eum, dixit : sed, « Confirmate super eum charita- » tem, » id est, firmam et immobilem in eum ostendite amicitiam, calentem quamdam et fervidam, atque ignitam : æquivalentem priori inimicitiæ dilectionem inferte. Quid factum est? quæso, nonne tradidisti eum Satanæ? Ita, inquit, sed non quo in manibus Satanæ permaneat, sed ut ab ejus tyrannide cito liberetur. Et quemadmodum dixi, considera quam timuerit desperationem Paulus tanquam magna diaboli armaturam : cum dixisset enim : « Confirmate super eum charitatem ; » et causam addit, « Ne forte nimia tristitia absorbeatur qui est ejusmodi[2]. » In lupi faucibus ėst ovis : præveniamus igitur, præripiamus antequam absorbeat aut corrumpat nostrum membrum. Periclitatur navis : priusquam obruatur, eripere naufragio studeamus. Quemadmodum enim mari sese tollente, et fluctibus usque ad summum se elevantibus, scapha demergitur : sic et anima undique mœrore circumdata, velociter suffocatur, ni quempiam habuerit qui manum porrigat : et quæ salutaris in peccatis est mœstitia, exitialis est si immoderata sit. Ac vide quomodo accurate locutus sit : non enim dixit : Ne hunc diabolus perdat : sed quid? « Ut non circumveniamur a Satana. » Circumvenire autem hic est aliena concupiscere : ostendens igitur ipsum alienum ab eo de cætero factum, atque in Christi gregem se per pœnitentiam reduxisse, ait, « Ne circumveniamur

[1] 2 Cor. II, 8. — [2] Ibid.

» a Satana. » Si enim de cætero comprehendat eum, nostrum rapiet membrum, de grege ovem surripiet: nam pœnitentia peccatum deposuit. Sciens igitur Paulus quid fecerat diabolus Judæ, timuit ne hic fortasse idem faceret. Quid autem fecit in Juda? pœnituit Judam : « Peccavi, » inquit, tradens sanguinem justum[1] : » audivit hæc verba diabolus, novit eum in melius viam inire, et ad salutem tendere, timuitque mutationem. Clementem, inquit, dominum habet: qui cum se traditurus fuerat, ploravit: atque ipsum miris provocavit modis, annon multo magis pœnitentem suscipiet? obstinatum et incorrectum allexit et vocavit: nonne multo magis correctum, et peccatum agnoscentem trahet? Idcirco enim crucifigendus venit. Quid ergo fecit? exterruit eum, et obtenebravit mœroris magnitudine, persecutus est, impulit donec ad laqueum duxit, atque e præsenti eduxit vita, pœnitentiæque proposito privavit. Quod enim si vixisset, et ipse salutem consecuturus esset, palam est ex crucifixoribus. Si enim hos qui eum crucifixerant salute donavit, et ipse in cruce existens rogavit patrem indulgentiamque tantæ audaciæ postulavit: constat quod et ipsum proditorem digne pœnitentem cum omni mansuetudine suscepisset: sed ille in remedio manere non tulit, mœrore nimio absorptus. Id igitur et Paulus timens, Corinthios sollicitabat eripere a faucibus diaboli hominem. Et quid opus est de Corinthiis dicere? Petrus enim post mysteriorum communionem ter negat, et plorans delevit omnia. Paulus persecutor, blasphemus, et contumeliosus, non crucifixum modo, sed illius universos persequens, pœnitentia ductus, Apostolus efficitur. Solum a nobis Deus occasionem, vel parvam requirit, atque universa dimittit nobis peccata: dicam et parabolam idipsum confirmantem.

[1] Matth. XXVII, 4.

IV. Duo quidam erant fratres, paternaque divisa substantia, horum unus quidem domi mansit, alter autem cuncta quæ obvenerant, comedens, patria extorris factus erat, paupertatis non ferens pudorem. Hanc autem parabolam in medium idcirco protuli, quo sciatis et peccatorum quæ post baptisma contrahuntur, remissionem esse, si attendamus : dico autem non uti ad inertiam compellam, sed ut a desperatione revocem. Nam desperatio quam inertia majora nobis confert mala. Hic igitur filius eorum, qui post baptisma lapsi sunt, imaginem præ se fert; eos enim qui post baptismum, lapsi sunt eum significare hinc constat, quod filius dicatur : nam extra baptismum nemo filii appellatione nominatur : et domum habitaverat paternam, et paternam omnem substantiam diviserat. Ante baptisma autem non licet paterna accipere, neque hæreditatem consequi : ita ut ex his omnibus fidelium status adumbretur. Et probi frater erat, frater vero sine spirituali regeneratione nequaquam fuerit. Hic igitur ad summam malitiam delapsus, quid inquit ? « Revertar ad » patrem meum[1]. » Propterea hunc pater dimiserat, neque prohibuerat, quominus in regionem abiret alienam, quatenus experimento disceret accurate, quantum beneficium susceperit domi manens. Sæpe enim Deus, cum dictis minus suadet, rerum experimentis doctrinam permittit. Quod et ad Judæos dicebat : quoniam quidem infinita per Prophetas verba cum impendisset, non suasit, neque illexit; permittens eos per flagella corrigi, dicit illis : « Corripiet te rebellio tua, et malitia tua arguet te[2]. » Oportuerat ipsum quidem fide dignum haberi vel ante ipsarum rerum eventum : quoniam vero tam stupidi fuerunt, ut eo monente et consulente non crederent, cum eos prius repressisset, ne malitiæ obtemperarent, permisit eos rerum

[1] Luc. xv, 18. — [2] Jerem. ii, 19.

eventu corrigi, quo vel sic eos recuperaret. Postquam igitur concedens ille prodigus in alienam terram rebus ipsis perdidicit, quid mali sit paterna domo excidere, et rediit: non fuit memor injuriæ pater; sed passis eum suscepit manibus. Quid ita? quia pater, non judex erat: et choreæ, et epulæ et festi conventus deinde facti sunt, lætaque et gaudens erat domus. Quid dicis? hæccine sunt malitiæ præmia? Non malitiæ, o homo, sed reditus: non peccati, sed pœnitentiæ: non improbitatis, sed in melius mutationis: et quod est majus, de his indignatus est major filius: hic autem et ipsum mansuete mitigavit, dicens: « Quoniam tu » quidem semper mecum es, hic vero perierat, et inventus » est: mortuus erat, et revixit[1]. » Cum vero perditum servare oportet, inquit, non judicii tempus est, neque subtilioris examinis, sed clementiæ veniæque duntaxat. Nullus enim medicus, misso medicamentorum usu, incontinentiæ pœnas ab eo exegerit. Si vero pœnas eum dare oportuit, satis pœnarum, cum in aliena regione versatus est, dedit. Tanto enim a nobis tempore segregatus, fame dedecoreque ac summis conflictatus malis, laborabat: propterea inquit, « Perierat, et inventus est: mortuus » erat, et revixit. » Non enim inquit: Attende præsentia, sed, prioris, calamitatis magnitudinem considera: fratrem intueris, non alienum; ad patrem reversus est, qui priorum ne vel minimum recordari potest: magis vero eorum solum reminiscitur, quæ ad compassionem, misericordiam, clementiam, indulgentiam trahere possunt, genitoribus accommodatam. Propterea non quæ fecit, dixit, sed quæ passus est: non quod substantiam dissipaverit, meminit, sed quod innumeris conflictatus sit malis. Sic et ovem tanto studio quæsivit, vel etiam majori: hic enim ipse rediit filius, illic autem ipse abiit pastor, et inveniens

[1] Luc. xv, 31, 32.

reduxit, et lætatus est super ea magis, quam super cæteris, quæ salvæ erant. Vide autem quomodo reduxit: non flagellavit, sed ferens humeris rursus gregi reddidit[1]. Hæc igitur intelligentes, non modo a redeuntibus non averti Deum, sed hos non minori cum jucunditate, quam ipsos qui recte se gesserint, recipere: nec modo a pœnas non exigere, sed ad errantium inquisitionem proficisci: ac de his repertis amplius gaudet, quam de cæteris tuto in loco perseverantibus; ipsi neque malis obruti, spem deponamus, neque bonis abundantes confidamus: sed et cum recte nos gesserimus, timeamus, ut ne per confidentiam labamur, et ut lapsi pœnitentiam agamus. Quod enim incipiens dixi, et nunc dico, duo hæc: Stantem confidere, et desperare jacentem, proditionem salutis nostræ esse. Quare stantes cautiores reddens Paulus dicit, « Qui se » putat stare, videat ne cadat[2]. » Et iterum, « Timeo ne » forte aliis prædicans, ipse reprobus fiam[3] : » jacentes autem erigens, et ad ulterius excitans studium, testificabatur Corinthiis sic scribens, « Ne forte multos defleam, qui » ante peccaverunt, et pœnitentiam non egerunt[4] : » ostendens non tam peccantes, quam non pœnitentes dignos lacrymis esse. Et Propheta ad eosdem: « Numquid qui cadit, » non resurgit, aut aversus non revertitur[5]? » Quare et eosdem exhortans David dicit, « Hodie si vocem ejus au» dieritis, nolite obdurare corda vestra sicut in exacerba» tione[6]. » Quandiu igitur, « Hodie, » dicitur, ne animum despondeamus; sed bonam in Domino spem habentes, et pelagus ejus clementiæ recogitantes, omnem conscientiam excutientes malam, multa cum spe propositoque adhæreamus virtuti, et pœnitentiam majorem in modum ostendamus, ut hic universa deponentes peccata, multa fi-

[1] Matth. XVIII, 12, 13. — [2] 1 Cor. X, 12. — [3] Id. IX, 27. — [4] 2 Cor. XII, 21. — [5] Jerem. VIII, 4. — [6] Psal. XCIV, 8.

ducia coram Christi tribunali stare possimus, regnumque cœlorum consequi. Cujus omnes nos participes fieri contingat, gratia et clementia Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, simulque sancto Spiritui gloria, imperium, et honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II *alias* III.

Oratio de eleemosyna, et in decem Virgines (6).

I. An novistis unde nobis nuper sermo incœperat[1], aut quo desierat, aut ex quo argumento, in quod desierant prioris homiliæ verba? sed vos oblitos existimo, quo loco a nobis ille sermo finitus sit. Ego vero novi, neque vos accuso, aut redarguo. Quisque enim vestrum uxorem habens parvulis studet, et quæ domi sunt curat omnia. Alii militiam sectantur, alii artifices sunt, ac vestrum quisque diversis insudat operibus : nos vero in his versamur, in his cogitamus, atque in his nostrum terimus tempus. Itaque ea in re haud accusandi estis, magis pro studio laudandi, quod nulla nos relinquatis Dominica die, sed omnibus neglectis ad Ecclesiam veniatis. Is enim laudum est cumulus civitati nostræ, non tumultum et suburbia, non domos deauratis trabibus, et triclinia, sed diligentem populum habere, atque excitatum. Neque enim ex frondibus generosam arborem, sed ex fructibus agnoscimus. Idcirco enim mutis animalibus prælati sumus, quod sermonem habeamus, sermone mutuo colloquamur, sermonem amemus. Homo enim qui a sermone abhorret, jumentis est minus rationalis, non satis sciens cujus gratia honoratur,

[1] Vide D. Guillon, tom. XVII, p. 355-365.

atque unde honorem accepit. Quare bene Propheta « Homo, inquit, cum in honore esset, non intellexit, com » paratus est jumentis insipientibus, et similis factus est » illis[1]. » En homo cui proprium loqui, sermonem non amas, et quanam indulgentia dignaberis? Itaque mihi omnes necessarii estis, quotquot ad virtutis sermonem ceu alis instructi advenistis, et omnia divino verbo posteriora duxistis. Age ergo nos quoque rem aggrediamur, atque iis, quæ nuper diximus, sequentia connectamus. Debeo enim vobis, atque ipse læto vobis animo debitum persolvo : non enim id mihi inopiam affert, sed divitias nuntiat. In externis negotiis a creditoribus debitores fugiunt, quominus reddant, ego vero persequor, ut reddam : et merito quidem : nam exteris in rebus restitutio inopiam parit; ipsa vero sermonis dispensatio gignit divitias. Exempli causa : debeo cuidam pecuniam : si persolvero, nequit et apud illum esse, atque etiam apud me, sed a me deficiens, illi adhæsit : sermonem vero si persolvero, et mecum est, atque vos omnes habetis: si sermonem retinuero, neque communicavero, tunc inops sum : si persolvero, tunc ditior fiam. Si non persolvero sermonem, solus ipse ditesco : si persolvero, cum omnibus vobis fructum refero. Eia ergo debitum reddamus. Quidnam id est? de pœnitentia sermonem instituimus, ac diximus, quod multæ variæque sunt pœnitentiæ viæ, quibus facilis nobis salus fiat. Nam si unam nobis dedisset, repulissemus eam utique, dicentes : Nequimus hanc ingredi, salvari nequimus. Nunc ipsam hanc tuam amputans objectionem, non unam tibi, neque secundam, neque tertiam, sed plures ac diversas dedit, quo multitudine tibi ad cœlum facilis ascensus fiat. Et dicebamus facilem pœnitentiam, neque onus in ea esse : peccator es? Ecclesiam ingredere : dic, Peccavi, et solvisti

[1] Psal. XLVIII, 12.

peccatum. Produximus enim peccantem David, et solventem peccatum. Hinc secundam subjecimus viam, super peccatum flere, et diximus : Quisnam hic labor? non pecuniam opus effundere, non longas ire vias, neque aliud quid agere, sed peccatum flere duntaxat. Hoc de Scriptura induximus, quod in Achaab Deus consilium mutarit, eo quod fleverit, quod mœstus fuerit; atque hoc ipse dicebat Eliæ: « Vidisti ut incesserit Achaab coram me flens, et » contristatus? non faciam secundum iram meam[1]. » Hinc tertiam dedimus pœnitentiæ viam, ac de Scriptura Pharisæum duximus in medium, simul et Publicanum : quod Pharisæus quidem superbe elatus, a justitia exciderit: Publicanus vero humiliter sentiens, fructum justitiæ susceperit, neque ullo suscepto labore justificatus sit : verba dedit, res accepit. Age ergo cœptum sequamur, et quartam proferamus pœnitentiæ viam. Et quænam ea est? Eleemosyna, regina virtutum, quæ homines celerrime ipsorum in cœlorum axes adducit, advocati optimi loco fungens. Magna res eleemosyna ; propterea clamabat et Salomon: « Magna res homo, et pretiosa vir misericors[2]. » Magnæ sunt alæ eleemosynæ, præcidit aërem, transit lunam, solis radios excedit, ad ipsum venit cœlorum culmen, sed nec illic subsistit, ipsos pertransiens cœlos, et Angelorum turmas decurrens, Archangelorumque choros, et omnes superiores Potestates, ipsi assistit regali throno: quod ex ipsa disce Scriptura: « Corneli, eleemosynæ, inquit, et orationes tuæ ascenderunt in conspectu Dei[3]. » Illud autem « In conspectu Dei » est, tametsi multa habueris peccata, si advocatrix eleemosyna sit, ne timeas. Nulla enim ex supernis Virtutibus huic sese opponit, de-

[1] 3 Reg. XXI, 2. — [2] Prov. XII, 27. *Habet hebr.* Substantia hominis seduli pretiosa : *Vulgata autem* : Substantia hominis erit auri pretium. — [3] Act. X, 4.

bitum reposcit, chirographum suum manibus gestans Ipsius enim Domini est vox: « Si quis fecerit uni ex mi» nimis his mihi fecit[1]. » Ita ergo quotquot alia habueris peccata, eleemosyna tua omnibus est gravior.

II. Annon intellexisti in Evangelio decem virginum parabolam, quod eleemosynam non habentes, virginitatem licet servarent, extra thalamum nuptialem manserunt? « Erant enim, inquit, decem virgines, quinque fatuæ et » quinque prudentes[2] : » prudentes quidem oleum habebant; stultæ vero non habebant oleum, sed earum lampades extinguebantur. Accedentes autem stultæ ad prudentes dixerunt: « Date nobis oleum de vasis vestris. » Pudet me, et rubore confundor, et lacrymor virginem stultam audiens. Erubesco cum audio nomen, post talem virtutem, et virginitatis studium, ubi corpus in cœlum erexerant, ubi cum ipsis supernis Virtutibus certamen habuerant, laboresque superaverant, ubi ipsam voluptatis flammam conculcaverant: tunc insipientes, et jure insipientes, quod majus cum fecissent, a minore victæ sint. « Et accedentes fatuæ dixerunt sapientibus : Date nobis » oleum de vasis vestris. Hæ autem dixerunt : Non possu» mus vobis dare, ne forte non sufficiat nobis et vobis[3] : » non ex inclementia vel improbitate id agentes, sed propter temporis angustias: venturus enim erat sponsus, habebant et ipse lampades: sed illarum quidem vasa oleum habebant, harum vero non habebant. Ignis est virginitas, oleum autem est eleemosyna, Nam ut ignis, nisi oleum destillans habeat, perit: sic virginitas, nisi conjunctam habeat eleemosynam, extinguitur. « Date nobis oleum de » vasis vestris. At illæ responderunt ipsis; Non possumus » vobis dare. » Et non malitiæ illud verbum, sed timoris. « Ne » forte non sufficiat nobis et vobis; » ne forte quemadmo-

[1] Matth. xxv, 40. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 8, 9

dum omnes intrare quærimus, omnes remaneamus: sed abeuntes emite vobis a vendentibus. Quinam sunt mercatores olei hujus? Pauperes ad eleemosynam pro foribus Ecclesiæ sedentes: et quanti emitur? quanti libuerit. Pretium non appono, ne objicias inopiam. Quanti potes, tanti eme: habes obolum? eme cœlum, non quod vili pretio venale sit cœlum, sed quod clemens sit Dominus. Non habes obolum? da calicem frigidæ aquæ. Inquit enim: « Quicumque dederit uni ex minimis istis calicem aquæ » frigidæ propter me, non perdet mercedem suam[1]. » Mercatura negotiatioque cœlum est, et nos pigritamur. Da panem, et accipe paradisum: parva da, et magna suscipe: da mortalia, immortalia recipe: da corruptibilia, incorruptibilia accipe. Si essent nundinæ, atque in is annonæ vilitas et abundantia, multaque parvo emerentur, annon substantiam vendentes, cunctaque postponentes, in partem ejus negotiationis veniretis? Ubi corruptibilia sunt, tanto studio laboratis: et ubi immortalis est negotiatio, pigritamini, atque adeo conciditis? Da inopi, ut quamvis tu tacueris, ora pro te respondeant infinita, eleemosyna tua stante ac patrocinante. Pretium redemptionis animæ eleemosyna est. Ideo quemadmodum vasa aquæ plena pro foribus Ecclesiæ sunt, quo manus laves, sic et pauperes sedent, ut animæ manus abluas. Aqua manus corporeas lavisti? eleemosyna manus animæ lava. Ne inopiam prætendas: vidua in ultimo fundo Eliam hospitabatur, ac paupertas non fuit impedimento, sed eximio cum gaudio suscepit eum: quare et dignos recepit fructus, et metens eleemosynæ spicam legit. Sed fortasse auditor dicet: Da et mihi Eliam. Quid quæris Eliam? Dominum Eliæ do tibi, nec ipsum cibas, Eliam si inveneris, quomodo hospitaberis? Christi universorum Domini sententia est:

[1] Matth. x, 42.

« Quicumque uni ex minimis fecerit, mihi fecit [1]. » Si forte rex quempiam de turba famulorum appellaverit, atque ad eos dixerit : Reddite gratias huic meo nomine quamplures, qui me inopia laborantem nutrivit, et hospitio excepit, qui mihi beneficia in tempore angustiæ permulta contulit : annon certatim quisque accurrens pecunias omnes suas expenderit ejus causa, cui rex gratias egerit ? annon hæc illi accepta tulerit ? annon se illi quisque commendare atque amicitia jungere studuerit ?

III. Vidisti sermonis virtutem ? Si ergo apud hominem regem tantum honoris res ipsa tribuit, cogita Christum in illa die coram Angelis omnibusque Virtutibus vocantem ac dicentem : Hic me in terra suscepit hospitio, hic mihi innumera contulit beneficia, hic me peregrinum excepit. Cogita de cætero fiduciam inter Angelos, inter cœlestes choros gaudium. Igitur cui testimonium Christus perhibet, non fiduciam super Angelos habuerit ? Magna igitur res eleemosyna, fratres. Hanc amplectamur, cui nihil æquale : potens est enim peccata alia delere, judiciumque propulsare. Te tacente stat et patrocinatur : imovero nihil verbis est opus : cum ipsa pauperum astent ora. Tot ex eleemosyna proficiscuntur bona, et ipsi pigritamur et concidimus. Da panem pro facultatibus tuis : non habes panem, da obolum : non habes obolum, da vel frigidæ aquæ calicem : atqui neque id habes ? vel malis oppresso compatere, atque appensam mercedem habes. Non enim necessitatis, sed intentionis est merces. Sed ecce dum de his disserimus, virginum cura nobis excidit ; age ergo ad propositum redeamus. « Date nobis oleum de vasis ves» tris. Non possumus vobis dare, ne forte non sufficiat » nobis et vobis, sed euntes emite a vendentibus. Abeun-

[1] Matth. xxv, 40.

» tibus autem ipsis, venit sponsus, et quæ habebant lampades splendidas intraverunt cum eo, et clausa est janua » thalami[1]. » Quinque autem fatuæ accedentes januam » thalami pulsabant clamantes : Aperi nobis. Vox autem » sponsi ab intra ad eas : Recedite a me, nescio vos[2]. » Et post tantos labores quid audierunt ? « Nescio vos. » Id omnino est, frustra magna virginitatis possessio. Cogita quomodo post tot labores exclusæ sunt, postquam frenarant incontinentiam, postquam supernis cum Virtutibus certamen habuerant, postquam vitæ hujus res spreverant, postquam æstum toleraverant magnum, postquam septa transilierant, postquam de terra ad cœlum evolaverant, postquam corporis signaculum non solverant, ac magnum virginitatis specimen acquisiverant, postquam certamen cum Angelis inierant, postquam corporis necessitates superaverant, postquam naturæ oblitæ fuerant, postquam in corpore, quæ incorporeorum sunt, perfecerant, postquam magnum atque invictum virginitatis bonum possederant, tunc audierunt : « Recedite a me, » nescio vos. » Neque enim mihi existimaveris tantillam virginitatis esse magnitudinem. Talis enim virginitas est, ut eam potuerit nemo veterum conservare. Propterea enim gratia magna, quod quæ tremenda Prophetis fuerant et veteribus, eadem nunc facilia leviaque existimantur. Quænam enim fuerunt gravissima et violenta ? virginitas, mortisque despectus : at ea nunc vel teneræ puellæ parvi pendunt. Gravis etenim erat virginitatis possessio, ut hac se nemo religaret. Noë justus erat, et a Deo testimonium accepit, sed mulieri adhæsit. Similiter Abraham et Isaac ejusdem ac ille promissionis hæredes, cum muliere consuetudinem habuerunt : Joseph castus adulterii facinus se patraturum negavit, sed hic cum muliere consuetudinem

[1] Matth. xxv, 10. — [2] Ibid. 12.

habuit[1]. Gravis etenim erat virginitatis professio : ex eo tempore firma facta est virginitas, ex quo flos virginitatis germinavit. Nemo igitur veterum poterat virginitatem servare. Magnum etenim est corpus frenare. Pinge mihi sermone virginitatis specimen, atque virtutis magnitudinem disce : quod bellum habeat quotidie nullatenus sedandum, ipso barbarico bello deterius. Nam barbarorum bellum vel tempus quietis habet, cum paciscuntur: et quandoque quidem pugnant, quandoque non : et ordines, et statuta tempora sunt : belli vero cum virginitate gesti nulla datur quies. Diabolus est enim semper bellum inferens, qui temporis observationem non novit, non tempus expectat ad conflictum, sed quærit semper virginem nudam invenire, quo mortale infligat vulnus, neque ab hoc bello unquam virgo cessare potest, sed in se ducem hostemque circumagit. Et damnati quidem etiamsi ad tempus judicem videant, non paribus tamen molestiis premuntur : virgo autem quocumque abierit, et judicem circumagit secum, et hostem secum portat, qui neque vesperi permittit respirare : non nocte, non diluculo, non meridie, sed bellum gerit semper, voluptatemque submittit, nuptias in memoriam adducens, quo virtutem excludat, malitiamque in ea generet, continentiam expellat, fornicationem inserat. Incenditur singulis horis voluptatis fornax suaviter succensa. Cogita quantus talis officii labor sit. At illæ post hæc omnia audiverunt : « Recedite » a me, nescio vos. » Vide quam magna res sit virginitas; cum sororem habuerit eleemosynam, in eam nulla adversa poterunt, sed omnibus superior erit : propterea non introiverunt illæ, quod cum virginitate eleemosynam non habuerint. Multo rubore digna res est : voluptatem cum debellasses, pecuniam non sprevisti : sed virgo quæ vitæ

[1] Gen. XXXIX.

renuntiasti, crucifixa pecuniam amas; utinam virum desiderasses, atque minus criminandum fuerat: nam ejusdem substantiæ rem ac materiam desiderasses: jamvero majus est crimen, quod materiam alienam desideraveris. Esto, quæ sub viro sunt sævitiam male ostendunt filiorum prætextu. Quod si eis dixeris: Da eleemosynam, Filios, inquit, habeo, et nequeo; Deus filios tibi dedit, fructum ventris accepisti, non quo sæva, sed quo pia misericorsque fias. Ne igitur causam clementiæ pietatisque, sævitiæ causam feceris. Cupis hæreditatem bonam filiis tuis relinquere? eleemosynam relinque, quo te omnes laudibus efferant, celebremque tui memoriam relinquas. Tu vero non habens filios, sed mundo crucifixa, quid pecunias congregas?

IV. Sed vivus nobis sermo est et circa pœnitentiæ et circa eleemosynæ viam. Diximus eleemosynam magnam possessionem, inde suscepit nos virginitatis pelagus. Habes igitur pœnitentiam magnam eleemosynam, valentem peccati catenam dissolvere: habes et viam aliam pœnitentiæ opportunam, qua poteris a peccatis te vindicare. Ora per singulas horas, neque orans deficias, neque negligenter Dei clementiam implora, non repellet te perseverantem, sed peccata dimittet, et petita concedet. Orans quidem si exauditus fueris, permane gratias agens in oratione: non exauditus, mane orans ut exaudiaris. Neque dixeris, multum oravi, atque haud exauditus sum: etenim vel id sæpe tuæ utilitatis fit gratia. Novit enim quod piger sis, et animo deficias; et si compos voti fueris, habeas oratione dimissa: et per occasionem necessitatis differt te, quo crebrius Deum alloquaris, orationique vaces. Nam si ea in necessitate existens, atque indigens pigritaris, neque orationi insistis: quidnam egeris, horum si nullo indigueris? Itaque id tibi facit, ad utilitatem tuam,

nolens te absistere ab oratione. Mane ergo et ora, dilecte, neque segnis esto : multum enim oratio potest, neque tanquam rem parvam aggrediens, orationi vaces. Quod autem oratio peccatum dimittat, vel ex divinis Evangeliis disce : quid enim inquit? Simile est regnum cœlorum homini, qui suam januam clausit, et recubuit cum filiis suis[1] : venit autem quidam vespere, accipere volens ab eo panes, et pulsat dicens : Aperi mihi, quoniam indigeo panibus. Hic ad eum : Non possum dare tibi; recubuimus enim et nos et pueri nostri : At ille perseverabat januam pulsans, et ait rursus ad eum, Non possum tibi dare: recubuimus enim et nos et pueri nostri. Ille autem his auditis insistebat pulsans, neque recedebat; donec dixit paterfamilias : Surgite et date ei, et sinite abire. Docet ergo te orare, neque obtorpescere : et si minus acceperis, permanere, quoad acceperis. Plures alias pœnitentiæ vias in Scripturis invenies. Ipsa pœnitentia et ante Christi adventum per ejus prophetam Jeremiam prædicabatur dicentem : « Numquid cadens non resurgit, aut avertens se » non revertitur[2]? » Et iterum : « Postea dixi ei : Postquam » fornicata as, Accede, convertere ad me. » Propterea et multas vias alias pœnitentiæ dedit, quo nobis omnem desidiæ occasionem amputet. Nam si unam haberemus solam, hac vadere nequiremus. Mucronem hunc diabolus semper fugit. Peccasti, Ecclesiam ingredere, atque tuum dele peccatum. Quoties cecideris in foro, toties exurgis : sic quoties peccaveris, peccati pœniteat, neque desperes. Tametsi secundo peccaveris, secundo pœniteat, neque animo consternatus a spe repositorum bonorum cadas. Quamvis in extrema canitie peccaveris, ingredere, pœnitentiam age : medicinæ locus est hic, non judicii; non pœnas exigens, sed peccatorum remissionem tribuens.

[1] Luc. XI, 5. — [2] Jerem. VIII.

Deo soli dic peccatum tuum. « Tibi soli peccavi, et ma»lum coram te feci[1], » et dimittitur tibi peccatum. Habes et aliam pœnitentiæ viam haud difficilem, sed omnino accommodatissimam : qualem hanc? Defle super peccatum tuum, idque ex sacris disce Evangeliis. Petrus ille Apostolorum princeps, in Ecclesia primus, amicus Christi, qui revelationem ab hominibus non accepit, sed a Patre, sicut ipsi testimonium Dominus reddit : « Beatus es Simon » Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pa» ter meus qui in cœlis est[2]. » Hic idem Petrus, Petrum cum dico, petram nomino infragilem, crepidinem immobilem, Apostolum magnum, primum Discipulorum, primum vocatum, et primum obedientem : ille non parvum facinus admisit, sed maximum, qui Dominum negavit : hoc dico, non Justum accusans, sed tibi pœnitentiæ præbens occasionem. Ipsum orbis Dominum negavit, procuratorem, Salvatorem omnium. Ut vero altius repetamus, vidit Salvator quosdam abeuntes retro[3], et dixit Petro : « Numquid et tu abire vis? Petrus autem dixit : » Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo[4]. » Quid dicis, Petre? Deus est qui denuntiat, quid ipse reluctaris? Sed tamen intentio quod suum erat ostendit, naturæ vero infirmitas redarguitur. Hæc vero quando? Nocte qua traditus est Christus : tunc igitur, inquit, stetit Petrus ante prunas calefaciens se, puella quædam accessit, et dixit ei : « Heri et tu cum homine isto eras. Ille » autem : Non novi hominem hunc[5]. » Deinde secundo et tertio, et impleta est denuntiatio. Hinc Christus respiciens in Petrum, vocem dimisit per ipsum intuitum[6]. Non enim ore locutus est, ne ipsum coram Judæis redargueret, et proprium confunderet Discipulum, sed per oculum dimit-

[1] Psal. L, 6. — [2] Matth. XVI, 17. — [3] Joan. VI, 67. — [4] Matth. XXVI, 35. — [5] Ibid. 69. et Marc. XIV, 68. — [6] Luc. XXII, 61.

tens vocem, quasi diceret: Petre, quod dixi, factum est. Igitur Petrus tunc sentiens cœpit flere: et non flevit modo, sed amare, secundum baptisma per lacrymas ex oculis efficiens. Cumque flevisset amare, delevit peccatum. Post hæc enim claves illi cœlorum creduntur. Quod si Petri fletus tantum delevit peccatum, quî fieri poterit, ut si fleveris, peccatum non deleas? Non enim parvus fuit reatus, proprium dominum negasse, sed magnus et gravis, eum tamen lacrymæ delevere. Defle igitur et ipse super peccatum, neque quoquo modo defle, aut specie tantum; sed defle amare quemadmodum et Petrus. Ex ipso profundo deduc fontes lacrymarum, quo Dominus misericordia motus, tibi peccatum dimittat: clemens etenim est: ipse enim dixit: « Nolo » mortem peccatoris, sicut converti ipsum, et pœniten- » tiam agere, et vivere[1]. » Exiguum expetit a te laborem et magna ipse largitur: occasionem a te quærit, ut tibi salutis thesaurum tribuat. Profer lacrymas, et ipse indulgentiam impertit: profer pœnitentiam, et ipse remissionem tribuit peccatorum: occasionem tu exiguam confer, ut speciosam habeas excusationem. Quædam enim ab illo sunt, quædam a nobis. Quæ a nobis sunt, si contulerimus, et ipse rursus quæ sunt ab ipso præbebit. Jam igitur quæ ab illo sunt, ipse præbuit: solem nimirum, lunam, varium stellarum chorum fundavit, aërem diffudit, terram expandit, mare obvallavit, montes dedit, saltus, colles, fontes, lacus, fluvios, innumera plantarum genera, viridaria, cætera omnia: tu rursus aliquid exiguum confer, ut ita cœlestia tibi largiatur. Ne igitur nos ipsos negligamus, neque a salute nostra procuranda desistamus, cum tantum nobis pelagus benignitatis omnium domini pateat, qui super peccatis nostris pœnitentia ducitur. Propositum et regnum cœlorum est paradisus, eaque bona,

[1] Ezech. XVIII, 23.

« Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor homi- » nis ascenderunt, quæ præparavit Deus iis, qui ipsum di- » ligunt[1]; » et non debemus omnem operam adhibere, ut aliquid conferamus, ne ab his excidamus? An ignoras quid dicat Paulus? qui multos labores exantlavit, et innumeros de diabolo triumphos reportavit, qui in corpore orbem terrarum peragravit, qui terram, mare, aëremque percurrit, qui tanquam alis subvectus aliquis orbem terrarum perambulavit, lapidatus, cæsus, verberatus, qui omnia pro Dei nomine tulit, qui cœlesti voce desuper compellatus; hic quid dicat, et qualem emiserit vocem vide, « Ac- » cepimus, inquit, gratiam a Deo, sed et ego laboravi, et » simul contuli, et gratia ejus quæ in me est, vacua non » fuit, sed plus quam ipsi omnes laboravi et simul con- » tuli[2]. » Novimus, inquit, novimus gratiæ magnitudinem quam accepimus, sed non desidem me invenit: manifesta sunt qua me fuerunt illata: sic et ipsi, fratres, menus ad eleemosynam doceamus, ut parum quid inferamus. Ploremus super peccatum, ingemiscamus super iniquitatem, quo videamur vel parum quid inferre: quandoquidem magna nobis in futuro reposita sunt, quæ potestatem nostram exsuperant: paradisus enim est, et cœlorum regnum, cujus et ipsi omnes participes simus, gratia et clementia Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et simul cum Spiritu sancto, gloria, imperium, et honor, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 1 Cor. II, 9. — [2] Id. XV, 10.

HOMILIA III *alias* IV.

De pœnitentia et oratione.

I. Pastores illo frequentius ducunt oves[1], ubi densiorem herbam esse vident, neque prius inde abigunt, quam totam grex totonderit. Hos imitati, hac quarta jam die ad pœnitentiæ modum hunc pascimus gregem, neque vel hodie digredi paramus. Multum namque pabuli esse videmus, multum lætitiæ et utilitatis. Neque enim arborum comæ, quæ ad meridianas horas tecti vice sunt ovibus, ita eas recreant, ita desiderabilem utilemque umbram præbent, ad somnumque magna cum voluptate pertrahunt; ut divinarum Scripturarum lectio, mœrentes et angore animi detentas animas recreat ac refrigerat, dum vehementiam ardoremque doloris lenit, solatiumque qualibet umbra suavius amœniusque impertit. Neque enim solum in pecuniarum jactura, aut in liberorum amissione, aut in aliis similibus; sed etiam in peccatorum calamitatibus magnam illa nobis affert consolationem. Cum enim homo peccato interceptus et circumventus cecidit; postea mordetur a conscientia, peccatique assidue memor, sese mœroris magnitudine obruit, perque singulos dies inceditur: innumerisque ipsum consolantibus, si consolationem non admiserit, ingressus in Ecclesiam, postquam audivit Sanctorum plurimos lapsos surrexisse, atque ad priorem rediisse dignitatem, clam multo solatio plenus egreditur. Et qui in homines plerumque peccamus, ne revelare quidem peccatum audemus pudore ruboreque detenti; quod si

[1] Vide D. Guillon, tom. XVII, p. 366-371.

revelemus, nihil tantum consequimur : cum autem Deus exhortatur, corque nostrum tangit, satanica omnis tristitia statim fugatur. Ideo justorum lapsus nobis conscripti sunt : quo et qui recte et qui improbe vivunt hinc maxime lucrifaciant. Nam peccator in desperationem non abit, cum videt alium lapsum, qui resurgere potuit : qui vero justitiam colit, diligentior erit et firmior. Cum enim multos se meliores lapsos viderit, illorum casu factus cautior, semper sollicitus erit, multaque se cautione muniet. Sic itaque is, qui virtutem colit, persistet; peccator vero a desperatione liberabitur : ille firmiter stabit, hic in priorem, a quo excidit, statum confestim revertetur. Nam cum homo quispiam nos mœstos consolatur, etiamsi ad modicum tempus quid solatii habere videamur, in eamdem tamen rursus tristitiam delabimur. Cum vero Deus per alios hortatur, qui post peccatum resipiscentes salutem consequuntur, suam nobis bonitatem manifestam facit, ne propria de salute dubitemus, firmam certamque nacti consolationem. Quemadmodum igitur in peccatorum casibus, sic etiam in periculis contingentibus, congruentem mœrentibus medelam veteres Scripturarum historiæ animum adhibere volentibus subministrant : ac sive facultatum publicatio, sive sycophantarum molestia, sive carceres, sive flagella, sive aliud quidpiam mali nos intercipiat; ad justos respicientes, qui eadem ipsa passi sunt ac toleraverunt, ad nosmetipsos statim redire poterimus. In corporeis namque morbis, si æger alios ægrotos respiciat, suum auget morbum, quandoque etiam quam non habebat infirmitatem contrahit. Exempli causa cum nonnulli alios oculis laborantes respicerent, a solo intuitu eumdem in morbum inciderunt; in anima vero non idipsum, sed contrarium prorsus evenit : si enim assidue cogitemus eos, qui eadem ipsa perpessi sunt, hinc malorum nostrorum

lenitur dolor. Ideo Paulus fideles hoc hortatur modo, non solum sanctos, qui in vivis sunt, sed etiam mortuos in medium adducens. Hebræos enim alloquens, qui nutabant moxque lapsuri erant, Danielem in medium adducit, tres pueros, Eliam, Eliseum, his verbis : « Obturaverunt ora » leonum, extinxerunt virtutem ignis, effugerunt ora gla» dii, lapidati sunt, ludibria et verbera experti sunt, in» superque custodiam carcerum. Circuierunt in melotis et » caprinis pellibus, egentes, angustiati, afflicti, quibus » dignus non erat mundus[1]. » Ærumnarum autem communio solatium præbet afflictis. Ac quemadmodum si quis solus grave quidpiam patiatur, nullam habet in malo consolationem; ita si quis inveniat alium in mala delapsum, hinc leviorem experitur plagam.

II. Ut igitur in omnibus, quæ nobis molesta accidunt, non concidamus, Scripturarum historiis diligenter attendamus : multam enim hinc patientiæ occasionem mutuabimur; non solum ex societate eadem passorum consolationem nacti, sed edocti etiam modum, quo ab ærumnis illis liberemur, et adepti tranquillitatem eodem in statu maneamus, nec vel in desidiam labamur, vel arrogantia efferamur. Nam quod cum malis affligimur, demissi humilesque simus, magnamque pietatem exhibeamus, nihil mirum : hæc quippe est tentationum natura, ut vel eos, qui lapideo corde sunt, ad hunc statum præ afflictione deducant. Sed animæ est religiosæ, Deumque continuo præ oculis habentis, etiam postquam liberata est a tentationibus, in oblivionem minime cadere : quod Judæis frequenter accidit. Quare irridens eos Propheta dicebat : « Cum occideret eos, quærebant eum, et reverte» bantur, et diluculo veniebant ad Deum[2]. » Et Moyses horum conscius, frequenter hortabatur his verbis : « Cum

[1] Hebr. XI, 33-38. — [2] Psal. LXXVII, 38.

» comederis, et biberis, et saturatus fueris, attende tibi, » ne obliviscaris Domini Dei tui[1]. » Illud igitur evenit : « Comedit enim, inquit, Jacob, et impinguatus est, et » incrassatus est, et recalcitravit dilectus[2]. » Quamobrem sanctos non ideo mirari par est, quod urgente tribulatione, ita pii et philosophi fuerint; sed quod transacta hyeme, et adveniente tranquillitate, in eadem modestia diligentiaque manserint. Equum certe illum maxime mirari oportet, qui sine freno concinne iter facere potest, quod si freno habenisque cogentibus ordine incedat, nihil mirum. Non enim generositati animalis, sed necessitati a freno inductæ, illa gressus concinnitas tribuenda est. Idipsum de anima dicendum, si instante metu moderate agat, nihil mirum esse : cum autem tentationes transierint, et timoris frenum remotum fuerit, tunc mihi animi philosophiam exhibe, omnemque disciplinam. Sed vereor ne Judæos accusare volens, nostrum accusem vitæ institutum. Quandoquidem et nos cum exagitabamur vexati fame, peste, grandine, siccitate, incendiis, hostium incursu, nonne quotidie Ecclesia multitudine convenientium angustabatur? Tunc magna nobis inerat philosophia, et sæcularium rerum contemptus : non pecuniarum cupido, non gloriæ desiderium, non appetitus et amor lasciviæ, neque alius pravus cogitatus tunc nos agitabat : sed universi vos ad Dei cultum contulistis cum oratione et lacrymis. Tunc fornicator temperanter agebat, injuriarum memor ad reconciliationem properabat, avarus ad eleemosynam flectebatur, iracundus et truculentus ad humilitatem et mansuetudinem convertebatur. Postquam autem Deus iram illam deposuit, ac procellam abegit, atque post tantos fluctus tranquillitatem paravit, ad pristinos iterum mores reversi sumus. Atqui in ipso tentationum

[1] Deut. VI, 12. — [2] Id. XXXII, 15.

tempore hæc prædicere et testificari non desistebam. Attamen nihil profecimus; sed velut somnium et umbram transeuntem, sic illa omnia ab animis vestris removistis. Propterea nunc timeo plus, quam tunc metuebam, et quod tunc dicebam, nunc magis formido, ne graviora prioribus nobis attrahamus mala, tuncque plagam incurabilem a Deo accipiamus. Cum enim quis frequenter peccans a Deo veniam consequitur, et postea nihil ab ejusmodi tolerantia Dei lucratur ad nequitiam deponendam, demum ita cum illo agit Deus, ut vel invito illi malorum colophonem immittat, eumque penitus conterat, neque ultra illi inducias ad pœnitentiam concedat, quod et ipsi Pharaoni contigit. Ubi enim priori, secunda, tertia, quarta aliisque sequentibus plagis, Dei longanimitatem expertus, nihil hinc utilitatis accepisset, attritus demum est cum tota civitate, funditusque deletus. Idipsum et Judæi passi sunt. Quamobrem Christus cum eos perditurus, vastitatemque ipsis perpetuam inducturus esset, sic dicebat: « Quoties volui congregare filios tuos et noluistis? Ecce » relinquetur domus vestra deserta[1] : » Timeo igitur ne nos quoque eadem ipsa patiamur, quia nec alienis, nec nostris malis ad meliorem frugem reducimur. Non vobis solum nunc præsentibus hæc dico; sed iis etiam, qui a quotidiana diligentia abstracti sunt, et priorum calamitatum obliti : quos non cessabam semper, me ipsum quasi disrumpens, sic alloqui : Etiamsi tentationes transierint, maneat in animis vestris tentationum memoria, ut beneficii frequenter recordantes, gratias perpetuo referamus illud conferenti Deo.

III. Hæc et tunc dicebam, et nunc dico vobis, ac per vos illis. Imitemur sanctos, qui neque a calamitatibus absorpti sunt, neque secundis rebus molliores evasere.

[1] Luc. XIII, 34.

ut complures hominum nunc facimus; sicut leviores cymbæ, quæ qualibet procellarum ingruente vi circumventæ demerguntur. Nam sæpe paupertas ingruens nos in profundum dejecit, ac demersit: iterumque affluentes divitiæ nos inflaverunt, et in extremam deduxere negligentiam. Quapropter rogo omnia relinquentes, animas nostras ad salutem singuli componamus: hac enim bene sese habente, quodcumque ingruet mali, sive fames, seu morbus, seu sycophantia, seu pecuniarum direptio, seu aliud quidvis, tolerabile erit ac leve, propter Domini præceptum, ac spem, quam in illum habemus: quemadmodum rursus anima erga Deum non recte disposita, etsi divitiæ affluant, adsint liberi, immensaque pecunia, magnos sibi mœrores, et sollicitudines attrahet is, qui illorum potitur. Ne itaque divitias quæramus, ne paupertatem fugiamus: sed præ omnibus nostram singuli curemus animam, eamque idoneam paremus tum ad præsentis vitæ dispensationem, tum ad profectum ex hac vita ad futuram. Adhuc enim modicum, et probatio uniuscujusque nostrum fiet, cum omnes astabimus ante horrendum illud tribunal Christi propriis actionibus circumdati, et propriis videntes oculis, hinc lacrymas pupillorum, inde turpes lascivias, quibus animas nostras inquinavimus; itemque viduarum gemitus, inopum colaphos, rapinas pauperum. Non hæc autem solum et his similia; sed etiam si quid pravum mente fecimus: quoniam ipse est, « Cogitationum discretor, et in» tentionum judex[1] : » ac rursum, « Scrutans corda et » renes[2], et, Reddens unicuique secundum opus suum[3]. » Hic porro sermo non eos solum respicit, qui in sæculo vivunt, sed etiam eos, qui monasticæ vitæ causa tuguria sibi in montibus struxerunt: quia non modo corpora sua ab omni fornicationis labe pura servent oportet, sed et

[1] Hebr. IV, 20. — [2] Psal. VII, 1. — [3] Matth. XVI, 27.

animam ab omni satanica habendi cupiditate. Non enim mulieres tantum alloquitur Paulus apostolus, sed etiam viros universamque Ecclesiam, cum dicit animam in virginitate perseverantem oportere sanctam esse corpore et spiritu; ac rursum, « Exhibete corpora vestra virginem » castam. » Castam quomodo? « Non habentem maculam » vel rugam [1]. » Quandoquidem virgines illæ, quæ extinctas habebant lampades [2], virgines erant corpore, sed non corde puræ. Verum tametsi vir eas non corruperat, at pecuniarum amor corruperat. Corpus earum purum erat, sed anima adulterio admodum plena, pravis cogitationibus eas occupantibus, pecuniæ item amore, inhumanitate, ira, invidia, desidia, oblivione, superbia, omnibus pariter virginitatis earum dignitatem labefactantibus. Ideo dicebat Paulus : « Ut virgo sit sancta corpore et spiritu : et iterum, » Virginem castam exhibere Christo [3]. » Quemadmodum enim corpus a mœchis corrumpitur, ita et anima a satanicis cogitationibus fœdatur, a corruptis dogmatibus, ab absurdis cogitationibus. Nam qui dicit, Virgo sum corpore, anima vero invidet fratri, hic virgo non est : virginitatem enim ejus vitiavit livoris commixtio. Item inanis gloriæ appetens, non est virgo : virginitatem quippe ejus corrupit livoris cupido : etenim morbus ille animi ingressus, ejus virginitatem solvit. Qui vero odit fratrem suum, ille homicida potius, quam virgo est. Utque summatim dicam, quisque eo, quo tenetur animi morbo, virginitatem suam corrumpit. Idcirco Paulus hasce pravas omnes commixtiones abigit : atque jubet nos ita virgines esse, ut nullam contrariam cogitationem in anima sponte suscipiamus.

IV. Quid igitur ad hæc dicemus? quomodo misericor-

[1] 1 Cor. VII, 34; 2 Cor. XI, 2, et Ephes. V, 27. — [2] Matth. XXV, 8. — [3] 1 Cor. VII, 34, et 2 Cor. XII, 2.

diam consequemur? quomodo salutem? Ego dicam : orationem in corde semper suscipiamus, ejusque fructus, nempe humilitatem, et mansuetudinem; «Discite enim, » inquit, a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris[1]. » Rursumque David: « Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum » et humiliatum Deus non despiciet[2]. » Nihil enim ita Deus amplectitur et amat, ut animam mitem et humilem et gratam. Adverte igitur et tu, frater; cum quid inexpectatum tibi acciderit molestiamque crearit, ne ad homines confugias, ne ad mortale auxilium respicias; sed omnes transcurrens, mente tua ad animarum medicum te confer. Nam ipse solus cordi medelam afferre potest, qui finxit singillatim corda nostra, et intelligit omnia opera nostra[3] : ipse potest in conscientiam nostram ingredi, mentem tangere, animamque cohortari : quod si ipse non cohortetur corda nostra, quæ ab hominibus accedent, superflua et inutilia erunt : quemadmodum vicissim Deo cohortante et consolante, etiamsi sexcentas homines molestias creaverint, ne minimum quidem nobis nocere poterunt. Cum enim ille cor nostrum firmaverit, nemo illud exagitare valebit. Hæc cum sciamus, dilecti, ad Deum semper confugiamus, qui vult et potest calamitates solvere nostras. At enim quando homines exorare oportet, ostiarios prius alloqui necesse nobis est, parasitos item adulatoresque precari, multumque itineris capessere. Apud Deum vero nihil simile, sed sine intercessore exorabilis est, sine pecuniis, sine sumptibus, petitioni annuit. Sufficit solo corde clamare, et lacrymas offerre, et statim ingressus, eum attraxeris. At hominem cum rogamus, sæpe metuimus, ne quis ex inimicis, aut amicus eorum, aut adversarius quispiam rem audiat, aliusve referat ea, quæ dicta

[1] Matth. XI, 29. — [2] Psal. L, 19. — [3] Id. XXXII, 15.

sunt, et jus pervertat: in Deo autem nihil tale suspicari licet. Cum enim me volueris precari, inquit, solus accede nemine præsente; id est, corde clama, neque labia movens: nam « Intra, inquit, in cubiculum tuum, claude ostium tuum, et ora Patrem tuum, qui est in abscondito: » et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi in publico[1]. » Vide honoris excellentiam. Cum me rogas, inquit, nemo videat: cum autem te honore afficio, orbem evoco beneficii testem. Obtemperemus ergo, neque ad ostentationem precemur, neque contra inimicos nostros, neu modum auxilii doceamus eum. Nam si causidicis et rhetoribus apud forenses judices tractanda negotia nostra dicimus tantum, modum autem defensionis ipsis relinquimus, ut pro lubito res nostras disponant: multo magis erga Deum ita faciendum est. Dixisti ei causam tuam, dixisti quæ passus es? cave dicas illi quo pacto tibi auxilium sit ferendum: ille quippe novit quid tibi competat. Sunt autem plurimi, qui mille versus inter orandum proferunt, dicuntque: Domine, da mihi corporis sanitatem, duplo plures, quam habeo, facultates, ulciscere inimicum meum: quod est ingenti plenum absurditate. Quamobrem his omnibus omissis ita orandum precandumque est, ut Publicanus ille, qui dicebat: « Deus, propitius esto mihi » peccatori[2]: » et ipse novit quo pacto tibi sit opitulandum: nam « Quærite, inquit, primum regnum Dei, et » hæc omnia adjicientur vobis[3]. » Sic itaque, dilecti, cum labore et humilitate philosophemur, percutientes pectora nostra, quemadmodum ille: et quæ petimus consequemur. Sin ira furoreque pleni precemur, abominabiles et odiosi apud Deum reperiemur. Conteramus igitur mentem nostram, humiliemus animas nostras, precemurque pro nobis, proque iis qui nos molestia affecerunt. Si namque

[1] Matth. VI, 5, 6. — [2] Luc. XVIII, 13. — [3] Matth. VI, 33.

velis judicem ad auxilium animæ tuæ demulcere, et ad tuas partes attrahere, nunquam eum contra adversarium tuum compellaveris. Etenim judicis illius talis est mos: illis maxime annuit et postulata concedit, qui pro inimicis orant, qui non sunt injuriæ memores, qui contra inimicos suos non efferuntur. Et quanto magis hi se ita gerunt, tanto magis Deus eorum inimicos ulciscitur, nisi ad pœnitentiam convertantur.

V. Videte ergo, fratres, ne injuria a quopiam lacessiti statim indignemur et in tristitiam labamur, sed philosophantes gratias agamus, expectantes auxilium Domini. Annon poterat Deus ante precationem bona nobis conferre? Annon vitam dolore vacuam concedere, atque a quavis ærumna vacuam? Sed utraque ille summo amore facit. Cur enim nos vexari permittit, nec illico auxilium admovet? Qua de causa? Ut ipsum assidue adeamus, ejus postulantes opem, ad ipsumque confugiamus, et frequenter ipsum ad auxilium vocemus. Ideo corporis dolores, ideo penuriæ fructuum, ideo fames: ut ex his ærumnis ab illo semper pendeamus, atque sic per temporales ærumnas vitam æternam in hæreditatem consequamur. Itaque pro his etiam Deo gratias agere debemus, qui multis modis sanitatem et salutem confert animabus nostris. Homines enim si minimum quidpiam nobis beneficii contulerint, iisque postea vel inviti aliquantulum molestiæ afferamus, statim exprobrant beneficium, ita ut multi sibi ipsis maledicant, quod ab iis beneficium quodvis acceperint. Deus vero non sic: sed etiamsi statim post collata beneficia contemnatur afficiaturque contumelia, adhuc sese purgat, rationesque init cum iis, qui se injuria affecerunt, his verbis: « Popule meus, quid feci tibi[1]? » Ipsi nolebant eum vocare Deum, ille vero non cessabat ipsos populum

[1] Mich. VI, 3.

suum nominare : ipsi dominium detrectabant : ille vero non negabat eos, sed ut suos tractabat, et ad se trahebat dicens, « Popule meus, quid feci tibi? » An tibi onerosus fui, inquit, an gravis et molestus? at hoc non potes dicere. Quin etiamsi hoc esset, neque sic oportuit resilire. « Quis » enim est filius, quem pater non corrigat[1]? » Attamen hoc non potestis dicere. Et iterum alibi : « Quod invenerunt patres vestri in me delictum[2]? » Magnum et mirabile dictum : quod enim dicit hujusmodi est ; « Quid peccavi? » inquit Deus hominibus. « Quid peccavi? » quod neque servi a dominis dici concedunt. Neque dicit, Quid peccavi in vos ; sed, in patres vestros. Verum neque hoc, ait, potestis dicere, quod paternam erga me inimicitiam servetis. Neque enim progenitores vestros permisi unquam providentiam meam incusare, in parvo aut magno despiciens eos. Neque simpliciter dixit : Quid habuerunt patres vestri, sed, « Quid invenerunt? » Quamvis multa quæsierint, multa circumquaque moverint tot annis meo sub imperio degentes, nullum invenerunt in me delictum. Igitur horum omnium causa frequenter ad eum confugiamus, et in omni mœrore consolationem ejus quæramus, in omni calamitate solutionem ejusque misericordiam, in omni tentatione ejus auxilium ; quantumcumque enim malum fuerit, quantacumque calamitatis magnitudo, omnia ille solvere et amovere potest. Neque hoc tantum, sed omnem securitatem, virtutem, veram gloriam, incolumitatem corporis, philosophiam animæ, spem bonam, et ut non facile peccemus, id nobis ejus bonitas conferet. Ne itaque ingratorum servorum more murmuremus, neque Dominum incusemus : sed in omnibus gratias agamus, et unum solum malum esse putemus, nempe in eum peccare. Atque si ita erga Deum affecti simus, non

[1] Hebr. XII, 7. — [2] Jerem. II, 5.

morbus, non paupertas, non ignominia, non sterilitas fructuum, non aliud quidpiam eorum, quæ inter mala computantur, nos excipiet: sed puram castamque voluptatem semper nacti, etiam futura bona consequemur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre gloria, una cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV *alias* V.

In Jonam prophetam, Danielem, et tres pueros, et de pœnitentia. Dicta est autem in sacrorum jejuniorum ingressum.

I. Læta nobis hodie ac festiva celebritas[1], solitoque illustrior cœtus: quænam ergo causa? Jejunii præclarum opus hoc esse novi jejunii non præsentis, sed expectati. Illud namque nos huc ad paternam congregavit domum: illud etiam eos qui antehac pigriores fuerunt, ad maternas reduxit manus. Si vero quod expectetur solum, tantum studii nobis ingessit, cum apparuerit adveneritque, quantam in nobis venerationem efficiet? Sic et civitas principe tremendo ingressuro, omnem omittit desidiam, majorique excitatur studio. Sed haud timete tremendum principem jejunium audientes: non enim vobis, sed dæmoniorum naturæ tremendum est. Etenim si lunaticus fuerit quis, jejunii ei faciem ostende, atque lapidibus ipsis immobilior manet timore suffocatus, et veluti vinculo quodam detentus: idque potissimum, cum viderit jejunio adjunctam sororem contubernalemque jejunii orationem: ideo Chris-

[1] Vide D. Guillon, tom. XVII, p. 371-373.

tus dicit : « Hoc genus non ejicitur nisi in oratione et je» junio[1]. » Cum itaque nostræ salutis hostes sic persequatur, atque inimicis vitæ nostræ tam sit timendum : amare et diligere id oportet, non timere. Si enim timendum est, ebrietas et crapula, non jejunium timeri debet. Illa siquidem nostras post terga ligans manus, vitiorum tyrannidi, veluti cuidam pravæ dominæ servos nos captivosque reddit : jejunium vero servos existentes nos, atque ligatos inveniens, vincula solvit, et tyrannide liberat, pristinamque in libertatem reducit. Igitur quando inimicos nostros expugnat, servituteque nos liberat, atque ad priorem reducit libertatem, quam aliam majorem ejus erga nostrum genus amicitiæ rationem exquiris, etenim maximum amoris indicium id esse videtur, si eosdem nobiscum amet quis, et odio prosequatur. Vis discere, quantus hominibus ornatus sit jejunium, quantum tutamen ac custodia? considera beatum atque admirabile monachorum genus : hi namque, tumultum sæculi fugientes, atque ad ipsa montium cacumina currentes, tuguria in eremi quiete veluti in tranquillo quodam portu figentes, jejunium ceu commercii vitæque socium susceperunt : quare Angelos ex hominibus illos fecit : non illos modo, sed et in urbibus quotquot se tolerantes invenit, ad ipsum philosophiæ culmen evehit. Nam et Moses et Elias Prophetarum in Veteri Testamento turres, tametsi ex allis illustres magnique haberentur, ac multa fiducia gauderent : tamen si quando Deum volebant adire et alloqui, quantum homini possibile erat, ad hoc confugiebant, atque per hujus manus ad Deum ducebantur. Idcirco Deus hominem a principio faciens, illico delatum eum jejunii manibus commendavit, veluti piæ amabilique matri, et magistro optimo committens. Nam « De omni ligno paradisi comedes,

[1] Matth. XVII, 20.

» de ligno vero scientiæ boni et mali non comedetis[1], » id species jejunii est. Si autem in paradiso jejunium necessarium fuit, extra paradisum multo magis. Si ante plagam utilis medicina fuerat, multo magis post plagam. Sic necdum bello cupiditatum insurgente, nobis arma fuerant opportuna, multo magis post tantum cupiditatum prælium a dæmonibus nobis illatum, necessarium nobis est jejunii commilitium. Si hanc audisset vocem Adam, nequaquam secundam audisset : « Terra es, et in terram reverteris[2]. » Sed quoniam hanc quidem transgressus est, propterea mors et ærumna, et curæ, et vita omni morte acerbior : propterea spinæ et tribuli, propterea labores et dolores, vitaque angustiis plena.

II. Vidisti quomodo irascitur Deus jejunio spreto ? disce et quomodo lætatur jejunio honorato. Quemadmodum enim jejunio spreto, spernenti supplicium inflixit mortem : sic iterum eodem honorato, de morte revocat. Nam et volens tibi ostendere rei virtutem, potestatem ipsi dedit post sententiam, post abductionem, abductos ad mortem media de via rapere, atque reducere ad vitam, idque non in duobus tribusve, aut viginti hominibus, sed in universo Ninivitarum populo : et urbem magnam admirabilemque ac genibus flexis jacentem, ad ipsum barathrum jam inclinantem caput, venientem desuper plagam accepturam, veluti quædam virtus desuper advolans ex porta mortis eripuit, atque ad vitam reduxit. Sed si videtur, et ipsam audiamus historiam : « Factum est, inquit, verbum Domini » ad Jonam, dicens : Surge et vade in Ninivem civitatem » grandem[3]. » Statim ex ipsa urbis magnitudine vult illum flectere, futuram prævidens Prophetæ fugam, sed prædicationem audiamus : « Adhuc tres dies et Ninive subver» tetur[4]. » Et cujus rei gratia, quæ facturus es mala præ-

[1] Gen. II, 16, 17.— [2] Id. III, 19. — [3] Jon. I, 1. — [4] Id. III, 4.

dicis? ut non faciam quæ prædico. Propterea et gehennam minatus est, quo ad gehennam non abducat. Terreant, inquit, vos verba, ne res conturbent. Cujus autem rei gratia præfinitum spatium ad tam breve tempus redegit? quo et barbarorum discas virtutem, dico autem Ninivitarum qui tribus diebus tantam peccatorum iram solvere potuerunt : atque Dei clementiam admireris, trium dierum pœnitentia contenti tot pro peccatis : tuque desperatione non corruas, etsi millies peccaveris. Quemadmodum enim anima pigritans atque negligens, quanquam multum ad pœnitentiam temporis accipiat; nihil operatur magnum, neque sibi ipsi Deum conciliat ob desidiam : sic qui proposito fervet, atque multa cum diligentia pœnitentiam ostendit, brevi temporis momento longævi temporis peccata delere poterit. Nonne tertio Petrus negavit? Nonne tertio cum juramento? Nonne vilis cujusdam ancillæ verba timens [1]? Quid ergo? Oportuit-ne illum ad pœnitentiam multos annos terere? Nequaquam, sed eadem nocte lapsus est et erectus, vulnusque et medicinam accepit : ægrotavit, atque ad priorem rediit sanitatem. Qualiter et quomodo? Flens et lugens, imo non modo flens, sed multo cum studio et affectu : propterea Evangelista non dixit, quoniam solum flevit : sed, flevit amare, Et qualis, inquit, quantaque fuerit lacrymarum vis, sermo nullus poterit explicare [2] : ipse autem rerum exitus manifeste ostendit. Etenim gravem post illum casum; nam nullum negationi par malum : sed tamen post tantum malum, iterum eum ad priorem honorem revehit, Ecclesiæ præfecturam ipsi per universum mundum tradidit : quod que omnium est sublimius, ostendit nobis eum erga Dominum majorem quam omnes Apostolos charitatem habuisse. « Petre, inquit, diligis me plus his [3]? » Huic autem

[1] Matth. XXVI, 70. — [2] Ibid. 75. — [3] Joan. XXI, 15.

ad virtutis rationem nihil sane par fuerit. Quo vero minime dicas, merito Deum Ninivitis ignovisse barbaris hominibus et insipientibus : « Servus enim, inquit, nesciens » voluntatem domini, et non faciens, vapulabit paucis[1] : » Ut ergo hoc non dicas, Petrum tibi in medium propterea duxit, servum voluntatem domini maxime scientem. Sed tamen hic idem peccans maximo peccato, respice quantum ad fiduciæ culmen rediit. Igitur et ipse peccatis admissis ne animum despondeas. Quod enim in peccato gravius, est in peccato stare. Et quod pejus in casu est, jacere in eo. Hoc et Paulus deflet, et ingemiscit, hoc fletu dignum esse dicit. « Ne forte, inquit, cum venero ad vos, » humiliet me Deus, et lugeam multos ex iis qui » non solum peccaverunt, sed ex iis qui « Pœnitentiam non egerunt » super impudicitia, et immunditia et fornicatione, quam » fecerunt[2]. » Ad pœnitentiam vero quale congruentius tempus posset accedere jejunii tempore ?

III. Sed ad historiam revertamur. « Audiens autem Propheta verba hæc, descendit in Joppem, ut fugeret in » Tharsis a facie domini[3]. » Quonam fugis homo ? Numquid audivisti Prophetam dicem : « Quo ibo a spiritu tuo, » et quo a facie tua fugiam[4] ? » In terram ? sed Domini est » terra et plenitudo ejus[5]. » Ad infernum ? Si descendero, » inquit, in infernum, ades. » In cœlum-ne ? « Si ascendero » in cœlum, tu illic es. » An in mare ? Et « Illic, inquit, » tenebit me dextera tua. » Quod et huic evenit. Sed tale est peccatum, ut ad ignorantiam multam redigat animam. Nam sicut qui gravitate capitis ebrietateque tenentur, stulte ac temere feruntur, quamvis præcipitium, quamvis barathrum, et aliud quid simile subsit, concidunt incaute : sic qui corruunt in peccatum, veluti ebrietate actionis de-

[1] Luc. XII, 48. — [2] 2 Cor. XII, 21. — [3] Jon. I, 3. — [4] Psal. CXXXVIII, 7. — [5] Id. XXIII, 1.

siderio detenti, nesciunt quid faciunt, non præsentia, non futura prævidentes. Dominum, dic mihi, fugis? Parumper igitur mane, atque per rerum disces eventum, te neque maris, servi ejus posse manus effugere. Vix enim navim iste conscenderat, cum illud fluctus extulit, in altumque levavit, et veluti fidelis ancilla conservum inveniens fugientem, qui ex domini bonis quidpiam surripuerit, nusquam ab eo recedit, milleque impedimenta ingerit recipientibus illum, quo ad ipsum vindicans reducat: sic et mare conservum inveniens et agnoscens, mille impedimenta nautis excitat, turbans, clamans, non in judicium trahens, sed comminans navem demergere cum nautis, nisi conservum suum sibi reddiderint. Quid ergo nautæ his contingentibus? « Jactum, inquit, vasorum fecerunt, » navis vero nequaquam alleviabatur[1], » totum enim adhuc onus manebat, Prophetæ corpus scilicet, onus grave, non ex natura corporis, sed ob pondus peccati. Nihil tam onerosum et grave, quam peccatum et inobedientia. Propterea et Zacharias id plumbi figuravit similitudine[2]. David vero describit ejus naturam, dicens: « Iniquitates meæ » supergressæ sunt caput meum et sicut onus grave gra- » vatæ sunt super me[3]. » Christus autem iis qui in peccatis multis vixerant, clamabat: « Venite ad me omnes qui la- » boratis et onerati estis, et ego reficiam vos[4]. » Ipsum ergo peccatum scapham tunc gravabat, et demersurum erat. Jonas vero dormiebat et stertebat; gravis ille quidem, at non voluptatis erat somnus; sed mœroris, non pigritiæ, sed afflictionis: nam qui ex domesticis bene affecti sunt, cito peccata sentiunt, quod et illi accidit. Post commissum enim peccatum, peccati novit gravitatem: nam ejusmodi est. Cum enim factum fuerit, tunc dolores parturienti animæ excitat contra leges nostræ nativitatis. Nos

[1] Jon. I, 5. — [2] Zach. V, 7. — [3] Psal. XXXVII, 5. — [4] Matth. XI, 28.

enim cum primum nati sumus, parturienti dolores solvimus : illud autem simul editum distrahit doloribus parientes ipsum cogitationes. Quid porro gubernator? Accessit, et ait : « Surge et invoca Dominum Deum tuum[1]. » Novit demum ipsa experientia insuetam illam esse procellam, atque a Deo illatam plagam, majores humana industria fluctus, ubi gubernatoris manus non prodessent. Alterius enim majoris gubernatoris rei illius casus, hunc universum scilicet gubernantis mundum, ope, atque superno indigebat auxilio : propterea et illi remos et vela et funes atque universa dimittentes, manus a remigatione traductas in cœlum tendebant, Deumque orabant. Ubi vero neque sic profecerunt, miserunt, inquit, sortes; sors demum prodidit noxium. Hi vero neque sic arripientes eum demerserunt, sed tanto tumultu, tanta tempestate incumbente, veluti multa in quiete, sic judicium in navi statuentes, ut pro se loqueretur, seque defenderet, ei permiserunt, atque cuncta subtili cum indagine exquirebant, veluti rationes eorum, quæ decreverint, alicui reddituri. Audi igitur eos sicut in judicio cuncta perquirentes. Quod opus est tuum? Unde venis? Quo vadis? Qua de regione? Quo de populo es tu? Et quidem accusabat mare, acclamans contra : sors damnabat et testimonium contra ferebat : sed tamen neque mari contra exclamante, neque forte ex adverso testimonium reddente, sententiam adhuc dabant, sed veluti in judicio et accusatoribus præsentibus, et testibus instantibus, indiciis atque argumentis veridicis, non prius judices sententiam ferunt, quam damnandus ipse propriæ sit accusator culpæ : sic et hi nautæ homines barbari et insensati, eum, qui in judiciis est, ordinem imitantur : et id quidem tot fluctibus tanta ipsos circumstante procella, et mari neque vel respirare per-

[1] Jon. I, 6.

mittente : tantum furebat sonabatque, continuosque fluctus excitabat. Unde igitur tanta fuit providentia erga Prophetam? A Dei dispensatione. Etenim hoc fieri Deus permittebat, Prophetam vel ex his admonens, ut mansuetus esset ac mitis, quasi ad eum clamans, et dicens : Imitare nautas, homines insensatos : siquidem hi neque unam spernunt animam, neque uni tuo non parcunt corpori : tu vero universam urbem tot millia hominum habentem, quantum in te fuit, exposuisti. Et hi quidem comperta malorum suorum causa, non impetu ad damnationem irruunt : tu vero in nullo valens Ninivitas accusare, demersisti eos atque perdidisti. Tu, me præcipiente eos ad salutem tua prædicatione revocare, non paruisti : hi autem, nemine audito, nihil non agunt, et moliuntur, quo te noxium a supplicio revocent. Etenim post ipsam maris accusationem, post indicium sortis, cum incusaret sese, fugamque fateretur, neque sic irruerunt ad Prophetæ necem, sed nitebantur atque omnia faciebant, quo eum neque post ejus manifestissimam culpam violentiæ maris exponerent. Sed non permittebat mare, vel potius Deus, siculi per nautas eum, ita et per cetum ad sanum consilium reducere volens. Nam postquam auditum est, « Tollite me, et mittite me in mare, et cessabit » mare a vobis, » viribus conabantur in aridam evadere, sed nequaquam permittebant fluctus.

IV. Tu autem quemadmodum fugientem vidisti Prophetam, audi eum et confitentem ex inferioribus de ceti ventre. Illud quidem veluti homo passus est : hoc vero quasi Propheta ostendit. Accipiens igitur eum mare, veluti in quodam carcere in ceti ventre deposuit, salvum Domino fugitivum servans : neque acres undæ suscipientes suffocaverunt, neque cetus undis ipsis acrior in ventre oppressit. Servavit autem, ad urbemque reduxit : et mare et cetus contra

naturam obtemperarunt, quo per omnia Propheta instrueretur. Veniens igitur in civitatem, sententiam legit veluti regalem epistolam pœnas a rege indictas ferentem, et clamabat dicens : « Adhuc tres dies, et Ninive subvertetur [1]. » Audierunt illi hæc, neque non crediderunt, neque neglexerunt, sed illico cursus omnium unus ad jejunium virorum mulierumque, servorum, herorum, principum, subditorum, juvenum, senum, puerorum, neque irrationabilium natura immunis ab eo erat officio. Ubique saccus, ubique cinis, ubique fletus et ejulatus : nam et ipse diademate caput ornatus, a regali descendens throno, saccum sibi substravit, cinerem sparsit, atque sic urbem periculis eripuerunt. Et rem quidem novam videre erat purpuram sacco cedentem. Quod enim purpura nequivit, id saccus potuit : quod consummare diadema non valuit, hoc cinis perfecit. Vides quomodo haud in vacuum dixi, non jejunium, sed ebrietatem crapulamque timeri oportuisse ? Nam ebrietas et crapula urbem concussit, ad casumque nutare compulit : jejunium nutantem ipsam casuramque firmavit. Cum hoc et Daniel leonum ingressus lacum, quasi cum ovibus mansuetis versatus exivit. Nam æstuantes ira, torvum mortiferumque respicientes, appositam non tangebant mensam, et hoc ipsa excitante natura : nihil enim ferocius illis bestiis, et fame ; nam et septem diebus non acceperant cibum; veluti carnifice quodam intrinsecus urgente, utque non Prophetæ viscera discerperent, clamante, cibum reveriti sunt. Cum hoc tres pueri in Babylonium caminum ingressi, atque in igne multo etiam tempore versati, igne ipso fulgidiora corpora habentes, egressi sunt : quanquam si vere ignis, erat ignis ille, quomodo quæ ignis sunt partes non implebat ? Si corpora erant illa, quomodo iis quæ corporibus contin-

[1] Jon. III, 4.

gere consueverunt, non contingebant? Quomodo? Jejunium interroga, et respondebit, tibique ænigma solvet: vere namque fuit ænigma. Etenim corporum natura cum natura ignis certabat, corporaque ipsa victoria secuta est. Vidisti pugnam admiratione dignam? Vidisti magis admirabilem victoriam? Igitur jejunium mirare, pronisque manibus suscipe; quoniam enim et in camino fert opem, atque in leonum custodit lacu, dæmonesque fugat, et Dei revocat sententiam, vitiorumque furorem supprimit, et ad ipsam nos reducit libertatem, plurimamque in nostris cogitationibus quietem insinuat; quomodo non extremæ fuerit insaniæ illud, tot tantaque in manibus habens bona fugere et timere? Macerat, inquis, corpus nostrum infirmumque reddit: sed quantum exterior homo corrumpitur, tantum interior homo renovatur de die in diem [1]. Magis autem si rem diligentius volueris intueri, et sanitatis bonæque habitudinis matrem esse ipsum invenies. Atque si meis sermonibus derogas fidem, de his medicos percontare, ipsique eadem tibi manifestius explicabunt; qui abstinentiam matrem sanitatis appellant: pedum vero dolores, et gravedinem capitis, apoplexiam, vomicam, hydropisim, inflammationes ac tumores, milleque morborum aliorum torrentes, a delicatis cibis crapulaque provenire dicunt quasi a pessimo quodam fonte pravos rivulos, bonam corporis habitudinem, et animæ sanam mentem lædentes.

V. Ne igitur jejunium timeamus, tot a nobis excludens mala: neque enim ego vos sine causa id moneo: sed quoniam quidem plurimos video homines pigritantes et detrectantes non secus ac si horridæ cuidam mulieri dandi in manus forent, ebrietate hodie crapulaque se ipsos corrumpentes, ideo moneo ne quis futuram a jejunio utili-

[1] 2 Cor. IV, 16.

tatem, gula ingluvieque perimat. Nam qui stomachi vitio cibos fastidiunt, cum asperas sunt medicinas accepturi, si nimia sese esca repleant, atque sic medicinam accipiant; acerbitatem quidem illam pertulerunt, utilitate vero exciderunt, remedio difficiliorem adversus pravos humores pugnam parantes : quamobrem medici eos incœnatos dormire jubent, quo virtus totius medicinæ statim morbosis occurrat humoribus. Sic et jejunio contingit, si te ipsum hodie multa obrueris ebrietate, crastina vero eam acceperis medicinam : hanc tibi profecto vanam inutilemque effeceris, et laborem quidem pertuleris, lucrum inde futurum non assequeris, dum ejus vim totam in malum recenti ebrietate partum impendis. Si vero leve præparaveris corpus, sobriaque mente susceperis medicinam, ex delictis veteribus multa poteris expurgare. Ne igitur per ebrietatem ad jejunium pergamus, neque a jejunio in ebrietatem declinemus : ne forte perinde accidat ac si quis ægrum corpus calcibus impetens velocius dejiciat. Quod et in nostra fit anima, cum utraque jejunii ex parte, principio videlicet ac fine, ebrietatis nube mundationem in nobis ab abstinentia factam offuscamus. Veluti enim qui cum feris dimicaturi, armis multis, munimentisque principalia quæque membra circumdant, atque ita cum illis bellum suscipiunt : sic et nunc homines multi cum jejunio quasi cum fera quadam pugnaturi, ventris se crapula muniunt, disrumpentesque sese et obtenebrantes, multa cum imprudentia mitem ac quietum jejunii aspectum suscipiunt. Atque si quempiam interrogavero, cujus rei gratia ad thermas hodie properas? Ut abluto corpore, inquiet, jejunium suscipiam. Si vero interrogavero, quare inebriaris? iterum dicet, quoniam jejunium sum ingressurus. Quomodo igitur non erroneum, corpore quidem puro, impura vero ebriaque anima,

optimam hanc virtutem suscipere? Plura dicenda supererant, sed hæc sobriis ad correctionem sufficiunt. Quare necesse est dicendi finem facere: nam cupio patris audire vocem: quoniam ipsi quidem quasi pastorales pueri subtili calamo sibilamus, veluti sub quercu, aut fago quadam ad umbram sacrorum horum sedentes: hic autem veluti musicus optimus auream citharam modulatus, sonorum concentu universum excitat theatrum: sic et hujus non pulsationum, sed verborum et operum concentus, plurimam nobis affert utilitatem. Ejusmodi et Christus doctores quærit: « Qui enim facerit et docuerit, inquit, hic » magnus vocabitur in regno cœlorum [1]. » Ejusmodi est iste: quapropter et magnus est in regno cœlorum. Contingat autem et nos ejus, omniumque præsulum orationibus regno cœlorum dignos fieri, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi: cum quo Patri gloria, cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V *alias* VI.

De pœnitentia quarta hebdomada sacræ Quadragesimæ.

I. Quam [2] jucundi spiritualis hujus nobis maris sunt fluctus; et ipsis, qui in pelago sunt jucundiores. Nam illi quidem venturum insolentia, hi auditus desiderio excitantur: et illi quidem sublimius agglomerati, trepidationem gubernatori plurimam inferunt: hi ubi apparuerint, dicentem fidentia multa replent. Illi enim furibundi maris argumenta, hi animæ lætabundæ sunt indicia: illi petris illisi ignobilem sonitum reddunt: hi vero doctrinæ verbo

[1] Matth. v, 19. — [2] Vide D. Guillon, tom. xvii, p. 373-377.

contriti blandam vocem emittunt. Sic et zephyri flatus in sata cadentes, atque ipsa spicarum capita inclinantes ac relevantes, in terra maris fluctus imitantur, sed et illis satis jucundiora sunt ista : hic enim non zephyri flatus, sed spiritus gratia vestras animas excitat et inflammat, et ignem illum, de quo olim Christus : « Ignem vèni mittere » in terram, et quid volo nisi ut accendatur[1] ? » Hunc video immissum incensumque in animabus vestris. Quoniam igitur tot lampades nobis Christi timor accendit, agite hinc doctrinæ oleum instillemus, quo nobis diuturnior lux fiat. Etenim nobis de cætero jejunii tempus ad finem urget. Nam ad stadii medium progressi, deinceps ad ipsum finem concedimus. Sicut enim incipiens ad medium festinat : sic medium prætergressus desudat ad finem. Igitur tempus ad finem vergit, atque de cætero portum cymba prospicit : sed quod quæritur, non jam est ad portumpervenire, sed navem haud lucri vacuam trahere. Oro vos omnes, et obsecro, suam quisque ad conscientiam jejunii negotiationem reputet : ac si quidem lucrum multum accumulatum invenerit, negotiationi addat : si nihil congregatum, reliquum temporis negotiationi impendat. Quoadusque stant nundinæ, negotiantes de magno lucro contendamus, ne vacuis recedamus manibus, ne jejunii laborem tolerantes jejunii amittamus præmium : licet enim et jejunii laborem sufferre, et jejunii fructum non consequi. Quomodo ? cum scilicet esca abstinemus, peccato non abstinemus : cum carnibus quidem non vescimur, devoramus tamen pauperum domos : cum vino quidem haud inebriamur, inebriamur vero desideriis pravis : cum quidem inedia totam transigimus diem, atque eamdem impudicis in spectaculis consumimus. Ecce jejunii labor, et jejunii fructus nusquam est, cum iniquitatis theatra conscendimus. Non ad vos

[1] Luc. XII, 49.

mihi est sermo, novi enim ab ea accusatione vos vacuos esse : sed mos dolore pressis est, cum eis non adsunt qui doloris dant causam, in præsentes iram evomere. Quod enim lucrum jejunantes theatra iniquitatis ascendere, ad communem luxuriæ scholam introire, ad publicum incontinentiæ gymnasium, super cathedram sedere pestilentium? Etenim et cathedram pestilentiæ, et incontinentiæ gymnasium, scholamque luxuriæ, atque omnem impudicitiæ orchestram si quis dixerit, haud peccaverit, pessimum illum locum, plurimorumque morborum plenum, Babylonicam fornacem ; nam velut in fornacem quamdam compellens in theatrum diabolus urbem, sic ab imo succendit, non jam malleolos submittens, veluti tunc Barbarus ille, neque naphtam, neque stupam, neque picem : sed his multo pejora, fornicarios visus, turpia verba, delibuta membra, atque omnes plenos malitiæ cantus. Illam igitur fornacem barbaricæ manus accenderunt, hanc autem fornacem cogitationes Barbaris insipientiores accendunt : hæc illa pejor, quandoquidem ignis deterior, non qui corporis naturam, sed qui bonam animæ depopulatur habitudinem : et quod nocentius est, neque ipsi qui comburuntur, idipsum sentiunt. Si enim sentirent, non jam effusum illum in his risum emitterent. Igitur id vel pessimum est malum, cum quis infirmatur, neque idipsum quod infirmatur novit : et misere ardens et ærumnose, non sentit incendium. Quænam jejunii utilitas, dic mihi, cum quidem corpus arces legitimo a nutrimento, iniquum vero nutrimentum animæ inducis? cum diem illic trahis sedens, communem naturam deturpatam intuens ac traductam, mulieresque fornicarias, adulteria repræsentantes illic eos, qui cujusque domus mala colligunt? Nam et fornicationes videre datur, et audire blasphemias, quo et per oculos, et per auditum ipsi animæ morbus procedat :

alienas imitantur calamitates, unde et ipsis turpitudinis nomen impositum est. Quod igitur jejunii lucrum anima cibis ejusmodi nutrita? quibus oculis uxorem illis a spectaculis videbis? quibus oculis videbis filium? quibus domesticum? quibus amicum? Necesse autem dicentem illic gesta turpitudine, aut tacentem rubore confundi. Sed hinc non sic abis : licebit vero domi multa cum fiducia universa narrare, propheticas voces, apostolica dogmata, leges dominicas, omnem virtutis mensam apponere, uxoremque narrationibus ejusmodi pudiciorem reddere, prudentiorem filium, benevolentiorem domesticum, amiciorem amicum, atque ipsum inimicum persuadebis odium deponere.

II. Vides quomodo hæc quidem ubique salutaria dogmata, illa vero acroamata ubique inutilia? Quæ igitur jejunii utilitas, quæso, cum corpore quidem jejunas, oculis vero mœcharis? Adulterium enim est non ipsa modo conglutinatio aut copula corporis, sed et impudicus visus. Quæ utilitas cum illuc hinc abis? ego corrigo, ille corrumpit : ego medicinas morbo adhibeo, ille causam morbi ministrat : ego naturæ flammam extinguo, ille libidinis flammam accendit. Quæ utilitas, dic mihi? « Unus ædificans, et unus destruens : quid lucrati sunt plus quam labores[1]? » Non ergo hic et illic, sed hic solum conversemur, quo fructuose, quo non in vanum hic, quo non inutiliter, neque ad damnationem : « Unus ædificans et unus destruens, quid lucrati sunt plus quam labores? » Et quamvis multi ædificantes forent; unus vero destruens facilitate subversionis ædificantium multitudo vincitur. Magnæ profecto turpitudinis et juvenes et senes ad tale studium festinare. Sed utinam usque ad turpitudinem esset malum : tametsi id homini libero intolerabile forta se

[1] Eccli. xxxiv, 28.

videtur, et damnum cordato maximum, si turpitudine et ignominia notetur : verum non ad ignominiam usque tantum pœna procedit, sed ultio ingens et supplicium imminet : necesse est enim illic sedentes peccato adulterii omnes teneri, non quod ibi mulieribus copulentur, sed quod impudicis eas intueantur oculis. Etenim hos quoque necesse esse adulterio teneri, ut intelligatis, non meum vobis dicam sermonem, ne forte despiciatis, sed divinam legem explicabo, ubi despectui nequaquam locus. Quid ergo divina lex inquit? « Audistis quia dictum est antiquis: » Non mœchaberis : ego autem dico vobis, quod quicumque viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo [1]. » Vidisti adulterum consummatum? vidisti completum peccatum? Et quod deterius, in adulterio deprehensum adulterum, non humano sed divino sub judicio adulterii reum esse, ubi immortales sunt pœnæ. « Quicumque enim viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. » Non modo morbum, sed et morbi radicem evellit. Radix enim adulterii concupiscentia impudica. Quare non modo plectit adulterium, sed et concupiscentiam adulterii matrem. Sic et medici faciunt, non ad morbos instant solum, sed ad causas etiam tollendas : quod si ægrotantem oculum viderint, pravum humorem desuper a temporibus compescunt : sic et Christus facit. Cæcitas mala est adulterium, oculorum est morbus, non corporis solum, sed animæ prius. Idcirco inde compescit humorem impudicitiæ per timorem legis. Quare non modo adulterium punit, sed concupiscentiam quoque ulciscitur. « Jam mœchatus est » eam in corde suo. » Corde autem corrupto, quæ deinceps utilitas in reliquo corpore? Quemadmodum enim in plantis et lignis, si quando cor exesum videmus, reliquam

[1] Exod. xx, et Matth. v, 28.

de cætero repudiamus partem : sic et in homine cum id perierit, incassum est inde reliqua corporis sanitas. Auriga perit, fractus, dejectus est, frustra in posterum equi currunt : laboriosa lex et multum oneris habet : sic igitur et magnam habet coronam : ejusmodi sunt enim res laboriosæ ; magnas habent retributiones. Tu vero nequaquam laborem attende, sed retributionem considera. Sic et in vitæ rebus fit. Si enim laborem bonorum operum prospexeris, grave atque onerosum : si vero retributionem cogitaveris, leve et facile quod subest. Sic et gubernator, si fluctus viderit solum, nunquam e portu scapha digredietur, sed si quæstum prius, quam fluctus respexerit, tunc immensum adire pelagus audet. Sic et miles si vulnera cædesque viderit, nusquam induet thoracem : si vero triumphos victoriasque prius, quam vulnera, tanquam ad pratum currit ad prælium. Quæ enim natura gravia, sic levia fiunt, cum jam non labores cogitamus, sed ipsos laborum fructus consideramus. Dicere-ne vis quomodo natura gravia, levia fiunt? Paulum audi dicentem : « Nam » et ipsum momentaneum et leve tribulationis nostræ su» pra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus ope» ratur in nobis [1]. » Ænigma est quod dicitur, si tribulationis, quomodo leve? si leve, quomodo tribulationis? hæc enim repugnant. Sed solvit ænigma, cum per additionem ostendit levitatem. Quomodo? « Non hæc quæ videntur » nobis duntaxat considerantibus. » Coronam proposuit, ac certamen leve reddidit : ostendit bravium, et desudantem solatus est. Tu ergo cum mulierem videris formosam, vultu splendentem, ornatam stola, cum videris libidinem titillantem, et aspectu concupiscentem animam : respice desuper stantem coronam, quo tale spectaculum prætereas. Vidisti conservam? dominum considera, atque

[1] 2 Cor. IV, 17.

omnino morbum curabis. Si enim qui discipuli pædagogum sequentur, non vagantur, non otio torpent, non studio desistunt : multo magis tu, si Christum quasi præsentem cogitationibus intuearis, nihil horum patieris. « Qui » mulierem viderit ad concupiscendum eam, jam mœcha- » tus est eam in corde suo [1]. » Jucunde ac sæpius legis scripta lego, utinam et per totum diem ad vos eadem verba facere possem : imo non ad vos, sed ad eos qui peccatis sunt obnoxii, imo ad vos quoque. Nam vos firmiores essetis, et qui morbo laborant, ad sanitatem citius redirent. « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, » jam mœchatus est eam in corde suo. »

III. Sufficiunt ad omnem peccati morbum purgandum nuda hæc verba recitata. Sed ignoscite, vulnera purgamus, vulnera vero purgantem necesse est amaras medicinas imponere. Quanto vero magis portabitis verba, tanto magis purgabitur virus. Quemadmodum enim ignis natura quanto magis auri naturæ cohærebit, tanto magis rubiginem consumit : sic et horumce verborum timor quanto magis vestræ menti imprimetur, tanto magis peccatum impudicitiæ purgabit. Hic igne examinemus, verbo scilicet doctrinæ, quo minus idipsum cogamur examinare gehennæ igne. Nam purgatam animam hinc abeuntem ille non lædet ignis ; eam autem quæ cum peccatis hinc abierit, ille ignis excipiet. « Uniuscujusque enim opus quale, inquit, sit, » ignis probabit [2]. » Probemus nosmetipsos nunc sine dolore, quo nec cum dolore tunc probemur. Quidquid dixeris, inquit, laboriosa est lex. Quid igitur ? impossibilia mandat nobis Deus ? non, inquam ; obmustesce, neque Dominum accuses. Non enim hic excusationis modus, sed peccati additamentum priori pejus. Quod autem peccatorum plurimi consueverint in Dominum suas accusationes

1 Matth. v, 28. — 2 1 Cor. III, 13.

retorquere, audi : Accessit ille cui talenta quinque tradita fuerant, et alia quinque attulit : accessit cui duo, et alia duo attulit : accessit cui unum fuit creditum, et quoniam non habuit talentum aliud quod ferret, pro talento accusationem attulit. Quomodo? « Novi, inquit, quod austerus » sis[1]. » O servi proterviam! non contentus peccato etiam contra Dominum statuit accusationem. « Metens ubi non » seminasti, et tollens quod non dispersisti[2]. » Sic et in præsenti vita quotquot nihil operantur boni, additamentum malorum suorum faciunt accusationem adversus Dominum. Nequaquam igitur Dominum incuses : haud mandat impossibilia. Vis discere ipsum non mandare impossibilia? multi et ipsa superant mandata. At si impossibilia fuissent, non sua sponte superassent. Virginitatem nusquam mandat, et illam multi servant : in bonis nihil possidere nusquam mandat, et a se propriam substantiam multi adjiciunt, ipsis operibus reddentes testimonium legibus mandatorum inesse multum facilitatis. Nequaquam enim superassent ea, nisi facilia, quæ mandata sunt, essent. Non mandavit virginitatem : nam virginitatem qui mandat, necessitati legis subjicit etiam non volentem : qui vero admonet, auditorem relinquit dominum propriæ voluntatis. Propterea Paulus inquit : « De virginibus autem » præceptum Domini non habeo, consilium autem do[3]. » Cernis non mandatum sed consilium? cernis non præceptum, sed admonitionem? multum est intermedium : alterum necessitatis est, alterum voluntatis. Non præcipio, inquit, ut non onerem : moneo et consilium do, ut alliciam. Sic et Christus non dixit : Omnes virginitatem servate. Nam si mandasset omnes virginitatem tenere, et legem voluisset esse præceptum, his obediens jam non honore tanto dignaretur, et inobediens pœnas dedisset

[1] Matth. xxv, 24. — [2] Luc. xix, 21. — [3] I Cor. vii, 25.

ingentes. Vidisti quemadmodum nobis parcit legislator? quomodo nostra sollicitus est pro salute? Numquid non poterat et præceptum hoc ponere, ac dicere : Qui virginitatem sequentur, honorentur : qui vero non, puniantur? Sed onerasset naturam : parcit ergo naturæ nostræ. Dimisit extra stadium, dimisit superiorem certaminibus virginitatem, quo et eam præclare servantes, suam magnanimitatem ostendant : non servantes vero, Domini indulgentia digni habeantur. Sic et paupertatem non posuit in præcepto, neque simpliciter dixit, Vende quæ habes : sed, « Si vis perfectus esse, vade et vende quæ habes[1]. » In tua sit voluntate situm, dominus esto consilii tui : non cogo, non gravo, sed custodientem quidem corono, non custodientem autem non punio. Nam ea quæ ex mandato, quæve ex debito fiunt, præmium jam non tale oonsequuntur : quæ ex voluntate et proposito, splendidas coronas suscipiunt. Atque horum Paulum inducam testem : « Si » evangelizavero, inquit, non est mihi gloriatio. » Quare? « Necessitas enim mihi imposita est. Væ autem mihi est » nisi evangelizavero[2]. » Cernis in legibus hunc quidem observantem non multum habere præmii, necessitas enim est : eum autem qui non observat, reum esse supplicio et vindicta. « Væ enim est mihi nisi evangelizavero. » In cæteris vero quæ ex proposito, non sic : sed quid? « Quæ » est ergo merces mea? ut Evangelium prædicans, sine » sumptu ponam Evangelium Dei, ut non abutar potes» tate mea. » Ibi lex erat, propterea mercedis multum non habuit : hic propositum, quare mercedis multum habuit.

IV. Hæc a me omnia non in vacuum dicta sunt, sed divinæ legis gratia, ut ostendam non esse gravem, non esse onerosam, non laboriosam, neque impossibilem : age vero ex

[1] Matth. XIX, 21. — [2] I Cor. IX, 16.

ipsis Christi verbis hoc ipsum demonstremus. « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo[1]. » Vidit simul et id ipsum Christus, multos legis difficultatem accusaturos : quapropter eam haud nudam, neque simplicem induxit, neque solam : sed antiquæ legis memoriam reduxit, a comparatione facilitatem illius atque humanitatem suam ostendit. Quomodo autem, attendite. Non enim simpliciter dixit, « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo : » hic ergo diligenter attendite : sed prius antiquæ legis reminiscitur, dicens : « Audistis quia dictum est antiquis : Non mœchaberis : ego autem dico vobis : Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo[2]. » Vidisti geminas leges, Moyses, veterem et novam quam posuit et quam ipse introduxit ? Imo vero et illam posuit, etenim per Moysem ipse locutus est. Unde vero perspicuum est eam ab ipso fuisse positam ? Non ex Joanne, aut Apostolorum quoquam testimonium usurpabo : nam cum Judæis mihi nunc concertatio est; sed a Prophetis quibus videntur credere : ab ipsis ostendam et veterem et novam unum habere legislatorem. Quid igitur Jeremias inquit ? « Disponam vobis testamentum novum. » Vides et novi nomen in veteri ? vides et ipsam appellationem tot ante annis effulsisse ? « Disponam vobis testamentum novum. » Sed unde videmus quod et vetus idem ipse dederit ? cum dixisset, « Disponam vobis testamentum novum, » adjecit, « Non juxta testamentum quod disposui patribus vestris[3]. » Ita, sed nondum rem ostendimus : oportet enim universa ejusmodi refragrantia adducere in medium, manifestaque facere, quo sermo undique purus nobis sit, nullamque impudentibus relinquamus

[1] Matth. v, 28. — [2] Exod. xx, et Matth. v, 28. — [3] Jerem. xxxi, 31.

ansam. « Disponam vobis testamentum novum, non juxta » testamentum quod disposui patribus vestris. » Disposuit testamentum Noë, cum diluvium fuit, volens nos a timore liberare, ne diluvium cogitantes et imbrem assidue videntes, commune illud exitium timeremus, propterea inquit: « Disponam testamentum tecum, et cum universa » carne[1]. » Iterum ad Abraham testamentum circumcisionis disposuit. Disposuit et testamentum per Moysem, omnibus notum. Dixit Jeremias: « Disponam vobis testa» mentum novum, non secundum testamentum quod » disposui patribus vestris. » Dic, quibus patribus? nam et Noë pater fuit, et Abraham pater fuit: quibusnam igitur patribus? Etenim personarum indeterminatio confusionem parit. Hic advertite: « Non juxta testamentum quod » disposui patribus vestris. » Ne igitur diceres illud Noë temporibus datum, neve temporibus Abraham datum intelligeres, ipsius temporis testamentorum meminit: cum enim dixisset, « Disponam vobis testamentum novum, » non juxta testamentum quod disposui patribus vestris, » subjunxit et tempus, « In die qua tenui manum eorum, » ut educerem eos de terra Ægypti. » Vides quantam perspicuitatem attulerit temporis determinatio? jam non amplius ne Judæus quidem contradicit; recordare temporis, et legislationem accipe. « In die qua tenui manum eorum, » cur autem etiam modum dicit exitus? « Cum tenuissem » manum eorum, ut educerem eos ex Ægypto. » Quo paternum ostenderet amorem; non quasi servos eduxit, sed veluti parvulum filium manu accipiens pater, sic liberavit: non post tergum sequi mandavit quasi servum, sed veluti filium nobilem et liberum manu tenens, sic eduxit. Vidisti testamentorum duorum legislatorem unicum? Quoniam igitur certamine liberati sumus, et ex novo

[1] Gen. IX, 9.

id tibi ostendam, ut testamentorum consonantiam noscas. Vidisti prophetiam quæ ex verbis est? disce vel eam quæ figuris constat, quamvis id ipsum ideo perspicuum non sit, quidnam sit prophetia per figuram, quidve prophetia per sermonem : paucis ergo idipsum manifestum faciemus. Prophetia per figuram, est ea quæ per res fieri solet : altera vero est, quæ per verba fit: nam prudentioribus quibusque verbis persuasit, rudiores vero per rerum visionem cohortatus est. Quoniam enim futurum erat rem magnam in lucem prodire, et Deus carnem suscepturus erat : quandoquidem terra cœlum fieri debebat, nostraque natura ad Angelorum nobilitatem ascendere : quia spem ipsam superavit et expectationem sermo futurorum bonorum, ne novum et inauditum illud repente comparens, audientes videntesque turbaret ; figuravit olim per res, perque verba nostrum assuefaciens et auditum et visum, quodque in lucem proditurum erat præparans : hoc autem erat quod diximus, quid sit per figuram prophetia, et quid sit per sermonem prophetia : altera quidem rerum, altera sermonum. Dicam tibi rerum prophetiam, et verborum circa rem eamdem : « Sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se[1]. » Hæc est per verbum prophetia. Cum enim Abraham tulit Isaac, tunc arietem videns hærentem cornibus, ad sacrificium duxit opere veluti per figuram proclamans nobis salutarem passionem.

V. Quod igitur dixi, vis tibi duo hæc testamenta per opera ostendam? quemadmodum vidisti ovem in verbo, disce et in re. « Dicite mihi, qui sub lege vultis esse[2]. » Bene dixit, « Vultis, » non enim erant sub lege : si enim fuissent sub lege, non fuissent sub lege : fortasse ænigma est quod dicitur : nam lex auditores Christo transmisit :

[1] Isaï. LIII, 7. — [2] Galat. IV, 21.

qui magistrum aspernatur, ignorat et pædagogum. Quare, inquit, « Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non » audistis? quoniam Abraham duos filios habuit, unum de » ancilla : alterum de libera, quæ sunt per allegoriam » dicta[1]. » Vidisti per rem prophetiam? in eo enim quod mulieres habet, non verbum, sed res est : et servam et liberam ostendi tibi per verba, quoniam duorum testamentorum unus est legislator, disce et ipsum per figuras. Abraham duas uxores habuit, hæ autem sunt duo testamenta, et unus legislator : quemadmodum illic ovis et ovis, altera quidem in verbo, altera autem in re, multa vero et operum et verborum concordantia inest : sic et hic testamenta duo. Et hæc Jeremias quidem per verba prædixit : Abraham autem duas habens uxores, operibus figuravit. Quemadmodum enim unus vir et uxores duæ, sic unus legislator, et testamenta duo. Sed quod dixi, et cujus causa universa hæc proposita sunt : non enim a proposito discedendum est. « Qui viderit mulierem ad concu» piscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo[2]. » Ita est; sed quod in proposito nobis erat cum hæc omnia agitaremus, cur veterem ipsis legem recitat? dicit enim ipsis : « Audistis quoniam dictum est antiquis : Non mœcha» beris. » Cognovit difficile esse mandatum, non suapte natura, sed audientium desidia. Multa enim quæ natura facilia sunt, difficilia fiunt cum pigritamur, sicut difficilia quæ sunt, levia et facilia fiunt nobis accurate prospicientibus : non enim difficultas rerum naturæ inest, sed exercentium proposito : quod verissimum esse vel ex hoc paret. Mel natura dulcedinem habet, atque eamdem jucundissimam, sed ægrotis amarum quid atque ingratum est, non propria, sed illorum ægritudinis natura : sic lex tametsi videatur onerosa, non sua natura, sed nostra fit pigritia.

[1] Galat. IV, 21. — [2] Matth. V, 28.

Haud mihi multum laboris, ostendere factu facilem esse, nam quod difficilem illam facit aliud dicendum erat. Nunc enim dicit: Fuge mulieris visum, a luxuria recede. Quod autem difficile, oppositum dicere poterat: Exquire mulieres, scrutare alienas formas, atque sic libidinem vince. Id ergo difficile fuerat; nam dicere: Fornacem fuge, recede longius ab igne, flammæ propius non accesseris, quo sis innocuus, multum facilitatis habet. Etenim juxta naturam mandatum est; « Audistis, quia dictum est anti- » qui: Non mœchaberis. » Cujus igitur rei gratia antiquam legem nobis ad memoriam redegit, alteram introducturus? quo scilicet ex comparatione discas non esse hujus atque illius pugnam. Cum enim ponitur comparatio, tunc fit manifestius judicium; quoniam objecturi erant quidam, quod ut contrariam legem ferret, hæc diceret. Ecce, inquit, utrasque alternatim leges pono, tenta et disce consonantiam. Non ob id solum, sed etiam ut ostendat facilem opportuneque introductam: Propterea inquit: « Audistis » quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. » Tandiu in antiqua lege vos exercuistis. Quasi doctor pigritanti parvulo præteritis adhuc disciplinis inniti volenti, atque ad altiora eum tollere cupiens dicit: Cogita quantum temporis hac in disciplina contrivisti. Sic et Christus revocans in memoriam eos prolixiori tempore tenuisse legem antiquam, et in ea se exercuisse, esseque tempus de cætero ad altiorem conscendere, ad ipsam quæ patrum quandoque fuerat, legislationem traducit, dicens: « Audistis quia » dictum est antiquis: Non mœchaberis: » id antiquis dictum est, « Ego autem dico vobis. » Si enim antiquis dixisset, merito querereris, cum imperfectior adhuc esset nostra natura. Ea vero cum aucta, cum perfectior facta est, disciplina etiam perfectiori de cætero opus erat. Propterea incipiens a legislatione, ne quis intuens philosophiæ

sublimitatem pigritetur, aut mora teneatur, inquit : « Nisi » abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum[1]. » Plus a me laboris exigis? quare? num una cum illis non sum natura? numquid non homo similis illis? Ut non hæc dicerent, Quare nobis labores addidit? quare majora certamina posuit? occurrit objectioni regnum cœlorum proferens : majora, inquit, præmia defero, dicens labores; dicens certamina, dicens extensionem legis, et præmiorum meminit. Nequaquam enim, inquit, Palæstinam do, neque terram fluentem lacte et melle, sed ipsum vobis cœlum defero. Neque in officiorum mercedem plura solum recipimus, sed etiam in ipsa peccatorum transgressione supplicium majus trahimus. Quemadmodum enim qui legem præcesserunt, mitiorem pœnam iis dederunt, qui peccaverunt in lege, « Quicumque enim sine lege peccaverunt, » sine lege peribunt[2] : » id est, legem accusatorem nequaquam habebunt : sed contra illos ab ipsa natura sententiam, inquit, feram inter cogitationes accusantes, vel defendentes : sic et iis, qui in lege peccaverunt, delinquentes sub gratia gravioribus suberunt tormentis. Atque istorum differentiam ipse ostendit Paulus, dicens : « Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel » tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora » mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus » est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit[3]? » Cernis sub gratia majorem pœnam, veluti et præmia majora? sed quoniam sancta mysteria ad memoriam vobis retuli tremenda ac spiritualia, rogo, obsecro, deprecor atque omni cum instantia expeto, omne deponentes peccatum, sic ad tremendam hanc mensam accedere. « Pacem, in

[1] Matth v, 20. — [2] Rom. II, 12. — [3] Hebr. X, 28, 29.

» quit, sequimini cum omnibus, et sanctificationem, sine » qua nemo videbit Deum[1]. » Qui autem Dominum videre dignus non est, neque communione dignus est dominici corporis. Propterea Paulus inquit : « Probet autem se » homo, et sic de pane illo comedat, et de calice bibat[2]. » Non revelavit ulcus, non in commune theatrum accusationem produxit, non delictorum testes statuit : intus in conscientia astante nemine, præter eum qui cuncta videt Deum, judicium et examen peccatorum statue, et vitam omnem recogitans in mentis judicium peccata deducito, reforma quod deliquisti, atque sic pura conscientia sacram attinge mensam, et participes sancti sacrificii fias. Hæc mente retinentes, et omnium quæ de luxuria diximus recordati, quantaque his pœna posita sit, qui incontinenter et minus pudice respiciunt in mulieris faciem, et præ gehenna Dei timorem et charitatem habentes ante oculos, nosmetipsos undique purgantes, sic sacris mysteriis propinquemus, ne in judicium damnationemque nobis fiant, sed in salutem, et animæ sanitatem, fiduciamque continuam salutis hujus suscipiamus : in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI *alias* VII.

Sermo de pœnitentia et compunctione, et quod Deus sit promptus ad salutem, et tardus ad pœnam : in quo et mirabilis de Rahab historia.

I. Semper quidem divinus Apostolus divina cœlestique

[1] Hebr. XII, 14. — [2] I Cor. XI, 28.

utitur lingua, ac scientia multa evangelicum texit verbum: non ex sua sententia temere loquens, sed regali auctoritate dogmata proferens. Hac vero potissimum utitur scientia, quando peccantibus pœnitentiæ verbum ingerit: qua de re vos jam admoniturus sum. Audistis itaque, ut sigillatim ea quæ dicta sunt tangam, quomodo Corinthios alloquens dicebat strenuus ille vir atque admirandus: « Ne » forte veniens, multos defleam eorum, qui prius pecca» verunt, et pœnitentiam non egerunt[1]. » Homo quidem natura magnus hic doctor erat, sed proposito Dei minister; ideo velut cœlesti quadam utitur lingua, et quasi ex ipsis cœlis loqueretur, sic interminatur peccatoribus, et pœnitentibus propitiationem promittit. Cum autem hæc dico, nequaquam Pauli linguæ auctoritatem ascribo, sed ad Dei gratiam totum refero: de quo ipse dicebat: « An » experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur, » Christi[2]? » Igitur peccantibus beneficii medicinam supponit, et pœnitentiam ad salutem. Concurrit autem hodie cum apostolica lectione, Evangelica etiam Salvatoris auctoritas, quæ peccatorum remissionem copiose largitur: nam cum paralyticum sanaret, dicebat Salvator, ut modò audistis: « Fili, remittuntur tibi peccata tua multa[3]. » Remissio autem peccatorum est fons salutis, et præmium pœnitentiæ. Remedium quippe est pœnitentia, quod peccatum tollit: donum cœleste, virtus admirabilis, gratia legum cursum superans. Quamobrem non fornicatorem renuit, non mœchum abigit, non ebriosum aversatur, non idololatram detestatur, non maledicum repellit, non blasphemum persequitur, non arrogantem; sed omnes immutat. Peccati enim conflatorium est pœnitentia. Operæpretium autem est primum Dei scopum cognoscere, non ex cogitationibus nostris talem speculationem adeuntes,

[1] 2 Cor. XII, 21. — [2] Id. XIII, 3. — [3] Marc. II, 5.

sed ex ipsis divinis Scripturis attestatam veritatem demonstrantes. Scopus Deo, dum longanimiter agit, duplex est, ad salutemque propitius: ipsis nimirum pœnitentibus salutem procurat, eorumque posteris, qui in virtute progressus facturi sunt, beneficium reservat. Et ut iterum sermonem repetam, Deus longanimiter agit, ut et peccator resipiscat, et ut posteris suis salutis viam non claudat. Licet enim peccator præfracte in lapsibus perseveret, parcit sæpe radici, ut fructus custodiat. Sæpenumero etiam ipsam radicem immutat, ut ante dixi. Sed ubi illa in omnimodam nequitiam delapsa est, Deus utiliter differt supplicium, pœnitentium salutem expectans: quomodo autem, audi. Tharra pater Abrahæ idolorum cultor erat: sed non hic dedit impietatis pœnas, et quidem jure. Nam si Deus radicem præcidisset, undenam tantus fidei fructus pullulasset? Quid Esaü nequius? Vide mihi et aliud benignitatis argumentum. Quid illa malitia impudentius? Nonne fornicator et profanus[1], ut ait Apostolus? Nonne parricida et matricida? Nonne fratricida quantum ad propositum? Nonne Deo perosus, ut testificatur Scriptura dicens, « Jacob dilexi, Esaü autem odio habui. » Si ergo fornicator, fratricida, profanus et odio habitus, cur non e medio tollitur? Cur non excinditur? Cur non statim promerito supplicio afficitur? Quare? Pulchrum sane est causam proferre. Si excisus fuisset, magnum mundus justitiæ fructum amisisset; et qualem audi: « Esaü genuit Raguelem, » Raguel Zaram, Zara Job. » Vides-ne quantus patientiæ flos deletus esset, si præveniens Deus pœnas a radice exegisset?

II. Omnibus igitur in rebus hanc considerationem admitte. Ideo longanimiter agit cum Ægyptiis intolerabiles blasphemias proferentibus, ob Ecclesias nempe, quæ nunc

[1] Hebr. XII, 16.

florent in Ægypto, ob monasteria, et eos qui angelicam vitam sunt amplexi. Etenim, ut aiunt juris publici periti, et ut præcipiunt Romanæ leges, prægnans si in crimen incidat morte dignum, non prius interfici jubetur, quam pepererit: idque jure merito. Non enim justum censuerunt legumlatores, innoxium cum noxia de medio tolli. Quod si humanæ leges nihil peccantibus parcunt, annon multo magis Deus radicem custodiet, fructibus pœnitentiæ beneficium reservans? Accipe de cætero super ipsis peccantibus pœnitentiæ beneficium: nam et in ipsis eadem clementiæ redditur ratio. Si emendationem ultio prævertisset, mundus deletus esset funditusque periisset. Si velox ad pœnam sumendam fuisset Deus, Paulum Ecclesia non possedisset, talemque ac tantum virum non accepisset. Propterea igitur distulit blasphemantem, ut ostenderet pœnitentem: Dei longanimitas persecutorem effecit præconem: Dei longanimitas lupum mutavit in pastorem: Dei longanimitas Publicanum fecit Evangelistam: Dei longanimitas nostrum omnium miserta est, omnes mutavit, omnes convertit. Si videris ebriosum olim, nunc jejunare; si videris olim blasphemum, theologum; si videris eum, qui quondam turpibus cantilenis os inquinabat, nunc divinis hymnis animum purgare; mirare Dei longanimitatem, lauda pœnitentiam, et ex illa mutatione occasionem accipe dicendi: « Hæc mutatio dexteræ Excelsi[1]. » Bonus est Deus erga omnes, præcipue vero bonitatem suam exhibet erga peccatores. Et si volueris peregrinum quidpiam audire; peregrinum quidem secundum consuetudinem; verum autem secundum pietatem: audi. Gravis justis ubique videtur Deus, lenis autem peccatoribus: atque velox ad clementiam peccantem et cadentem erigit, ac sic alloquitur: « Numquid cadens non resurgit, aut aversus non re-

[1] Psal. LXXVI, 11.

» vertitur? Et, quare aversa est aversione impudenti imprudens filia Juda?» ac rursum, « Convertimini ad me, » et ego convertar ad vos[1]. » Alibi autem præ nimia benignitate salutem ex pœnitentia juramento confirmat. « Vivo » ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut » convertatur, et vivat[2]. » Ad justum autem dicit: « Si fe- » cerit homo omnem justitiam, et omnem veritatem, et » aversus peccaverit, non recordabor justitiæ illius: sed in » peccato suo morietur[3]. » O magnam erga justum cautionem! o magnam erga peccatorem largitatem! Sic varia et diversa molitur, non ipse mutatus, sed bonitatis suæ dispensationem utiliter dividens. Et quomodo, audi. Peccatorem et in peccatis perseverantem si terruerit, in desperationem ille labitur: justum vero si laudaverit, vim virtutis ejus emollit; et eum, utpote qui jam sit consecutus laudem, in negligentiam labi efficit. Quamobrem peccatorem miseratur, justum terret: « Terribilis enim super omnes, » qui in circuitu ejus sunt; et, Suavis Dominus universis. » Terribilis, inquit, est super omnes, qui in circuitu ejus » sunt[4]. » Ecquinam illi, nisi sancti? « Deus enim, inquit » David, qui glorificatur in consilio sanctorum, magnus et » terribilis est super omnes, qui in circuitu ejus sunt. » Si viderit lapsum, clementiæ manum porrigit; si stantem viderit, timorem incutit: et hoc est justitiæ justique judicii. Justum enim timore firmat, peccatorem vero clementia suscitat. Vis scire opportunam ejus benignitatem, simulque utilem et accommodatam nobis severitatem? Attende diligenter, ne te contemplationis hujus magnitudo fugiat. Mulier illa peccatrix, quam in omni peccato et iniquitate volutatam esse in confesso erat, tot peccatorum rea, et tot pravis operibus detenta, salutem ex pœnitentia

[1] Jerem. VIII, 4. et Zach. I, 3. — [2] Ezech. XXXIII, 11. — [3] Id. XVIII, 24. — [4] Psal. LXXXVIII, 8, et CXLIV, 9.

sitiens, sanctorum convivio subrepsit : sanctorum convivium vero, quia aderat sanctus sanctorum. Nam Salvatore discumbente in domo Simonis Pharisæi, subingressa est mulier illa peccatrix, Salvatorisque pedes tetigit, lacrymisque lavabat pedes ejus, et capillis tergebat[1]. Et tot peccatis obrutam erigit ille benignus dicens : « Dimittuntur » ejus peccata. » Neque enim mihi in proposito nunc est totam discutere historiam : sed solum testimonium proferre. Considera itaque largitatem : « Propterea dico tibi, » remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum[2]. » Tot ergo peccatorum oblivionem retulit peccatrix illa mulier. Et Maria soror Moysis ob exiguum murmur, lepræ damnationem refert[3]. Peccatoribus dicit : « Si fuerint » peccata vestra sicut coccinum, quasi nivem dealbabo[4] : » et tenebras in lucem transfert pœnitentiæ mutatione, totque malorum copiam bonitatis voce solvit. Ambulanti vero in justitia dicit : « Quicumque dixerit fratri suo : Fatue, » reus erit gehennæ ignis[5]. » Uni verbo tantam imposuit mulctam, et tot peccatis tantam exhibet liberalitatem.

III. Atque aliud admirandum animadverte. Quoniam peccata quasi debita ascribuntur; peccatoribus quidem totam summam concedit : a justis vero etiam usuras exigit. Accessit ad eum qui debebat multa talenta, et quasi per pœnitentiam plurimamque supplicationem judicium mitigavit, et dixit : « Domine, patientiam habe in me, et » omnia reddam tibi[6]. » Non expectavit ut solveret ille benignus et clemens, sed confessionem, debiti solutionem fecit. Debitori decem millium talentorum omnia remisit totamque summam : a justis vero etiam usuram se repetiturum edicit : « Quare non dedistis argentum meum » nummulariis, et ego veniens cum usuris exegissem[7] ? »

[1] Matth. XXVI, 6, et seqq. — [2] Luc. VII, 47. — [3] Num. XII, 10. — [4] Isaï. I, 18. — [5] Matth. V, 22. — [6] Id. XVIII, 26. — [7] Luc. XIX, 23.

Hæc porro dico, non quasi Deus erga justos inimico sit animo: Deo enim nihil justo acceptius: sed, ut ante dixi, consolatur peccatorem, ut excitet; justum terret, ut confirmet. Et illis quidem, ut inimicis et inflatis, multa remittit delicta; hos vero, etiam de levissimis rationem reddere cogit, nihil iis ad summam perfectionem deficere volens. Quod enim est in hoc mundo dives, hoc est apud Deum justus: et quod est in hoc mundo pauper, hoc est apud Deum peccator. Nihil est peccatore pauperius, et nihil justo ditius. Quapropter de iis, qui in pietate et virtutis copia degunt, ait Paulus: « Gratias ago Deo, quia in » omni divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni » scientia[1]. » De impiis vero beatus Jeremias dicit: « Forte » tasse pauperes sunt, ideo non potuerunt audire verbum » Domini[2]. » Vides quomodo pauperes vocat eos, qui sunt a pietate dissiti? Peccatores igitur quasi pauperes miseratur, et a justis quasi a divitibus rationes exigit; ipsis quidem ob paupertatem elargiens, ab illis vero ob pietatis divitias cum multa accuratione rationes exposcens. Quod autem facit circa justos et peccatores, idipsum facit circa divites et pauperes: ac quemadmodum peccatorem per clementiam excitat, et justum per severitatem terret, sic et in mundi negotiis suam dispensationem moderatur. Si viderit dignitatibus fulgentes, reges, principes, quotquot divitiis affluunt, hos terrorem incutiens alloquitur, atque utiliter potestati timorem immittit: « Et nunc reges intel- » ligite, erudimini omnes, qui judicatis terram. Servite » Domino in timore, et exultate ei cum tremore[3]; » quoniam « Rex est regum, et dominus dominantium. » Ubi imperium est potestatis, ibi regni sui terrorem imponit: ubi vero humilitas vilitatis, ibi remedium profert suæ benignitatis. Deus enim est hic magnus rex regum, et domi-

[1] 1 Cor. I, 5. — [2] Jerem. V, 4. — [3] Psal. II, 10.

nus dominantium. Hic ipse rursum de sua dignitate descendens, invenitur secundum divinam Scripturam pater orphanorum, et judex viduarum, rex regum, princeps principum, dominorum dominus[1]. Vides multam clementiæ ubertatem? Vides utilem metum pietatis et potentiæ? ubi namque vidit potentiam ad solamen sufficere, ibi metum ad utilitatem imposuit: ubi vero vidit orphanitatem vilitate, et paupertatem imbecillitate viduitatis debilitatam, clementiam ad consolationem adhibuit. «Ego pater orpha» norum.» Duo facit, et benignitatem ostendit, et potentiam punit. Vocat seipsum patrem orphanorum, ut et eos, qui in calamitate constituti sunt, consoletur, et potentes deterreat, ne orphanis viduisque molesti sint; quandoquidem mors hunc patre, illam viro orbavit, et quos corrupit mors naturalis, benignitatis decretum restituit. Atque eadem ipsa gratia, huic quidem dedit judicem, orphano autem patrem regem sanctorum. Itaque, o inique, ait, si viduam lædas, viduarum procuratorem provocas; si orphanos vexes, vexas filios Dei. Ego sum pater orphanorum, et judex viduarum. Quis autem sic audax ad impietatem, ut filios Dei lædat, et viduis sub Dei tutela positis molestiam pariat? Vides quam utiliter pietatis remedia præparet, et hos quidem terreat, illos vero miseretur, non ipse divisus, sed ad hominum sententiam accommodatus? Nobis itaque in remedium ad salutem adhibeamus pœnitentiam; imo potius a Deo accipiamus pœnitentiam nobis medentem. Non enim nos hanc illi offerimus, sed ille nobis eam subministravit. Vides ejus in lege severitatem? Vides ejus in gratia benignitatem? Cum autem dico severitatem in lege, non detraho judicio, sed evangelicæ gratiæ clementiam prædico: quoniam lex sine remissione peccatores puniebat, gratia vero multa cum

[1] Psal. LXVII, 6.

longanimitate differt supplicium, ut emendationem inducat. Pœnitentiam itaque suscipiamus, fratres, medelam ad salutem; suscipiamus medicinam peccata nostra delentem. Pœnitentia autem est, non quæ verbo prædicatur, sed quæ operibus firmatur: pœnitentia est, quæ ex ipso corde delet maculam impietatis. Nam « Lavamini, inquit, mundi » estote, auferte nequitias ex cordibus vestris a conspectu » oculorum meorum[1]. » Quid sibi vult ea dictionis redundantia? nam illud, « Auferte nequitias ex cordibus vestris, » nonne satis erat ad totum indicandum? Cur addidit, « A conspectu oculorum meorum? » Quoniam alio modo vident oculi hominum, alio oculus Dei: « Homo » enim in faciem, Deus in cor. Ne specie, inquit, pœnitentiam adulteretis, sed in conspectu oculorum meorum occulta scrutantium ostendite fructus pœnitentiæ.

IV. Oportet autem nos a peccatis purgatos ipsa peccata ante oculos habere. Quamvis enim Deus clementia sua peccatum condonet, tu ad securitatem animæ tuæ, peccatum ante oculos habe: præcedentium enim memoria, futurorum impedimentum est: et qui de prioribus mordetur, ad sequentia cautiorem exhibet mentem. Ideoque David, « Et peccatum meum, inquit, contra me est semper[2], » ut præcedentia ante oculos habens, ne incidat in futura. Quod autem hunc a nobis Deus statum expetat, ipsum audi dicentem: « Ego sum qui deleo peccata tua, et non » recordabor: tu autem recordare, et judicemur, dicit » Dominus: dic tu prius peccata tua, ut justificeris[3]. » Non expectat Deus tempus a pœnitentia. Dixisti peccatum tuum, justificatus es: pœnitentiam egisti, misericordiam es consecutus. Non tempus excusat, sed pœnitentis mores peccatum extinguunt. Fieri potest, ut qui multo tempore excubaverit, salutem non consequatur, et modico tempore

[1] Isaï. I, 16. — [2] Psal. L, 5. — [3] Isaï. XLIII, 25.

sincere confessus, peccatum exuat. Multum temporis in sumpsit Samuël pro Saüle deprecans, multasque noctes insomnes transegit pro peccantis salute; Deus autem tempori non attendens, quia Prophetæ supplicatio non concurrebat cum peccatoris pœnitentia, Prophetæ suo dixit: « Usquequo tu luges Saül, et ego rejeci eum[1]? » Illud, « Usquequo, » tempus declarat, et supplicantis perseverantiam; et repulit Deus tempus deprecationis Prophetæ, non enim cum Justi interventu regis pœnitentia concurrit. Beato autem Davidi, qui correptionem sancti Nathanis prophetæ susceperat, et statim post comminationem, veram conversionem ostenderat, dixeratque: « Peccavi Domino[2]; » statim uno temporis momento verbum sincere prolatum integram pœnitenti attulit salutem: confestim namque sententiam emendatio secuta est. Ait igitur illi Nathan: « Et Dominus dimisit peccatum tuum. » Vide mihi Deum tardum ad pœnam, et velocem ad salutem. Et mihi primum cogita quomodo multo post tempore correctionem clemens intulit. Peccavit David, uterum gestavit mulier, nullaque correctio peccatum secuta est; sed post infantis de peccato nati partum, mittitur peccati medicus. Cur autem peccantem protinus non correxit? Quoniam vidit in ipsis peccatorum primordiis excæcatam peccantium animam, quia obturatæ erant aures eorum, cum in profundum peccati demersi essent. Differt ergo tumenti animi morbo auxilium admovere: postque tantum temporis prodit correctio: atque in uno temporis momento pœnitentia et remissio. « Et Dominus dimisit peccatum tuum. » O dispensationem comminantis! Vides-ne quod velox sit ad salutem? Id et in aliis facit tardans quidem ad destructionem, ad protectionem vero properans. Exempli causa, apud nos homines multo tempore ædificia construuntur, multoque tempore

[1] 1 Reg. XVI, 1. — [2] 2 Reg. XII, 31.

domum ædificamus: atque ipsius structuræ multum est temporis, parum vero destructionis. In Deo autem contrarium accidit: cum ædificat, velociter ædificat: cum destruit, tarde destruit. Velox Deus struens, tardus diruens: quia Deo hæc ambo conveniunt: illud enim potentiæ est, hoc bonitatis: potentiæ excellentia velox, magnitudine bonitatis tardus. Argumentum verborum est, experientia rerum. Sex diebus fecit Deus cœlum et terram, magnitudines montium, planities, valles, saltus, sylvas, plantas, fontes, flumina, paradisum, visibilem omnem varietatem, hoc mare magnum et spatiosum, insulas, maritimas regiones, et mediterraneas, omnem hunc visibilem mundum ejusque pulchritudinem sex diebus fecit Deus, animalia in eo rationalia, et irrationalia, omnemque, qui sub aspectum cadit ornatum sex diebus perficit. Hic igitur tam velox in construendo, cum deliberaret de una destruenda urbe, tardus ob bonitatem repertus est. Vult Jerichuntem diruere, et ait ad Israëlem: « Circuite eam septem diebus, et » septima die cadet murus[1]. » Mundum universum sex condis diebus et unam urbem septem diebus solvis? Quid tuam impedit potentiam? Cur eam repente non destruis? Annon de te clamat Propheta, dicens, « Si aperueris cœlum, tremor a » te montes occupabit, et liquescent sicut cera a facie » ignis[2]? » Annon David potentiæ tuæ opera narrans ait, « Non timebimus dum turbabitur terra, et transferentur » montes in cor maris[3]? » Montes transferre et in mare injicere potes, atque urbem unam repugnantem non vis destruere, sed septem dies excidio tribuis? Quare? Non potentia, inquit, deficit, sed clementia diutius tolerat: do septem dies ut triduum Ninivæ: forte recipiet pœnitentiæ prædicationem, et salutem consequetur. Et quis eis pœnitentiæ prædicator? Hostes urbem circumsepserant, dux

[1] Josuë. VI, 3. — [2] Isaï. LXIV, 1, 2. — [3] Psal. XLV, 3.

circumdabat muros: magnus terror, ingens tumultus; quam ergo ipsis pœnitentiæ viam aperuisti? Num Prophetam misisti? num Evangelistam? Num quis erat inter eos, qui ea, quæ facere conveniret, suggereret? Etiam, inquit, habebant intus pœnitentiæ doctorem, mirabilem illam Rahab, quam per pœnitentiam salvam feci. Ejusdem erat massæ, sed quia ejusdem non erat sententiæ, non communicavit peccato, quæ non communicavit incredulitati.

V. Et vide mihi novam clementiæ prædicationem: qui in lege dicit, « Non mœchaberis, » non fornicaberis, hoc verbum propter clementiam mutans clamat per beatum Jesum: « Raab meretrix vivat[1], » Jesus ille filius Nave, qui dicit, « Meretrix vivat, » imago erat Domini Jesu, qui dicit: « Meretrices et publicani præcedent vos in regno » cœlorum[2]. » Si vivere debet; quare meretrix est? Si meretrix, quare vivat? Dico, inquit, priorem statum, quo sequentem mireris mutationem. Et quid fecit, inquies, Raab quod ad salutem conduceret? Quod exploratores cum pace susceperit? Hoc et hospita facit. At non ex solo sermone salutem consequitur; sed præcipue ex fide et affectu erga Deum. Atque ut discas fidei illius magnitudinem, audi eamdem ipsam Scripturam, ejus præclara gesta narrantem atque testantem. Erat in fornice, ceu margarita in cœno volutata, aurum projectum in luto jacens, flos pietatis spinis obrutus, pia anima in impietatis loco concludebatur. Mentem mihi diligenter adhibe. Excepit exploratores, et quem prodidit Israël in deserto, hunc prædicavit Raab in lupanari. Quid memoro Israël in deserto? Cum mons replebatur nube et caligine, tubis, fulguribus, aliisque terribilibus, audivit a Deo de medio ignis: « Audi Israël: Dominus Deus tuus, Dominus unus » est. Non erunt tibi dii alii. Ego in cœlo sursum et in

[1] Josuë. VI, 17. — [2] Matth. XXI, 31.

» terra deorsum, et præter me non est Deus[1]. » Hæc audiens Israël vitulum conflavit, Deumque reprobavit : ignoravit dominum, repudiavit benefactorem, et dicit Aaroni, « Fac nobis deos. » Si dii, quare dicis, « Fac? » quomodo dii, si fiant? Sic malitia excæcata, secum ipsa pugnat, semetipsam destruit. Unus factus est vitulus, et clamat ingratus Israël : « Hi dii tui Israël, qui eduxerunt te de terra » Ægypti[2]. Hi dii : » unum videt vitulum, unum factum idolum; cur ergo « Hi dii? » Ut ostenderet se non modo id quod videbat adorare, sed et deorum pluralitatem confingere : sententiam suam interpretatur, non autem id quod videtur judicat. Ut autem ad propositum revertamur, quæ audivit Israël, tot circumseptus portentis, et tanta imbutus lege, et tamen negavit, hæc Raab in lupanari inclusa prædicat : dicit enim exploratoribus, « Novi» mus quanta fecit Deus vester Ægyptiis[3]. » Judæus dicit, « Hi sunt dii tui, qui eduxerunt te de terra Ægypti[4]; » et meretrix non diis, sed Deo salutem ascribit : « Novi» mus quanta Deus vester fecit Ægyptiis in deserto, » et audivimus, et liquefactum est cor nostrum, et for» titudo non est in nobis. Novimus quanta fecit Deus » vester[5]. » Vides quomodo recipit legislatoris verbum per fidem? « Et novi quod Deus vester in cœlo sursum, et in » terra deorsum, et præter eum non est Deus. » Raab est figura Ecclesiæ in fornicatione dæmonum olim volutatæ, nunc vero Christi exploratores suscipientis, non a Jesu Nave filio, sed a Jesu vero Servatore missos Apostolos. « Novi, inquit, quod Deus vester in cœlo sursum, et in » terra deorsum, et præter eum non est Deus. « Hæc acceperunt Judæi, et non custodierunt : hæc audivit Ecclesia, et observavit. Digna igitur omni laude Raab, Eccle-

[1] Deut. VI, 4. — [2] Exod. XXXII, 4.— [3] Josuë. II, 9.— [4] Exod. XXXII, 4. — [5] Josuë. II, 8-10.

siæ imago. Quare generosus Paulus, cum ejus fidei dignitatem edidicisset, non eam reprobam putans ob priorem statum, sed acceptabilem ob divinam mutationem, eam sanctis omnibus connumerat : et postquam dixerat, « Fide Abel sacrificium obtulit, fide Abraham[1], » hoc et illud fecit, fide Noë arcam fecit, fide Moyses hæc et illa præclare gesta edidit; ac multos deinde sanctos memoraverat, tandem adjecit, « Fide Raab meretrix, » non periit cum incredulis, exploratores excipiens, et » alia via remittens[2]. » Et vide quomodo multa cum sapientia humanitatem suam attemperaverit. Nam cum a rege missi sunt, qui exploratores perquirerent; dicunt ei : « Si ingressi sunt ad te viri ? » respondit eis, Etiam ingressi sunt : primo veritatem ædificat, atque ita mendacium inducit. Nunquam enim mendacium per se creditur, nisi veritatem prius ostendere occupaverit. Ideo qui modo ad persuadendum apto mentiuntur, primo vera dicunt atque ea, quæ apud omnes in confesso sunt, ac deinde mendacia et dubia inducunt. Ingressi sunt ad te exploratores ? respondet, Etiam. Si enim a principio dixisset, Non, ad scrutinium provocasset eos, qui advenerant. Sed, Et ingressi sunt, inquit, et egressi sunt hac via : persequimini, et comprehendetis eos. O pulchrum mendacium ! o pulchrum dolum, divina non prodentem, sed pietatem custodientem. Si igitur Raab illam pœnitentia salute dignam effecit, et ipsa per sanctorum ora prædicatur; Jesu Nave in deserto clamante, « Vivat Raab meretrix ; » Paulo autem dicente, « Fide Raab meretrix non » periit cum non credentibus, » quanto magis nos si pœnitentiam exhibeamus, salutem consequemur ? Pœnitentiæ tempus nunc est : ingens enim timor instat imminentium peccatorum, nisi supplicium prævertat pœniten-

[1] Hebr. XI, 4. — [2] Ibid. 31.

tia. « Præoccupemus faciem ejus in confessione : » extinguamus peccatorum rogum, non multis aquis, sed parvis lacrymis. Multus est ignis peccati, et tamen modicis lacrymis extinguitur : nam lacrymæ extinguunt rogum peccatorum, et peccati fœtorem abluunt. Id testificatur beatus David dicens, et quanta sit vis lacrymarum ostendens : « Lavabo, inquit, per singulas noctes lectum meum, » et lacrymis meis stratum meum rigabo[1]. » Atqui si lacrymarum ubertatem voluisset ostendere, satis erat dixisse, « Lacrymis meis stratum meum rigabo : » cur ergo præmisit illud, « Lavabo? » ut ostendat lavacrum et piaculum peccatorum esse lacrymas.

VI. Omnium causa malorum sunt peccata : propter peccata dolores, propter peccata tumultus, propter peccata bella, morbi, et quotquot nobis accidunt sanatu difficiles ægritudines. Quemadmodum igitur optimi medici non modo apparentes morbos explorant, sed etiam eorum causam scrutantur; ita et Servator ostendere volens, omnium quæ hominibus contingunt malorum causam esse peccatum, paralytico dicit, quia nempe videbat ille animarum medicus eum anima prius, deinde corpore paralyticum; ait, inquam, illi : « Ecce sanus factus es, » noli amplius peccare, ne quid tibi deterius contingat[2]. » Igitur et præcedentis infirmitatis causa peccatum erat; id damni causa, id doloris, id calamitatis universæ materia. Cæterum illud admiror, quomodo qui hunc dolorem ab initio homini dederat Deus propter peccatum, sententia sententiam solvat, et condemnatione condemnationem ejiciat. Quomodo, audi. Data est tristitia propter peccatum, et per tristitiam peccatum solvitur. Attende diligenter : Mulieri comminans Deus, et propter prævaricationem supplicium inducens ait illi : « In dolore paries filios[3] : » ostendit-

[1] Psal. VI, 7. — [2] Joan. V, 14. — [3] Gen. III, 16.

que fructum peccati esse dolorem. Sed, o magnificum! quod dedit ad supplicium, in salutem mutavit. Peccatum dolorem peperit; dolor peccatum consumpsit : et quemadmodum vermis e ligno natus, ipsum lignum consumit; sic et dolor e peccato natus, peccatum consumit per pœnitentiam inductus. Quapropter Paulus dicit : « Quæ secundum Deum » est tristitia pœnitentiam in salutem stabilem operatur[1]. » Bona est tristitia vere pœnitentibus : convenit peccantibus luctus pro peccato : « Beati qui lugent, quoniam ipsi » consolabuntur[2]. » Luge peccatum, ut non lugeas supplicium : purga te apud judicem, antequam ad tribunal venias. An ignoras quotquot judicem mitigare volunt, non ipso examine causæ, sed antequam in judicium ingrediantur, ipsum sibi benevolum parare, sive per amicos, sive per patronos, sive alio quovis modo? Igitur et apud Deum judicii tempore, non est quod judicem flectas : sed ante judicii tempus potest judex mitigari. Quamobrem dicebat David, « Præoccupemus faciem ejus in confes» sione[3]. » Illic magnum judicem non circonvenit ars rhetorum, non potentia flectit; dignitati non ille morem gerit, personam non veretur, pecuniis non corrumpitur, sed tremendum et implacabile est justum judicium. Hic itaque judicem exoremus et placemus, huic omni robore supplicemus : non pecuniis; imo ut verius dicamus, pecuniis placatur benignus ille, non ipse recipiens, sed per pauperes. Da inopi pecuniam, et judicem placasti. Hæc autem dico vobis quasi familiaribus; quia pœnitentia sine eleemosyna mortua est alisque caret : nequit pœnitentia volare, sine ala eleemosynæ, ideo probe pœnitenti Cornelio ala ad pietatem fuit eleemosyna : « Eleemosynæ tuæ, » inquit, et orationes tuæ in cœlum ascenderunt[4] : » ita ut

[1] 2 Cor. VII, 10. — [2] Matth. V, 5. — [3] Psal. XCIV, 2. — [4] Act. X, 4.

si non habuisset alam eleemosynæ pœnitentia, nequaquam in cœlum pervenisset. Aperitur ergo hodie emporium eleemosynæ. Videmus enim captivos et pauperes, videmus in foro circumeuntes, videmus clamantes, lacrymantes, gementes. Nundinæ nobis mirabiles proponuntur: nundinarum vero non alia ratio est, et negotiatori non alius animus, quam venalia parvo emere, magno vendere. Annon hic est quorumlibet negotiatorum scopus? num propter aliud quispiam negotiationem adit, nisi ut quæ parvo emit magno vendat, et multiplicatam negotiationem referat? Tales igitur nobis nundinas Deus proposuit : modico justitias eme, ut multo vendas in futuro ; si tamen venditionem appellare oportet retributionem. Hic modico justitia emitur, vili panis fragmento, vili vestimento, calice aquæ frigidæ : « Si quis potum dederit calicem aquæ frigidæ, amen dico vobis, ait spiritualis negotiationis doctor, non perdet mercedem suam[1]. » Calix aquæ frigidæ dignus est mercede, et vestimenta pecuniæque per beneficium datæ non digna erunt mercede? Imo e contrario multa erunt mercede digna. Quare ergo calicem aquæ frigidæ memoravit? Eleemosynam sine sumptibus dixit : nam frigida aqua, neque lignum, neque aliud quidpiam impendis. Quod si largitione sine sumptu facta tanta est beneficii gratia, ubi vestimentorum copia, pecuniarum subministratio, aliorumque bonorum abundantia, qualem a justo judice mercedem referre oportet? Quando igitur prostant virtutes parvo vendibiles, a magnifico illo accipiamus, rapiamus, emamus. « Sitientes, inquit, venite ad aquam : et qui non habetis argentum, euntes emite[2]. » Dum proponuntur nundinæ, emamus eleemosynas, imo potius per eleemosynam emamus salutem. Christum vestis, qui pauperem vestis.

[1] Matth x, 42. — [2] Isaï. LV, 1.

Hæc, inquies, probe et accurate novi : hæc prius didici, non tu prior docuisti : neque a te primum hoc audivimus: non nova prædicas, sed quæ sæpe multi ex præsentibus nos docuerunt. Novi utique, novi et ipse vos et hæc et similia sæpe didicisse; sed utinam sæpe docti, saltem bonum aliquod exiguum præstemus. « Qui miseretur pau» peris, fœneratur Deo[1]. » Deo fœneremur eleemosynam, ut ab eo clementiæ retributionem accipiamus. Sed, o sapientissimum verbum! « Qui miseretur pauperis, fœne» ratur Deo. » Cur ergo non dixit, Qui miseretur pauperis, dat Deo, sed fœneratur? Novit Scriptura avaritiam nostram : attendit insatiabilem cupiditatem nostram, ad avaritiam spectantem, quæstum requirere, ideoque non dixit simpliciter, Qui miseretur pauperis, dat Deo; ne simplicem retributionem putares, sed « Qui miseretur pauperis, » fœneratur Deo. » Si Deo fœneramur, ergo debitor ille nobis est. Quem ergo eum tibi vis esse, judicem, an debitorem? Debitor veneratur fœnerantem, judex vero non reveretur eum, qui ipse fœneratus est.

VII. Necesse autem est, ut secundum aliam rationem videamus, cur Deus dixerit sibi fœnerari eum, qui dat pauperi. Quoniam videbat avaritiam nostram ad quæstum tendere, ut jam dixi, et eum qui pecuniam habeat, nullatenus velle sine securitate fœnerari. Postulat enim fœnerator, aut hypothecam, aut pignus, aut sponsorem : atque hac triplici cautione pecuniam credit suam, aut sponsionem accipiens, ut jam dixi, aut hypothecam, aut pignus. Cum sciret itaque Deus neminem his sine cautionibus fœnerari, neminem sola clementia moveri, sed lucro tantum intentos omnes : pauperem vero illis omnibus esse destitutum; non hypothecam habere, qui nihil possideat, non pignora qui nudus sit, non sponsorem, cui

[1] Prov. XIX, 17.

nemo credat ob inopiam : ut vidit itaque illum ob inopiam periclitari, divitem quoque periclitari ob inhumanitatem, se ipsum medium protulit vadem pauperi, pignus fœneranti. Non credis huic, inquit, ob inopiam, mihi propter copiam crede. Vidit pauperem, et misericordia motus est : vidit pauperem, et non despexit; sed se ipsum dedit in pignus ei, qui nihil haberet, et ob ingentem benignitatem inopi astitit : hanc vere benignitatem esse testificatur beatus David his verbis, « Quia astitit a dextris » pauperis[1]. Qui miseretur pauperis, fœneratur Deo. » Confide, inquit, mihi fœneraris. Et quid tantum lucri facio tibi fœnerans ? Sane iniquissimum est a Deo rationem exigere. Verum ut nequitiæ tuæ me attemperem, et clementia sævitiem tuam solvam, hæc mutuo examinemus. Aliis fœnerans quid lucraris ? Quid ab illis fœnoris requiris ? Num centesimam, si legitimam requiras ? Quod si inexplebilem cupiditatem auxeris, duplicem triplicemque lucraberis iniquitatem. Ego vero avaritiam tuam supero, inexplebilemque cupiditatem vinco : copia mea immoderatum appetitum tuum operio. Tu centesimam quæris, ego centuplum do tibi. Itaque in fœnus accipis, Domine, et hic in fœnus accipis eleemosynam pauperi datam, quandonam hæc mihi reddes ? Quæro pacta conventa contractum confirmare volens. Designa mihi retributionis tempus; constitue solutionis terminum. Imovero hoc superfluum est, nam « Fidelis Dominus in omnibus verbis suis[2] : » quia vero in more et in scopo est ei, qui bona fide fœnus accipit, tempus metiri, diemque definire, audi quando et ubi debitum tibi reddat is, cui per pauperem fœneraris. « Cum sederit Filius hominis in throno gloriæ suæ, et » statuerit oves quidem a dextris suis, hœdos vero a sinis» tris, et dicet iis, qui a dextris sunt : » hic attende quam

[1] Psal. CXVIII, 30. — [2] Id. CXLIV, 13.

benevolus sit debitor erga fœneratorem : quo pacto is qui mutuum accepit, multa cum gratia reddat. « Venite » benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a » constitutione mundi. » Quare? « Quia esurivi, et dedistis » mihi manducare : sitivi, et dedistis mihi bibere : nudus » eram, et cooperuistis me; in carcere, et venistis ad me : » infirmus eram, et visitastis me : hospes eram, et colle- » gistis me [1]. » Deinde qui in tempore bene ministrarunt, propriam infirmitatem respicientes, atque ejus, qui mutuum accepit, dignitatem, dicent : « Domine, quando » te vidimus esurientem et pavimus te? aut sitientem, et » potavimus? » In quem oculi omnium sperant, et tu das escam illorum in abundantia [2]? O multam bonitatem! Occultat dignitatem ob clementiam. « Esurivi enim et » dedistis mihi manducare. » O multam bonitatem ! o immensam benignitatem ! Qui dat escam omni carni, qui aperit manus, et implet omne animal benedictione [3], « Esu- » rivi, inquit, et dedistis mihi manducare, » non imminuta dignitate, sed ejus clementia pro pauperibus fidejubente. « Sitivi, et potastis me. » Quisnam hæc dicit? Qui lacubus, fluminibus, fontibus aquæ naturam infundit, qui per Evangelia dicit : « Qui credit in me, sicut di- » cit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ [4]. » qui dixit, « Si quis sitit, veniat a me, et bibat. Sed nudus » eram, inquit, et cooperuistis me. » Cooperimus eum, qui operit cœlum nubibus, qui universam Ecclesiam, et orbem. « Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum » induistis [5]. In carcere eram. » In carcere tu, qui educis vinctos? Interpretare quæ loqueris : nam dignitas fidem derogat dictis. Quando te in tanta inopia vidimus? quando hæc fecimus? « In quantum, ait, uni ex his minimis fe-

[1] Matth. xxi, 31-35. — [2] Psal. cxliv, 15.— [3] Ibid. 16. — [4] Joan. vii, 38. — [5] Galat. iii, 13.

» cistis, mihi fecistis[1]. » Annon verus est sermo, « Qui miseretur pauperis, fœneratur Deo[2] ? » Et vide rem mirabilem : nullum aliud virtutis opus præter illud memoravit. Atqui poterat dicere, Venite benedicti, quia continentes, quia virgines fuistis, quia evangelicam vitam suscepistis; sed hæc tacet, non quod mentione sint indigna, sed quod post benignitatem secunda sint. Verum quemadmodum iis, qui a dextris erant, ob benignitatem delatum ostendit regnum, sed et iis, qui a sinistris, ob sterilitatem comminatus est pœnam. « Ite, maledicti, in tenebras exteriores, » paratas diabolo, et angelis ejus. » Quare? qua de causa? « Quia esurivi, et non dedistis mihi manducare[3]. » Non dixit, quia fornicati estis, quia adulteri fuistis, qui furati estis, quia falsum testimonium tulistis, quia falsum testimonium tulistis, quia pejerastis. Hæc quippe manifeste quidem mala sunt, sed inferiora quam durities et inhumanitas. Quare, Domine, non aliarum viarum mentionem facis? Non judico, inquit, peccatum, sed inhumanitatem : non judico peccatores, sed eos qui pœnitentiam non egerunt : inclementiæ vos damno, quod talem tantamque salutis medicinam habentes, eleemosynam scilicet, qua omnia peccata delentur, hoc beneficium despexistis. Itaque inclementiam exprobro, ut nequitiæ omnisque impietatis radicem, clementiam vero laudo ut radicem omnium bonorum; et illis quidem ignem æternum comminor, his vero regnum cœlorum promitto. Pulchra, Domine, promissa tua; pulchrum, quod expectatur regnum tuum, itemque gehenna, quam comminaris; quorum illud allicit, hæc vero deterret. Allicit pulchre regnum, deterret utiliter gehenna. Gehennam enim comminatur Deus, non ut in gehennam injiciat, sed ut a gehenna liberet. Si enim punire vellet, non ante minatus esset, ut caute minas vi-

[1] Matth. xxv, 40. — [2] Prov. xix, 17. — [3] Matth. xxv, 41.

taremus. Comminatur supplicium, ut supplicii experimentum fugiamus : terret verbo, ut non puniat opere. Fœneremur itaque Deo clementiam. Fœneremur, ut inveniamus, illum debitorem, ut ante dixi, non judicem. Reveretur enim debitor fœnerantem : reveretur eum et erubescit. Si fœnerator ad debitoris januam accedat ; hic si inops sit, fugit ; sin opulentus, eum cum fiducia excipit. Vide mihi alterum justi Judicis miraculum humanis ex rebus propositum. Si cui in paupertate degenti fœneratus fueris, ac deinde ad prosperam fortunam venerit is, qui mutuum accepit, tibique debitum reddere possit, multos latet, et reddit, ne de priori suo statu erubescat : et gratias quidem reddit, sed præ inopiæ pristinæ pudore beneficium occultat. At non ita Deus facit, sed clam mutuum accipit, et palam libereque mutuum reddit. Cum enim accipit, clam per eleemosynam accipit ; cum autem reddit, in oculis universæ creaturæ reddit. At fortasse dicat quispiam : Quare tandem, ut mihi diviti dedit, non ita quoque pauperi dedit ? Poterat quidem tibi similiter dare, ut pauperi dedit ; sed noluit, nec divitias tuas infructuosas esse voluit, nec illius paupertatem sine mercede. Tibi diviti concessit ut per eleemosynam dives esses, et dispergeres in justitia : « Dis» persit enim, dedit pauperibus ; justitia ejus manet in sæ» culum [1]. » Vides quod dives per eleemosynam, æternam thesaurizet justitiam ? Vide rursus pauperem, quia divitias non habet, quibus justitiam operetur, habet paupertatem, qua patientiam lucratur æternam. Nam « Patientia paupe» rum non peribit in æternum [2] : » in Christo Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. CXI, 9. — [2] Id. IX, 19.

HOMILIA VII *alias* VIII.

De pœnitentia.

I. Etiamsi heri a vobis abfuerim, at invitus, at necessitate compulsus; corpore abfui, non proposito; absentia carnis, non affectu animi. Etenim pro virili mea vos complectebar, menteque omnes circumferebam. Rursus, fratres, hoc temporario misso morbo ardenti studio contendimus vestram contueri faciem : manentibus enim adhuc ægritudinis reliquiis properavi ad charitatem vestram. Nam ægri quidem morbo relevati lavacra expetunt et balnea : ego vero operæ pretium esse duxi desideratam vestram faciem videre, ac debitum illud vestrum audiendi explere studium, magnum hoc pelagus, nihil habens salsuginis, mare fluctibus vacuum. Veni arvum invisurus vestrum expurgatum : Quis enim talis portus est, qualis est Ecclesia? Quis paradisus, cœtui vestro similis? Nullus hic insidiator serpens, sed Christus institutor : non Eva supplantatrix, sed Ecclesia erectrix. Non hic folia arborum, sed fructus spiritus : non sepes spinarum, sed vinea fructifera. Si quam enim spinam offendam, in olivam commuto ; non enim hic valet inopia naturæ, sed libertas arbitrii honoratur. Si lupum invenero, ovem facio, non naturam mutans, sed propositum transferens. Quamobrem non erraverit quispiam si dixerit Ecclesiam esse arca præstantiorem. Etenim arca animalia excipiebat et animalia conservabat, Ecclesia vero animalia excipit, et immutat; exempli causa, illuc ingressus accipiter, accipiter exiit; ingressus lupus, exiit lupus : at huc

[1] Vide D. Guillon, tom. XVII, p. 228-234, et 382-384.

ingressus accipiter, exit columba; ingressus lupus, exit ovis; ingressus serpens, egreditur agnus; non mutata natura, sed explosa nequitia. Ideo frequentem de pœnitentia moveo sermonem. Est enim pœnitentia molesta et formidabilis peccatori, medela delictorum, consumptio iniquitatum, effusio lacrymarum, fiducia apud Deum, armatura contra diabolum, gladius ejus caput abscindens, spes salutis, desperationis profligatio. Hæc homini cœlum aperit, hæc in paradisum introducit, hæc diabolum superat; ideoque hac de re frequenter sermonem moveo, quod fiduciam inducat ipsum posse prosterni. Peccator es? Ne desperes. Non desino vos jugiter hisce medicamentis allinere: etenim novi quantum contra diabolum sit telum non desperare. Si in peccatis sis, ne desperes: hæc dicendi nullum finem facio: si quotidie peccas, quotidie pœnitentiam age: ut in vetustis ædibus agere solemus, cum enim labefactatæ fuerint, quæ labefactata sunt auferimus, ac nova admovemus, neque usquam ab assidua cura desistimus. Inveteratus es hodie a peccato? renova te ipsum per pœnitentiam. Licet-ne, inquies, per pœnitentiam salutem consequi? plane licet. Totam vitam in peccatis contrivi, et si pœnitentiam egero, salvus ero? Prorsus eris. Id unde liquet? ab ipsa Domini tui erga homines benignitate. Num ex pœnitentia tua sumo fiduciam? num pœnitentia tua potest tot abstergere mala? Sane si pœnitentia sola esset, jure timeres: sed quando pœnitentiæ admiscetur Dei clementia, Dei vero clementiæ nulla est mensura, neque ejus bonitas explicari sermone potest. Nam malitia quidem tua mensuram habet, remedium vero mensuram non habet; malitia tua, qualiscumque sit, humana est malitia; Dei vero clementia est immensa; confide fore ut ea tuam vincat malitiam. Cogita mihi scintillam in pelagus cadentem, num potest illa stare, aut apparere? Quanta

est scintilla cum pelago collata, tanta est malitia, si cum benignitate Dei comparetur; imo vero non tanta, sed multo major benignitas illa. Pelagus enim, magnum licet sit, mensuram habet, benignitas vero Dei nullum habet terminum. Hæc dico, non ut vos segniores reddam, sed ut diligentiores efficiam. Vos sæpe monui ne in theatra ascenderetis. Audisti, nec morem gessisti : in theatrum ascendisti, sermoni meo non obtemperasti : ne te pudeat rursus ingredi, et audire. Audivi, nec observavi, quomodo possum ingredi? Interim hoc ipsum nosti, te non observasse : interim te pudet; interim erubescis; interim nemine arguente frenum circumfers; interim sermonem meum radicatum habes, meque non præsente doctrina mea te purificat. Non observasti, condemnasti te; ex dimidia parte observasti, etiamsi non observaveris, sed dixeris tantum : Non observavi. Nam qui se ipsum condemnat eo quod non observaverit, eo festinat ut observet : Respexisti? iniquitatem operatus es? meretricis captivus effectus es? Descendisti de theatro, et iterum recordatus pudore affectus es? Accede. Mœrore affectus es? Obsecra Deum. Huc usque resurrexisti. Væ mihi, audivi et non observavi, quomodo in Ecclesiam ingrediar? quomodo rursus audiam? Imo ingredere, quia non observasti, ut rursus audiens, observes. Medicamentum si tibi medicus imponat, nec te curaverit, annon insequenti die rursus apponet? Si quis lignarius quercum velit cædere, securim arripit, incidit radicem; si uno ictu infrugifera arbor non deciderit, annon addit alium? annon quartum et quintum? annon decimum? Sic et tu facito. Quercus est meretrix, arbor infrugifera, glandes proferens in alimoniam porcorum irrationabilium, multo tempore radices posuit in animo tuo, in arborum ambitus conscientiam tuam dejecit. Sermo meus securis est. Audisti die uno, quomodo

die uno cadat tanto radicata tempore? Si enim bis, si ter, si centies, si decies millies, nihil mirabile fuerit; ut res mala et firma pravaque consuetudo excindatur. Manna comedebant Judæi, et cepas Ægyptias requirebant. Bene nobis erat in Ægypto, ita turpis pessimaque res est consuetudo. Etsi per decem dies recte egeris, si per viginti, si per triginta, non te approbo, non tibi gratiam habeo: non te amplector: Tantum ne deficias: sed te pudeat, te ipsum coarguas.

II. Rursum de charitate disserui: audisti, abiisti, et rapuisti? operibus verbum non exhibuisti? Ne tamen te pudeat rursum ingredi in Ecclesiam: te pudeat peccati, non te pudeat pœnitentiæ. Attende quid tibi fecerit diabolus. Duo sunt hæc, peccatum et pœnitentia: peccatum est vulnus, pœnitentia vero medela. Quemadmodum enim in corpore sunt medelæ et vulnera; sic et in anima peccata et pœnitentia. Sed peccatum pudorem habet, pœnitentia vero fiduciam obtinet. Attende, quæso, mihi diligenter, ne ordinem confundens, utilitatem perdas, attende sermoni: vulnus et remedium; peccatum et pœnitentia: vulnus est peccatum; remedium pœnitentia; in vulnere sanies, in remedio expurgatio saniei. In peccato sanies, in peccato probrum, in peccato risus: in pœnitentia fiducia, in pœnitentia libertas, in pœnitentia purgatio peccati. Attende diligenter. Peccatum pudor, pœnitentiam fiducia sequitur. Animadvertisti quod dico? ordinem invertit Satanas, deditque peccato confidentiam, pœnitentiæ pudorem. Non desinam usque ad vesperam, donec illud solvero: promissum impleam oportet, non possum absistere. Est vulnus et remedium: vulnus saniem habet; remedium saniei purgationem obtinet. Num in remedio sanies? num in vulnere medela? Annon et hæc et illa proprium tenent ordinem? Num potest hoc ad illud, illud

ad hoc transcendere? Nullo modo. Jam veniamus ad animam peccatis onustam. Peccatum probrum ignominiamque sortitur : pœnitentia fiduciam habet, pœnitentia jejunium, pœnitentia justitiam obtinet : « Dic enim tu » iniquitates tuas primus, et justificeris [1] : Justus in principio sermonis accusator est sui [2]. » Cum igitur sciat Satanas, quod peccatum sequatur pudor, qui possit peccatorem deterrere; pœnitentia vero fiduciam habeat, quæ possit pœnitentem allicere; ordinem invertit, deditque pœnitentiæ pudorem, peccato fiduciam. Undenam id liquet? ego dicam. Capitur quis ardenti concupiscentia publicæ meretricis; meretricem ille ceu captivus sequitur : in prostibulum ingreditur, nullo pudore, rubore nullo affectus cum meretrice congreditur, peccatumque admittit. Post admissum peccatum illinc egreditur, et de pœnitentia agenda erubescit. Miser, quando cum meretrice congrediebaris non erubescebas; at cum ad pœnitentiam accedis, tunc erubescis? Pudet eum, dic mihi. Quare cum fornicaretur non pudore afficiebatur : facinus perpetrat, et non pudore afficitur, et de verbo erubescit? Diaboli astutia est. In peccato non sinit eum erubescere, sed publice innotescere sinit : scit enim fore ut si pudore afficiatur, peccatum fugiat : in pœnitentia vero erubescere facit, novit enim eum præ pudore pœnitentiam non acturum esse. Duo mala facit, ad peccatum pellicit, et a pœnitentia arcet. Cur te jam pudet? cum fornicareris non erubescebas; cum remedium admoves, pudore suffunderis? cum te ipsum a peccato liberas, erubescis? Tunc erubescere debebas, tunc pudefieri oportebat, cum peccares. Cum peccator fieres, non erubescebas; cum justus efficeris, erubescis? « Dic tu iniquitates tuas pri» mus, ut justificeris. » Non dixit, Ut non plectaris sup-

[1] Isaï. XLIII, 26. — [2] Prov. XVIII, 17.

plicio; sed, « Ut justificeris. » Annon sufficiebat ei, quod non punias eum, etiam justum efficis. Plane quidem. At sermoni sedulo mentem adhibe. Justum illum efficio : et ubinam hoc fecit? In latrone, ut hoc tantum sodali diceret : « Neque tu times Deum. Et nos quidem jure : nam » digna factis recipimus. » Dicet et Salvator : « Hodie me- » cum eris in paradiso[1]. » Non dixit, Te a pœna et supplicio eximo, sed ipsum justum in paradisum introducit. Vidisti-ne justum per confessionem effectum? Admodum benignus est Deus, Filio non pepercit, ut servo parceret : tradidit Unigenitum, ut ingratos servos redimeret : sanguinem Filii sui in pretium deposuit. O benignitatem Domini! Ne mihi rursum dicas : Peccavi multum, quomodo potero salutem consequi? Tu non potes, Dominus tuus potest : atque ita potest, ut deleat peccata tua. Attende diligenter : ita delet peccata, ut ne vestigium quidem eorum maneat. In corporibus non item : nam etsi medicus millies studium et remedia adhibeat, vulnus quidem e medio tollit; sed plerumque ei, qui in facie plagam accepit, vulnus quidem curat, sed cicatrix remanet, et in argumentum vulneris vultus deformitatem circumfert : milleque modis annititur medicus cicatricem delere, sed non potest. Repugnat enim infirmitas naturæ, necnon artis et remediorum imbecillitas : contra vero Deus cum peccata delet, nec cicatricem relinquit, nec vestigium manere sinit, ac cum sanitate formæ decus largitur, cum immunitate a supplicio justitiam dat, eumque qui peccavit ei, qui non peccavit, parem efficit. Tollit enim peccatum, atque id efficit ut neque sit, neque factum fuerit; ita scilicet universim delet illud. Non manet cicatrix, non vestigium, non argumentum, non signum.

III. Id undenam liquet? Dictorum enim demonstratio-

[1] Luc. XXIII, 41 et 43.

nes exhibere debeo, ita ut non meam proferam sententiam, sed ex Scripturis demonstrem, ut res certa indubitataque maneat. Induco vobis homines vulneribus sauciatos, populum integrum, homines plenos ulceribus, sanie, vermibus, qui nihil aliud, quam vulnus et ulcus sint: qui tamen ita curari possint, ut nec cicatrix, nec vestigium, nec signum supersit: homines qui non unum, non duo, non tria, non quatuor vulnera habeant, sed a capite ad pedes toti vulnus sint. Attende diligenter orationi: est enim hic sermo noster communis atque salutaris. Medicamenta paro medicorum remediis præstantiora, quæ ne reges quidem adornare possunt. Quid rex potest? E carcere eruere, a gehenna autem eximere non potest: pecunias largiri, animam vero servare non valet. Sed in manus pœnitentiæ vos trado, ut vim ejus ediscatis, ut discatis peccatum non ei prævalere, neque ullam esse iniquitatem, quæ vim ejus superare possit. Interim induco non unum, non duos, non tres, sed pluries millenos homines, vulneribus ulceribusque plenos, innumeris peccatis onustos, qui per pœnitentiam ita salutem consequi potuere, ut neque vestigium, neque cicatrix priorum ulcerum remaneret. Verum diligenter attendite sermoni, neque solum attendite, sed etiam ea, quæ dicuntur, memoriæ mandate, ut absentes instituatis, et eos, qui utilitate sermonis hujus destituti sunt, diligentiores reddatis. Accedat igitur ille Seraphinorum spectator Hesaïas, qui mysticam illam melodiam audivit, qui infinita de Christo prædixit. Quid dicat percontemur: « Visio, quam vidit » Hesaïas adversus Judæam et adversus Jerusalem. » Dic visionem, quam vidisti, dic mihi: « Audi cœlum, et au» ribus percipe terra, quia Dominus locutus est[1]. » Alia pollicitus es, et alia dicis. Quænam alia pollicitus sum?

[1] Isaï. 1, 1, 2.

Principio dicis, « Visio adversus Judæam, et adversus Je- » rusalem, » et missa Judæa atque Jerusalem, cœlum alloqueris, et ad terram sermonem declinas : rationales homines missos facis, et cum irrationabilibus elementis verba conseris? Quia nempe irrationabilibus rationabiliores facti sunt rationabiles illi; neque ideo tantum; sed quia cum introducturus eos esset Moyses in terram promissionis, et quæ futura erant prævideret, quod nimirum quæ sibi tradita fuerant contempturi essent; « Audi cœlum, » inquit, et attendat terra verba ex ore meo[1]. » Contestor vobis cœlum et terram, inquit Moyses, quod si ingressi fueritis in terram promissionis, et dereliqueritis Dominum Deum, futurum sit ut dispergamini in omnes gentes. Venit Hesaïas, futurum erat ut comminatio in opus prodiret : non poterat Moysem evocare, nec eos, qui ipsum audierant, utpote defunctos : et elementa advocat, quæ contestatus erat Moyses. Ecce a promissione excidistis : ecce dereliquistis Deum. Quo pacto te advocabo Moyses? Defunctus enim es, et vitam obiisti. Quo pacto item Aaronem evocabo? Ille quoque mortem oppetivit. Non potes, inquit, me evocare? Evoca elementa. Idcirco enim et ego dum viverem, non Aaronem solum, non illum et illum contestabar, quia obituri erant : sed elementa, quæ manent, nempe cœlum et terram contestor. Ait igitur Hesaïas, « Audi cœlum, et auribus percipe terra. » Vos enim jussit Moyses hodie advocare. Neque hanc solum ob causam vocat elementa; sed quia Judæos alloquebatur. « Audi » cœlum, » Tu enim manna demisisti : « Auribus percipe » terra, » tu namque coturnicem dedisti. Audi cœlum, audi; tu enim manna demisisti, tu enim quæ supra naturam erant exhibuisti : sursum eras, et aream imitabaris. « Auribus percipe terra : » Tu enim deorsum eras, et

[1] Deut. XXXII, 1.

extemporalem mensam parasti. Otiosa erat natura, et gratia operata est : boum nullus erat labor, et spica proferebatur : non coquorum manus, non jussum aderat : sed manna fontis sancti instar omnium vicem supplebat. Natura propriæ infirmitatis obliviscebatur. Quo pacto ipsorum vestes detritæ non sunt? Quo modo ipsorum calceamenta non sunt vetustate consumpta? Omnia ad illorum ministerium inserviebant. « Audi cœlum, et auribus » percipe terra. » Post tot monita, post tot beneficia, contumelia afficitur Dominus. Quem alloquar? Num vos? Neminem qui audiat habeo. Ecce veni, et nullus erat homo : locutus sum, nec erat qui audiret. Irrationabilia alloquar, quandoquidem rationabiles ad irrationabilium vilitatem delapsi sunt. Quamobrem alius Propheta videt furentem regem, idolum cultu honoratum, Deum contumelia affectum, alios omnes attonitos, et dicit : « Audi » me altare, audi me[1]. » Lapidem-ne alloqueris? Etiam. Quandoquidem rex minus est compos sensuum, quam lapis. Audi me altare, audi. Hæc dicit Dominus. Et statim altare diruptum est. Et lapis audivit, lapis diruptus est, et sacrificium effudit. Quomodo non audivit homo? Extendit manum suam, ut raperet Prophetam. Et quid facit Deus? Arefecit ejus manum. Vide quidnam fecerit, vide Domini clementiam, et servi peccatum. Quare non ab initio manum ejus arefecit? Ut dirupto lapide resipisceret. Etenim si lapis diruptus non fuisset, tibi pepercissem. Quia vero discissus est lapis, et tu non emendatus es, iram in te transfero. Extendit manum ut raperet Prophetam, et arefacta est manus. Erectum erat tropæum. Aderant tot satellites et duces exercitus, auxilium ingens, et manum ejus contrahere non poterant. Sed stabat manus voce declarans impietatis profligationem, pietatis tro-

[1] 3 Reg. XIII, 2.

pæum, Dei erga homines benignitatem, illius insaniam. Et illam contrahere non poterant.

IV. Verum ne verbum ex verbo texentes, argumenti obliviscamur, age quæ polliciti sumus ostendamus. Quidnam polliciti sumus? Quod si quis sexcentis sit affectus vulneribus, pœnitentiamque agat, et bonum operetur, sic ea delebit Deus, ut nec cicatrix, nec vestigium, nec indicium peccatorum appareat. Hæc promisi, hæc demonstrare conabor. « Audi cœlum, et auribus percipe terra, » quia Dominus locutus est. » Dic mihi, Quid locutus est? « Filios genui et exaltavi, ipsi autem spreverunt me. Cog- » novit bos possessorem, » irrationabilibus irrationabiliores: « Et asinus præsepe domini sui, » asinis hebetiores. « Israël autem me non cognovit, et populus me non » intellexit. Væ genti peccatrici[1]. » Cur hæc dicit? Nullane est spes salutis? Qua de causa dicis, Væ? Quia non invenio medelam? Qua de causa dicis, Væ? Quia medicamenta adhibui, nec cessit ulcus. Ideo aversus sum. Quid mihi igitur faciendum est? Non laborabo ut curem. « Væ, » mulierem repræsentat lamentantem: « Væ, » et bene facit. Animum, quæso, mihi adhibete diligenter: « Væ, » quare? Quia idipsum in corporibus fieri solet. Cum enim viderit medicus ægrum nullam salutis spem habentem, flet et lacrymatur: domestici item et affines ejulant atque lamentantur, sed frustra nulloque fructu. Moriturum enim ne mundus quidem totus deplorans excitabit: planctus ergo ille ad luctum valet, non ad restaurandam sanitatem. Secus autem in anima; nam si fleveris, sæpe eum, qui anima mortuus est, excitabis. Quare? Quia corpus mortuum vi humana non excitatur: anima vero mortua correctione excitatur. Respice fornicarium, et plora, sæpeque illum excitas. Ideoque Paulus non scribebat et

[1] Isaï. I. 3, 4.

admonebat solum, sed etiam cum lacrymis et luctu hortabatur unumquemque vestrum. Esto admoneas, cur etiam ploras? Ut si non valeat admonitio, auxilientur lacrymæ. Sic et Propheta lamentatur. Dominus item noster videns proximam Jerosolymæ ruinam dicit : « Jerusa-» lem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos, qui ad te » missi sunt[1]. » Urbem compellat jam lapsam, hominemque lugentem imitatur. Propheta vero, « Væ genti pecca-» trici, populo pleno peccatis. » Nihil habet sanum corpus illud. Vidisti-ne eos ulceribus plenos? « Semini nequam, » populo pleno peccatis. » Cur, quæso, lamentaris? « Dere-» liquistis Dominum, et irritastis Sanctum Israël. Quid » ultra percutiamini? » Qua vos plaga feriam? Fame-ne, an peste? Omne supplicii genus accessit, et nequitia vestra consumpta non est : « Addentes prævaricationes. » Omne caput in laborem, et omne cor in tristitiam : non » est plaga, non cicatrix. » Res nova. Paulo ante dicebas : « Semen nequam, filii iniqui. Dereliquistis Dominum, et » irritastis Sanctum Israël[2], et, Væ genti peccatrici : » Lamentaris, luges, quereris, vulnera recenses; et deinde dicis, « Neque vulnus, neque cicatrix? » Attende. Tunc vulnus efficitur, cum alia corporis parte incolumi, una corporis pars sensu destituta manet. Hic vero dicit, totum corpus esse vulnus : « Neque vulnus, neque cicatrix, neque » plaga tumens. » Sed a pedibus usque ad caput non potest imponi fomentum, non oleum, non ligamina. « Terra vestra » deserta : civitates vestræ succensæ igni : regiones vestras » alieni comedunt[3]. » Hæc omnia feci, et vos non resipuistis. Omnem adhibui artem, et æger mortuus manet. « Venite, audite verbum Domini, principes Sodomorum » et Gomorrhæ. Quo mihi multitudinem victimarum ves-» trarum? » Quid igitur, Sodomitas-ne alloquitur? Ne-

[1] Matth. XXIII, 37. — [2] Isaï. I, 4-6. — [3] Ibid. 7.

quaquam, sed Judæos Sodomitas appellat. Quoniam enim eorum mores imitabantur, eorum ipsis nomen imponit. « Venite, audite verbum Domini, principes Sodomorum » et Gomorrhæ. Quo mihi multitudinem victimarum ves- » trarum, dicit Dominus? Plenus sum holocaustis arie- » tum, et adipem agnorum nolo. Si offeratis mihi simi- » lam, vanum; thymiama abominatio est mihi : neome- » nias vestras et sabbata odit anima mea : jejunium et diem » magnum non fero. Cum extenderitis manus vestras ad » me, avertam oculos meos a vobis [1]. » Est-ne ira huic æqualis? Propheta cœlum advocat, lamentatur, ejulat, plorat, dicitque illi, « Non est vulnus, non est cicatrix. » Deus irascitur, non suscipit victimam, non neomeniam, non sabbatum, non similam, non orationem, non manuum extensionem. Vidisti-ne ulcus? Vidisti-ne morbum incurabilem, non unius, non duorum, non decem, sed multorum millium? Quid igitur postea? « Lavamini, » mundi estote [2]. » Num est peccatum pro quo sit desperandum? Ipse Dominus, qui dicit, Non audio vos, dicit etiam, « Lavamini. » Ad quem usum hæc loqueris? Ad hæc ambo sunt utilia : illa, ut terream; hæc, ut attraham. Si non audis illos, spem salutis non habent : si spem salutis non habent, cur dicis, « Lavamini? » Verum pater est filiorum amans, solus bonus, plus quam pater ad commiserationem pronus. Et ut discas ipsum esse patrem, ait illis, « Quid faciam Juda? » An nescis quid facturus sis? Novi plane : sed nolo. Exigit peccatorum natura, sed cohibet clementiæ magnitudo. Quid faciam tibi? Parcam-ne tibi? At segnior evades. Ultionem de te sumam? Sed id non patitur clementia mea. Quid faciam tibi? An ut Sodomam te ponam, vel ut Gomorrham evertam te? Conversum est cor meum : affectu præditum

1 Isaï. I, 10-15. — 2 Ibid. 16.

imitatur; imo potius matrem prolis amantem. Conversum est, ac si dicat mulier de puero, conversum est cor meum materno more. At non satis habuit priora illa dixisse; sed, « Turbatus sum in pœnitentia mea[1]. » Deusne turbatur? Absit. Numen turbationis expers est. Sed ut jam dixi, nostrum loquendi morem imitatur. Conversum est cor meum, « Lavamini, mundi estote. » Quid sum vobis pollicitus? Quod peccatores, etiam sexcentis onustos peccatis, ulceribusque plenos, si pœnitentiam agant, Deus susceptos ita curet, ut ne vestigium, ut ne cicatricem, ut ne indicium quidem peccatorum relinquat, « Lavamini, mundi estote, auferte nequitias vestras ab » animabus vestris. Discite bene facere[2]. » Et quid boni præcipis? « Judicate pupillum, et justificate viduam. » Non gravia præcepta sunt, sed ad quæ natura ipsa prona sit: mulieri enim convenit misericordia. « Et venite, et » disceptemus. » Modicum quidpiam facite, et ego quod reliquum est addam: exiguum aliquid mihi date, et totum ego impertiam. « Venite. » Quonam abeamus? Ad me, quem provocastis, quem irritastis, ad me qui dico, « Non » audio vos. » Ut interminatione perterriti, iram sedetis. Venite ad non audientem, ut audiat. Et quid facis? Non relinquo vestigium, non indicem, non cicatricem. « Venite, disceptemus, dicit Dominus: « Et addit: « Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nivem dealbabo[3]. » Numcubi cicatrix? Numcubi ruga cum colore expiationis? « Et si fuerint ut coccinum, quasi lanam dealbabo. » Numcubi nigricans color? Numcubi macula? Et quo pacto fiunt ista? Num et aliæ promissiones? Os enim Domini hæc locutum est. Non solum magnitudinem vidist promissorum, sed et dignitatem largientis. Deo enim possibilia sunt omnia, qui potest a sordido facere mundum

1 Osee. XI, 9. — 2 Isaï. I, 16, 17. — 3 Ibid. 18.

Hunc igitur cum audierimus, et pœnitentia medelam noverimus, gloriam ipsi transmittamus : quia ipsius est gloria et imperium in sæcula. Amen.

HOMILIA VIII *alias* IX.

De pœnitentia, et de iis qui a collectis abfuerunt, itemque de sacra mensa et de judicio.

Quemadmodum nihil prodest iis qui seminant[1], si juxta viam semina jaciant : ita neque nobis quidquam proderit, si Christiani dicamur, nisi quæ appellationi nostræ conveniant opera præstemus. Ejus rei, si placet, adhibebo fide dignum testem fratrem Dei Jacobum dicentem : « Fides sine operibus mortua est[2]. » Ergo ubique opus est mandatorum operatione. Nam illa absente, neque Christiani nominis appellatio nobis prodesse poterit. Et ne mireris. Quid enim, dic mihi, lucri habet miles quando in exercitu est, nisi militia dignus sit, et pro rege a quo alitur, militet? Forte autem, tametsi terribile est quod dicitur, melius ei erat non militare, quam in militia curam et honorem regis negligere. Quî enim fieri potest ut non puniatur is, qui a rege nutritur, pro ege autem non certat? Quid autem dico pro rege? Utinam etiam pro nostris animabus curam gereremus. Et quomodo, ait, possibile in mundo et medio hominum sic versantem salvari? Quid dicis homo? Vis breviter ostendam non esse locum qui salvet, sed mores et voluntatem? Adam in paradiso, ut in portu naufragium fecit[3]. Loth in Sodomis, sicut in pelago

1 Vide D. Guillon, tom. XIV. p. 205-211, et tom. XII, p. 586-590. — Jacob. II, 17. — 3 Gen. III.

servatus est. Job in stercore justificatus est[1]. Saül ille in thesauris versans, regno præsenti, et futuro excidit[2]. Non est defensio, quod dicis te non posse, etiam in mundo versantem in medio negotiorum salvari : sed hæc gravia unde accidunt? Quia alii divinis precibus, alii conventibus frequentes non adestis. Annon videtis eos qui volunt dignitatem a terreno rege accipere, quomodo assident, quomodo alios ad patrocinandum incitant, ut potiantur eo quod quærunt? Hæc ego dixerim ad eos, qui divinas collectas relinquunt, et sub horam terribilis et mysticæ mensæ colloquiis et vanis sermocinationibus occupati sunt. Quid facis, homo? Non promisisti sacerdoti, qui dixit : « Sursum mentem et corda, » et dixisti, « Habemus ad Dominum? » Non revereris et erubescis, quod illa ipsa hora mendax inveniaris? Papæ! mensa mystica parata est, et Agnus Dei pro te immolatur, Sacerdos pro te angitur, ignis spiritualis ex sacra mensa erumpit, Cherubim astant, Seraphim advolant, et Spiritus sex alas habentes faciem tegunt, omnes incorporeæ Virtutes pro te cum sacerdote intercedunt : ignis spiritualis e cœlo descendit, sanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere effusus est : et non erubescis ac revereris, nec te pudet in illa tremenda hora mendacem te deprehendi? Centum sexaginta octo horas habente hebdomada, unam et solam horam sibi ipsi segregavit Deus, et hanc in opera sæcularia, et in ridicula, et in vana colloquia insumis? Cum qua postea fiducia ad mysteria accedes? Cum qua polluta conscientia? Num si stercus in manibus haberes, auderes contingere fimbriam terreni regis? Ne quasi panem id respicias, neu quasi vinum existimes, neque enim hæc sicut reliqui cibi in secessum vadunt? Absit. Ne sic cogites. Quemadmodum enim cera igni ad-

[1] Job. II. — [2] I Reg. XVIII.

mota, nihil substantiæ amittitur, nihil superfluit : sic et hic puta mysteria consumi corporis substantia. Propter quod et accedentes ne putetis vos accipere divinum corpus ex homine, sed ex ipsis Seraphim forcipe ignem, ut scilicet Hesaïas vidit[1], vos accipere putate : et quasi divino et impolluto lateri admoti, sic salutari sanguini participemus. Quocirca, fratres, oro vos et obsecro, ne absimus ab Ecclesiis, neque ibi colloquiis et garrulitati vacemus. Stemus trementes et timidi, demissis oculis, elevata autem anima, gementes sine voce, jubilantes corde. Annon videtis eos, qui sensibili, corruptibili, temporali, et terreno regi assistunt, quam sint immobiles, non loquentes, non oculos huc et illuc mittentes, sed mœsti, demissi, pertimescentes? Ex ipsis documentum accipite, o homines, et sic assistite Deo, quasi ad terrenum regem accessuri. Multo magis cœlesti regi cum timore astare oportet. Hoc sæpe dico, et dicere non cessabo, donec correctos videam. Ingredientes autem in Ecclesiam, ut decet Deum accedamus, ne vindictæ cupiditatem in mente habentes, adversus nos precemur, dicentes : « Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus de- » bitoribus nostris[2]. » Terribile enim est hoc, quod dicitur, et ferme sic ad Deum clamat, qui hoc dicit : Dimisi, Domine, dimitte; solvi, solve; ignovi, ignosce : si retinui, retine; si non solvi proximo, neque tu mea solvas : in qua mensura metior proximo, eadem remetiaris mihi. Igitur cum hæc sciamus, ac diem illum terribilem nobis reputemus, et ignem illum, et terribilem tormentorum locum in mentem accipiamus, convertamus nos in posterum a via qua erravimus. Veniet enim hora, quando theatrum vitæ hujus solvetur, et nullus postea certabit. Non est post hujus vitæ finem negotiatio. Hoc soluto

[1] Isaï. VI. — [2] Matth. VI, 12.

theatro coronas mereri non datur. Hoc tempus est pœnitentiæ, illud judicii : hoc agonum, illud coronarum : hoc laboris, illud relaxationis : hoc ærumnæ, illud retributionis. Excitemini, obsecro, excitemini, et quæ dicuntur suaviter audiamus. Viximus in carne, vivamus posthac in spiritu : viximus in voluptatibus, vivamus in virtutibus : viximus in negligentia, vivamus in pœnitentia. « Quid superbit terra et cinis[1] ? » Quid inflaris, homo? quid arrogans es? quid speras ex gloria mundi et divitiis? Egrediamur ad sepulcra, obsecro, videamus ibi mysteria, videamus discerptam naturam, ossa corrosa, corpora putrefacta. Si sapiens es, considera; si prudens, dic mihi, quis illic rex, et quis privatus : quis nobilis et quis servus : quis sapiens, et quis insipiens? Ubi pulchritudo illic adolescentiæ? ubi gratiosus aspectus? ubi oculi speciosi? ubi elegans nasus? ubi ignita labia? ubi pulchritudo genarum? ubi frons radians? Annon omnia cinis? Nonne omnia pulvis? Nonne omnia favilla? Nonne omnia vermis? Nonne omnia putredo et fœtor? Hæc animo reputantes, fratres, et extremum diem animo versantes, dum tempus habemus, convertamur a via nostra, qua erravimus. Sanguine pretioso redempti sumus[2]. Propter te, homo, Deus super terram visus est, non habens ubi caput reclinet[3]. Papæ, rem mirabilem! judex ad tribunal ducitur propter reos : vita mortem gustat : Creator a creatura alapis cæditur; qui a Seraphim videri nequit, a servo conspuitur : fel et acetum gustat, lancea configitur, in sepulcrum deponitur : et tu negligens es, et dormis, et contemnis, o homo? An nescis, quod etsi proprium sanguinem pro ipso effundas, non quantum oportet imples? Alius enim est sanguis Domini, et alius sanguis servi. Præveni pœnitentia et conversione egressum animæ tuæ, nequando si mors advene-

1 Eccli. x, 9. — 2 1 Petr. 1, 18, 19. — 3 Luc. ix, 58. — 59.

rit, inutilis sit omnis pœnitentiæ medicina ; quoniam super terram tantum, et non in inferno, pœnitentia robur habet. Quæramus Dominum, dum tempus habemus[1] : operemur bonum, ut a gehenna, quæ fine caret, liberemur, et cœlorum regnum consequamur, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Galat. VI, 10.

FINIS TOMI NONAGESIMI.

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) pag. 253.

Hujus Theodori, qui affectatæ tyrannidis pœnas dedit, Valentiniano, Valente, et Gratiano imperatoribus, anno 371, historiam habes apud Ammianum Marcellinum, lib. XXIX; ubi illum *antiquitus claro genere in Galliis* natum dicit. Quod si illum e Sicilia dicit esse Chrysostomus, id intelligas, vel quod in Sicilia sedes habuerit, vel præfecturam aliquam gesserit, vel quod, ut opinatur Henricus Valesius, in Sicilia natus, ex Galliis originem habuerit. Vide locum Ammiani et notam Valesii. Artemisia vero sequens cujus uxor fuerit, nondum satis perspectum habemus.

ANNOTATIO (2) pag. 268.

Hæc duo loca, quasi Michææ afferuntur; sed prior est Amos, cap. VI, vers. 6; secundus Michææ, cap. I, vers. 11.

ANNOTATIO (3) pag. 381.

Vide Plutarchum in Laconicis Apophtegmatibus, pag. 225, et Titum Livium lib. II.

ANNOTATIO (4) pag. 207.

Qui prior dicitur in editis liber ad Theodorum vere

debet esse posterior, unde legitimum ordinem restituendum esse duximus. Hinc quæ prima in Benedictinis nuncupata, hic habetur secunda, et secunda primæ locum occupat.

ANNOTATIO (5) pag. 500.

Hanc homiliam inter spurios fœtus a Benedictinis allegatam, ut dubiam repræsentare non importunum existimavimus.

ANNOTATIO (6) pag. 523.

Hæc oratio habita est post homiliam secundam de pœnitentia, ad quam in exordio alludit. Unde in editione Benedictina inscribitur homilia III.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Liber I. Adversus oppugnatores vitæ monasticæ, p. 3.	Ejusdem fragmenta, tom. XVIII, p 247-251.
Liber II. Ad infidelem patrem, p. 22.	Ejusdem fragmenta, tom. XVIII, p. 251-252.
Liber III. Ad fidelem patrem, p. 50.	Ejusdem fragmenta, tom. XVIII, p. 252-262.
Comparatio regis et monachi, p. 112.	Ejusdem fragmenta, tom. XVIII, p. 262-268.
Liber de virginitate. p. 121.	Ejusdem fragmenta, tom. XVIII, p. 236-247.
Liber quod regulares fœminæ viris cohabitare non debeant, p. 263.	Ejusdem fragmenta, tom. XVIII, p. 279-294.
Sermo adversus eos qui apud se habent virgines subintroductas, p. 292.	Ejusdem fragmenta, tom. XVIII, p. 268-279.
Liber I. Ad Demetrium monachum, de compunctione, p. 395.	Ejusdem fragmenta, tom. XVII, p. 396-417.
Liber II. Ad Stelechium, de compunctione, p. 421.	Ejusdem fragmenta, tom. XVII, p. 417-424.
Liber I. Paræenesis sive adhortatio ad Theodorum lapsum, p. 441.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, p. 279-293, et tom. XVI, p. 403-408.
Liber II. Ad Theodorum lapsum, p. 452.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, p. 294-296.
Homilia I. De pœnitentia, p. 511.	Ejusdem fragmenta, tom. XVII, p. 344-347.
Homilia II alias III. De pœnitentia, p. 523.	Ejusdem fragmenta, tom. XVII, p. 355-365.
Homilia III alias IV. De pœnitentia, p. 537.	Ejusdem fragmenta, tom. XVII, p. 366-371.

Homilia IV alias V. De pœnitentia, p. 547.	Ejusdem fragmenta, tom. XVII, p. 371-373.
Homilia V alias VI. De pœnitentia, p. 558.	Ejusdem fragmenta, tom. XVII, p. 373-377.
Homilia VI alias VII. De pœnitentia, p. 573.	Ejusdem fragmenta, tom. XVII, p. 377-382.
Homilia VII alias VIII. De pœnitentia, p. 595.	Ejusdem fragmenta, tom. XVII, p. 228-234, et 382-384.
Homilia VIII alias IX. De pœnitentia, p. 608.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, p. 205-211, et tom. XII, p. 586-590.

INDEX

TOMI NONAGESIMI.

ADVERSUS OPPUGNATORES VITÆ MONASTICÆ, LIBRI TRES.

EXPLICIT INDEX.